DE
MATRIMONIIS MIXTIS.

SCRIPSIT

AUGUSTINUS DE ROSKOVÁNY,

EPISCOPUS NITRIENSIS.

TOMUS V.

SUPPLEMENTA ET CONTINUATIONEM HISTORIAE MATR. MIXTORUM IN HUNGARIA, TRANSILVANIA ET AUSTRIA, ITEM LITERATURAM UNIVERSALEM USQUE ANNUM 1868 COMPLECTENS.

DE
MATRIMONIIS MIXTIS.

SCRIPSIT

AUGUSTINUS DE ROSKOVÁNY,
EPISCOPUS NITRIENSIS.

TOMUS V.

SUPPLEMENTA ET CONTINUATIONEM HISTORIAE MATR. MIXTORUM IN HUNGARIA, TRANSILVANIA, ET AUSTRIA, ITEM LITERATURAM UNIVERSALEM USQUE ANNUM 1868 COMPLECTENS.



PESTINI,
TYPIS ATHENAEI.
1871.

CONSPECTUS TOMI QUINTI.

Monumenta ad hist. matr. mixt. ab a. 1854—1868.

B) MONUMENTA TRANSSILVANICA.

a) Ad hist. matr. mixt. usque a. 1853.

b) Monumenta ad hist. matr. mixt. ab a. 1853—1868.

c) Appendix: de famosa conditione, cum qua Calvinistae matr. contrahunt.

C) MONUMENTA AUSTRIACA.

a) Ad hist. matr. mixt. usque a. 1853.

b) Monumenta ab a. 1854—1868.

LITERATURA.

I. Additamenta ad Liter. T. I et III. propositam.

h

Pag.	lin.	Errata	Corrigenda
19.	2.	Besolutio.	Resolutio
39.	22.	promoverunt.	permoverunt
74.	3 a fine:	intellegitur	intelligitur
75.	29.	extrincecis	extrinsecis
79.	4 a fine:	quid	quod
80.	18. 19.	doosam	dolosam
95.	14.	cita	citat
96.	8.	egibus	legibus
99.	penult.	poonas	personas
101.	1.	eandum	eundem
111.	3.	publicatis	publicitatis
116.	22.	observabantur	obversabantur
126.	30.	mutae	mutuae
137.	16.	motu	metu
148.	4. *ante:*	in . . . . *adde:*	nec
174.	4.	Ex	Et
186.	ult. *in Nota:*	Tim.	Tom.
201.	14.	incructione	instructione
244.	11. *post:*	SS. . . . . *adde:*	Maj.
245.	penult. *post:*	fore . . . . *adde:*	ut
334.	1.	diavortitam	divortiatam
335.	12.	revonare	renovare
356.	15.	reservavit	reservarit
402.	27.	anto	tanto
430.	26.	de.	te
474.	8.	sponsis	sponsio
505.	15.	186	1860
619.	9.	tactatus	tractatus
639.	penult.	ratres.	fratres
640.	14.	961—964	961—965.
645.	10.	Chistian	Christian

III.

ADDITAMENTA SIVE SUPPLEMENTA AD PARTICULAREM HISTORIAM MATR. MIXTORUM IN HUNGARIA, TRANSSILVANIA ET AUSTRIA, ET CONTINUATIO EIUSDEM HISTORIAE INDE AB A. 1854—1868.

A. In Hungaria.

1. De matr. mixtis usque Sec. XVI.

Quemadmodum historiae universali matr. mixtorum inter Catholicos et Protestantes (volumine IV) praemittenda censuimus antiquiora de matrimoniis mixtis inter Catholicos et haereticos Monumenta: ita in particulari quoque historia praemittimus Monumentum e Sec. XIV de matr. mixtis inter catholicos et haereticos, ad Hungariam pertinens de a. 1309: quippe *Concilii Posoniensis*, sub auspiciis *Gentilis Cardinalis Legati* S. Sedis Apost. celebrati decretum. In eo argumentis ex ipsa natura rei et fidei catholicae sanctitate ac dignitate petitis sub excommunicationis poena interdicuntur connubia mixta inter fideles et haereticos ac schismaticos, maxime Ruthenos, Bulgaros etc. [1])

---

2. Addenda ad Epocham I. a Reform. Sec. XVI usque a. 1780.

a) *Tom. I. §. 226. p. 466.* Ad annum 1610 refert *Cardinalis Albitius* de inconstantia in fide c. 18: *Cardinalem*

---

[1]) *Mon.* 995. pag. 1. — Monumenta voluminis IV desinunt in numero 994.

Strigoniensem obtinuisse *dispensationem a S. Sede* pro parte viri catholici cum muliere haeretica matrimonium contrahentis, in tertio consangv. gradu ipsi iuncta: sed in Brevi nullam religionis mulieris mentionem factam, verum Cardinali commissum fuisse, *ut non prius cum oratoribus dispenset, quam per mulierem abiurata haeresi.*

b) *Tom. I. §. 233. p. 476.* Anno 1744 et 1745. propositis per *Eppum Csanadiensem* S. Sedi dubiis circa assistentiam parochi in matr. mixtis partim cum lutheranis et calvinianis, partim cum schismaticis per catholicos contractis, duplex emanavit resolutio, non satis clara quidem, prioribus tamen quoad parochi assistentiam conformis, et Eppum ad Instructionem in causa Iprensi a. 1737 editam invians.[2]) (Op. nostri T. II. 44.)

c) *Tom. III. p. LXXVI.* Eppum *Iaurinensem* iam ante annum 1760, quo illic memoratam edidit constitutionem, matr. mixta vehementer improbavisse docet eiusdem pastoralis epistola a. 1755 ad Clerum dimissa typisve edita. In ea postquam fideles ab ineundis mixtis connubiis per parochos saepius dehortandos iussisset, disposuit: ut personas catholicas, quae postpositis gravibus Ecclesiae mandatis mixtas nuptias expeterent, ad Ordinariatum mittant, ab eo opportunam decisionem obtenturas.[3])

d) *Tom. I. §. 241. p. 491.* Extractum Protocolli *Consistorii Rosnaviensis* anni 1778 super pertractatione causae matr. mixti cum reversalibus de educanda femella prole in confessione acatholicae matris, inter Monumenta referimus, ut ea, quae loco citato de hac causa monuimus, ipso documento roborentur.[4])

---

3. Add. ad Epocham III. ab a. 1791 usque Comitia Regni a. 1825.

a) *Tom. I. §. 258. p. 516.* Ad illustrandam historiam celebris Intimati dd. 25. Sept. 1792 quoad *Reversales* editi, deser-

---

[2]) *Mon.* 996. 997. pag. 2.

[3]) *Mon.* 998. pag. 5.

[4]) *Mon.* 999. pag. 6.

viunt tum repraesentationes Iurisdictionum Civilium in obversum antelati Intimati, tum propositiones Cancellariae Regiae pro manutenendo Intimato cum congruis Resolutionibus Regiis desuper emanatis. Ex repraesentationibus Comitatuum unam pro omnibus exhibemus, illam *C. Pestiensis* de 17 Nov. 1792.[5]) reliquarum tenore ex propositionibus Cancellariae clare innotescente; propositionis, quam Cancellaria Regia eatenus fecit,[6]) corollarium fuit *Resolutio Regia* dd. 13 Dec. 1792. vigore cuius factum Consilii et Cancellariae, Intimatum circa Reversales sine obtenta immediata Resolutione Regia, cum quibusdam mutationibus publicantium, improbatum, ac una dispositum fuit, ut novum Circulare Intimatum proiectetur Regiaeque decisioni substernatur.[7]) Post factas ulteriores Cancellariae propositiones super repraesentationibus aliarum Iurisdictionum contra Reversales,[8]) eadem Cancellaria Regio iussui conformiter *novi Intimati* ad Iurisdictiones dimittendi proiectum elaboravit 1793, a Regia Maiestate approbatum et per Regium Rescriptum Consilio Regio transpositum:[9]) in cuius sequelam novum Intimatum eodem anno ad Iurisdictiones ea forma expeditum extitit, quam Tomo II op. nostri p. 588. exhibuimus. Pro eo, quantopere Rex *Franciscus* Reversalium vigorem manuteneri voluerit, adducimus Rescriptum Regium ad Comitatum *Zoliensem* a. 1795 dimissum.[10])

b) *Tom. I. §. 261. p. 522.* et *Tom. III. p. LXXVII.* Ad complementum actorum de controversia immortalis memoriae *Antistitis Rosnaviensis Antonii L. B. Andrássy* cum Regimine Civili a. 1794. ss. vertente, praeter iam vulgata a nobis Monumenta pertinent adhuc: *duplex propositio Regiae Cancellariae pro Eppo*, cum adnexis *Resolutionibus Regiis*, et *postrema* invictissimi *Praesulis declaratio ad Regium Consilium* missa: quae proinde in Monumentis nostris suppletorie exhibentur.[11])

c) Memorabilis evenit ultimis superioris seculi annis in

---

5) *Mon.* 1000. pag. 8.
6) *Mon.* 1001. pag. 10.
7) *Mon.* 1002. pag. 15.
8) *Mon.* 1003—1008. pag. 15—26.
9) *Mon.* 1009—1011. pag. 26. 29.
10) *Mon.* 1012. pag. 30.
11) *Mon.* 1013—1015. pag. 31. 56. 72.

Dioecesi *Vaciensi* matrimonii mixti casus : Cum scilicet *Michael Berczely* Aug. Conf. addictus cum persona catholica, cui quarto cognationis gradu iungebatur, matrimonium inire cuperet, oblatisque licet Reversalibus a Vicario Capitulari Gabriele Zerdahelyi (subin Eppo Neosoliensi) dispensationem impetrare haud valeret, nisi fidem cath. profiteretur : hanc *secreto* eliciut; sed postmodum in matrimonio constitutus nec fidem cath. exercuit, nec prolem masculam in Ecclesia Cath. baptisari admisit. Ad Consistorium citatus, recepit sententiam pro valore quidem sui matrimonii, sed ob fidefragium ad dicasteria politica et ad thronum regium re delata, institutioni sexhebdomadali subiectus, indultum ad confessionem Aug. revertendi obtinuit, proles tamen masculas in fide cath. educare, et ob fraudulenter extortam dispensationem Actione fiscali conveniri iussus fuit. [12])

d) Ad annum 1821 refertur in vita piae memoriae AEppi Colocensis, antea *Eppi Szathmariensis, Petri Klobusiczky*, Breve Pii VII ad Eppum in causa mixtorum matr. editum : e cuius tenoribus liquet, pie denatum Praesulem apud S. Sedem quaesivisse : *quid agendum cum personis, quae eiurata haeresi, soluto per forum civile matrimonii in haeresi contracti vinculo, novum inire cupiunt matrimonium?* Summus Pontifex in Brevi promittit, se post maturum rei examen suam desuper sententiam Eppo manifestaturum : interim nec in vita Praesulis, nec alibi quidquam de eo detegere nobis licuit, an et quale deinceps dictus Eppus Breve Pontificium receperit? [13])

---

4. Add. ad Epoch. IV ab a. 1825—1837.

Tom. I. §. 265. p. 531. Ad annum 1834 commemorar meretur epistola *Eppi Nitriensis* zelo pastorali plena ad quempiam Super. Vigil. Praefectum directa, petitam ab hoc

---

[12]) *Mon.* 1016—1020. pag. 74—88. [13]) *Mon.* 1021. pag. 90.

pro parte neptis mixtum matr. contrahentis dispensationem a bannis denegans.[14])

5. Add. ad Epoch. V ab a. 1837—1853.

a) *Tom. I. §. 272. p. 550.* Ea, quae Praesules Regni in asservatis apud Primatem Regni *Conferentiis* sub Comitiis anni 1840 Posonii de praxi in matr. mixtis observanda, et de recursu ad S. Sedem Apostolicam dirigendo conclusere, clare explicat *Protocollum Conferentiale*, quod proinde instar Monumenti exhibendum censemus.[15])

b) *Tom. I. §. 275. p. 553.* et *T. III. p. LXXX.* Contradictioni *Primatis* adversus determinationem Comitatus *Pestiensis* de Curatis benedicere matr. mixta nolentibus in ius vocandis, adiungimus aliorum Praesulum contradictiones a. 1840 et 1841 interpositas tum adversus memorati Comitatus tum aliorum Comitatuum determinationes[16]); item *AEppi Colocensis* literam ad *ADucem Gubernatorem Galliciae*, qui accusationem contra parochum mixto connubio active assistere recusantem reiecit [17]) — Porro Repraesentationi Comitatus *Strigoniensis* pro manutenendis principiis ac iuribus Ecclesiae Cath. adnectimus repraesentationes CC. *Hevesiensis*, et *Sárosiensis* de a. 1841.[18]) — Notandum insuper existimamus, *Primatem* Regni, dum sensus eius ab AEppo *Agriensi* super eo exquireretur, an non foret opportuunum, *lingua* etiam *patria* adhortationem et instructionem de matr. mixtis ad fideles dimittere? e pluribus rationibus negative semet enunciavisse. [19])

c) *Tom. III. p. LXXXI.* Prout sub Comitiis Regni anni 1840 Praesules habitis inter se sub auspiciis Primatis Conferentiis opportuna quoad rem matr. mixtorum uniformiter tractandam directiva principia stabiliverunt: ita *Conferentiae Praesulum* sub decursu Comitiorum anni 184³/₄ frequentius

[14]) *Mon.* 1022. pag. 91.
[15]) *Mon.* 1023. pag. 92.
[16]) *Mon.* 1024—1031. pag. 94.
[17]) *Mon.* 1032. pag. 112.
[18]) *Mon.* 1033. 1034. p. 113. 116.
[19]) *Mon.* 1035. pag. 118.

habitae eundem scopum egregie promoverunt. Triplicis ordinis Conferentiae ad rem mixtorum matr. referuntur. In *prima* Conferentia 27 Maii 1843 celebrata discutiebatur casus matr. mixti, quod inire voluit pars catholica cum acatholica per sententiam fori protestantici a vinculo soluta, in vivis adbuc existente parte altera: lataque est per Praesules decisio Constitutionibus S. Sedis conformis.[20]) In *altera* Conferentia mense Octobri 1843 habita summi momenti pertractabatur quaestio de condenda lege circa educationem religiosam prolium e matr. mixtis: Praesulesque unanimi voto in id adlaborandum constituerunt, ut in edenda Regia Resolutione omnia sollicite devitentur, quae suspicioni, quasi Regimen erga Religionis Cath. principia indifferenti foret animo, ansam possent suppeditare cum scandalo bonorum ac piorum Catholicorum.[21]) In *tertia* Conferentia 13 Nov. 1844 celebrata argumentum discussionis nova lex de matr. mixtis per Comitia sancita constituebat, consultabantque Praesules de dandis Clero Curato opportunis instructionibus tum qnoad Reversales sive cautiones de educatione catholica prolium, tum quoad assistentiam mixtis matr. per parochos praestandam.[22])

d) *Tom. III. pag. LXXXIII.* Codicis Civilis Austriaci a. 1852 per Patentales Caesareas ad Hungariam extensi sanctionem cum textu Patentalium, loco citato in *extractu* vulgatam, *integram* nunc exhibemus, in quantum de mixtis sonat connubiis.[23]) — Anno 1852, paulo post aditum regiminis Dioeceseos *Vaciensis,* reservata humilitati nostrae uniuscuiusvis casus matr. mixti decisione, obtentaque a S. Sede in impedimento mixtae religionis dispensandi facultate, initio mensis Aprilis uberiorem de qualiter tractandis mixtis matr. *Instructionem* Clero Curato impertiendam duximus.[24]) — Pro historia notamus id quoque: nos, dum eodem anno per Primatem Regni provocati fuissemus, ut opinionem depromamus super quaestione: quidnam ad reprimendam matr. mixtorum frequentiam et cohibendam ministrorum acatholicorum

---

[20]) *Mon.* 1036. pag. 120.
[21]) *Mon.* 1037. pag. 123.
[22]) *Mon.* 1038. pag. 128.
[23]) *Mon.* 1039. pag. 131.
[24]) *Mon.* 1040. pag. 132.

aut ipsornm etiam sponsorum catholicorum, apnd ministros acatholicos se se copnlari praesumcntinm, audaciam praesuscipiendum censeremus? eam depromsisse opinionem, ut ad exemplnm Galliae, Belgii, et aliorum Regnorum, in qnibus matr. mixta semper nonnisi pencs dispensationem Pontificiam et sine ritu catholico seu benedictione ineuntur, ad strictiorem hanc Ecclesiae disciplinam redeamus, Sedemqne Apostolicam exoremus, nt concessionem pro Hungaria factam, dissimnlandi videlicet, si coniugia mixta coram acatholico contrahantnr ministro, revocet. — Anno 1853, dnm de Concordato cnm S. Sede ineundo agerctnr, evocati Viennam tres AEppi Hnngariae et Croatiae, quippe *Strigoniensis, Colocensis* et *Zagrabiensis* in Conferentiis super Concordato habitis rem mixtorum matr. in deliberationem sumserunt et tam S. Sed Ap. quoad revocandam concessionem pro Hungaria factam, nt quippe matr. mixta pencs passivam assistentiam ineantur, velut gravibus abusibus ansam praebentem, quam et Imperatori supplicandnm censuernnt, ut copnlationem mixtorum matr. dum talia penes passivam parochi catholici assistentiam iniri possunt, ministris confessionum acatholicarum, statuta etiam legali sanctione poenaque, inhibeat. [25])

6. Continuatio historiae ab a. 1854—1868.

Quae inde ab a. 1853, in quo historia mixtorum matr. particnlaris quoad Hungariam Tomo III operis nostri desinit, circa disciplinam mixtorum matr. in patria nostra evenere, panca sunt. Notatu digniora ordine chronologico recensemns, et concernentia Monumenta subnectimus.

Anno **1854**, quum *Iudicium primi fori Pestiense,* et subin etiam *Districtuale Appellatorium* in causa matr. mixti sententiam pro nullitate matrimonii *incompetenter* pronunciassent: *Primas Regni* sententiam hanc, velut potestati sacrae, ad quam de causis matr. mixtorum cognoscere spectat,

[25]) *Mon.* 1041. pag. 138.

iniuriosam cassari et annullari apud *Supremum Forum Cassatorium* petiit, et petito conformem resolutionem obtinuit.[26])

A. 1855. Instructio quoad mixta matr. per *I. Szily Eppum* condam *Sabariensem* a. 1777 pro Clero edita, novis curis elaborata et ampliata in memoriam Cleri revocata est.[27])

A. 1856 *Eppi Hungariae* pro Conferentiis Viennae congregati supplices ad Summum Pontificem direxerunt literas: ut, quum concessio per S. Sedem a. 1841 circa passivam assistentiam, et respective dissimulationem matrimoniorum coram ministro acatholico initorum facta abusibus occasionem praebuerit, sensumve illius etiam sponsi catholici eonsque protendant, ut sibi licere existiment, coram acatholico ministro pro copulatione comparere, S. Sedes vel concessionem revocet, vel ad unicum casum illum restringat, dum sponsus acatholicus cautiones Ecclesiae praestare recusat.[28]) — Eodem anno *Eppus Csanadiensis* pro casu, quo sponsa catholica citra praescriptas cautiones viro acatholico nubit, instructionem pro usu sacri tribunalis deserviturum Clero suo impertitus est, principiis Ecclesiae conformem.[29])

Decursu temporis, quo res Ecclesiae Hungaricae publico-politicas Caes. Reg. Austriacum *Cultusministerium* moderabatur, cumprimis vero ab anno 1857—1860 complura tum ad Locumtenentiatus Hungarici Sectiones, tum ad ipsos Ordinarios emanarunt *Rescripta Ministerialia* in obiecto mixtorum matr. Praecipua eorum inter Monumenta referimus : quae quippe de testimonio super peractis proclamationibus matr. mixtorum; de assistentia parochi catholici vel ministri acatholici; de non neganda promulgatione et assistentia; de matrimonio mixto coram ministro acatholico inito; de actibus illegalibus ministrorum acatholicorum circa mixtas nuptias; de educatione prolium ex thoro illegitimo subseque legitimatarum etc. agunt.[30])

A 1857 Eppi *Iaurinensis* et *Csanadiensis* uberiores de ne-

---

[26]) *Mon.* 1042. 1043. pag. 141. s.

[27]) *Mon.* 1044. pag. 143.

[28]) *Mon.* 1045. pag. 145.

[29]) *Mon.* 1046. pag. 148.

[30]) *Mon.* 1047—1053. pag. 151.

cessitate dispensationis a S. Sede petendae super impedimento mixtae religionis Instructiones ad Clerum ediderunt.[31])

A. **1858** *Synodus* provincialis *Strigoniensis* doctrinam catholicam de mixtis matr. clare ac praecise exposuit, modumque ea ineundi enucleavit.[32])

A. **1859** ex Vaciensi ad *Nitriensem* Ecclesiam gubernandam translati id ipsum mox in principio regiminis nostri eppalis quoad mixta matr. constituimus, quod in Vaciensi nos constituisse suo loco monuimus: servato videlicet nostrae decisioni cuiusvis matr. mixti casu, facultatem dispensandi in impedimento diversae religionis petiimus a S. Sede, et obtinuimus iuxta formulam in Monumentis exhibitam. Cuiusmodi facultas quum anno 1862 renovaretur, adiecit S. Congr. Officii: acatholicum ministrum nec ante nec post initum matr. a sponsis adeundum esse, et, si matrimonium coram ministro acatholico contractum fuerit, partem catholicam praevie absolvendam venire a censuris, et salutarem ei poenitentiam imponendam; anno autem 1865. exceptio quoad *Italos*, de qua iam in historia universali mixtorum matr. ad annum 1865 mentio facta est, facultatis tenoribus inserta extitit.[33]) — Eodem anno *Eppus Csanadiensis* strictas conditiones Ecclesiae de mixtis matr. Clero suo in memoriam revocavit, earumve observantiam inculcavit.[34])

A. **1860** pro dioecesi *Nitriensi* easdem instructiones et inviationes dedimus Clero nostro dioecesano in obiecto mixtorum matrimoniorum, quas Encyclica Vaciensis de a. 1852. superius (Mon. 1037.) occurrens exhibet. — Anno eodem *Synodus Dioecesana Strigoniensis* ad implementum sanctionum Concilii Provincialis Strigoniensis anni 1858 tum officia pastoris animarum quoad mixtas nuptias inculcavit, tum inviationes opportunas tribuit.[35])

A. **1863** *Concilium Provinciale Colocense* pericula mixtorum matr. pro parte catholica et prolibus eximie ob oculos

---

31) *Mon.* 1054. 1055. pag. 161. 164.

32) *Mon.* 1056. pag. 167.

33) *Mon.* 1057—1059. pag. 171.

34) *Mon.* 1060. pag. 172.

35) *Mon.* 1061. pag. 173.

ponit, ab iisque ineundis dehortatur, in reliquo doctrinam Ecclesiae et modum ea contrahendi accurate indigitans.[36])

A. 1864 in *Consistorio Metr. Agriensi* matr. mixtum coram ministro acatholico clandestine initum pro irrito ac nullo declaratum, sententiaque huiusmodi in foro etiam II instantiae Strigoniensi adprobata fuit.[37])

A. 1865 occasione petitae pro sponsis diversae religionis tum in impedimento mixtae religionis tum in quarto cons. gradu dispensationis, haec quidem fundamento eo, quod sponsus haereticus catholicam educationem prolium securisare noluerit, denegata, sed simul enunciatum est: ,posse Sponsum, etiamsi non scripto aut fide inrata, saltem oretenus sub honoris fide cautionem dare, sic tamen, ut moralis adsit certitudo, cautionem adimplendam fore.'[38])

A. 1867 exposuimus Ministerio Cultus casum mixti matrimonii, in quo Pater acatholicus in obversum *Reversalium* prolem masculam per ministrum acatholicum baptisari fecit, minister vero extractum matriculae parocho catholico extradare recusavit. Ministerium vigorem Reversalibus conciliari iussit apud Comitatum *Trenchiniensem*: Comitatus autem ipse quoque enunciavit: in promissione sive Reversalibus viri acatholici sponte extradatis nihil contineri, quod per legem vetaretur, iis itaque vim et virtutem conciliandam disposuit.[39])

A. 1868 quaestio de mixtis matrimoniis in Comitiis Regni denuo pertractata fuit. Resultatum discussionum fuit lex duplex de iisdem rogata: prima de celebratione matr. mixtorum, proliumve ex iis progenitarum religiosa educatione; altera de iudicatu causarum matr. mixtorum. Utrique fundamentum praebuit reciprocitas inter Confessiones religiosas per art. 20 : 1848 stabilita. Prior lex statuit: promulgationes in utraque Confessione instituendas, licet ad casum denegandae per alterutrum Curionem proclamationis, sufficiat eandem per unum Curatum institui; celebrationem matrimo-

---

[36]) *Mon.* 1062. pag. 175.
[37]) *Mon.* 1063. pag. 177.
[38]) *Mon.* 1064, pag. 180.
[39]) *Mon.* 1065. pag. 181.

nii coram alterutro Curatorum fieri posse; proles vero pro ratione sexus, mares quidem in patris, femellas in matris religione educandas esse, cuicunque in obversum contractui aut ordinationi vel reversalibus ademto omni iuris vigore. Posterior lex decernit: actorem sequi debere forum rei, et sententiam in utroque foro ferri debere, ita, ut sententia fori catholici spiritualis duntaxat catholicam, sententia autem fori acatholicae partis hanc obliget.[40]) *Praesules Regni,* praeeunte Primate et AEppo Strigoniensi, necessitatem opportunae novae Instructionis pro Clero Curato subversari videntes, quemadmodum a. 1840, ita et nunc uniformem pro totius Regni dioecesibus *Instructionem* ediderunt: in qua propositis Ecclesiae principiis quoad matr. mixta decreverunt: promulgationes matr. mixtorum, quibus praevie iam cognitum quodpiam dirimens impedimentum: e. g. ligaminis, ordinis, vel voti non obest, institui, et testimonium desuper erga desiderium partis catholicae extradari posse; assistentiam tamen duntaxat passivam adhiberi debere, siquidem vi novae legis cautelae per Ecclesiam praescriptae praestari haud valeant. Ex incidenti autem alterius legis civilis de iudicatu causarum matr. occasionem sumserunt Praesules amplius monendi Curatum Clerum, ut proposita saepius fidelibus cath. fidei et unitatis tenendae necessitate, solidaque de matr. mixtis eorumve pro parte catholica periculis nova sumant ex novellaribus legibus argumenta ad dehortandos fideles ab ineundis mixtis connubiis.[41])

B. In Transsilvania.

a) *Addenda ad historiam Tom. I. p. 570. ss. et Tom. III. p. XC. ss. relatam.* Anno 1309 *Gentilis Card. Legatus S. Sedis* in Hungaria celebrato, ut suo loco dictum, Posonii Concilio, sancitisque illic opportunis adversus matr. mixta legibus, edidit etiam decretum, quo Ladislaum Transsilvaniae Voivodam, ni ab intento inter filium Regis Serviae schisma-

[40]) *Mon.* 1066. pag. 183. [41]) *Mon.* 1067. pag. 185.

ticum et suam filiam matrimonio recederet, excommunicationi aliisve poenis eccles. obnoxium fecit.[42]) — Anno 1787 *Iosephus II* Caesar pro Principatu Transs. Intimatum eius tenoris edi iussit, ut causae matrimoniorum, quae initio pure acatholica erant, subseque vero per alterutrius partis ad fidem catholicam conversionem mixta evaserant, hoc non obstante secundum principia Confessionis acatholicae tractentur, et ad dissolutionem quoque matrimonii procedi possit.[43]) Intimatum hoc Eppus Transsilv. Clero quidem suo notum reddidit, ast una curam sollicitudinemque eius provocavit, tum catholicis matr. mixta ineuntibus tum apostatis impendendam. Intimatum tamen praevium paulo post suspensum, et negotium in pristino statu relictum fuisse Acta demonstrant.[44])

Iam T. I. §. 278 innuimus, Eppum Transs. *Ignatium e Com. Batthián* occasione discussionum de mixtis matr. principia catholica pro ratione singularium Provinciae adiunctorum viriliter tuitum fuisse. Zelum hunc exhibuit idem Praesul etiam sub Comitiis a. 1791 et 1792. Nam mense Augusto a. 1791 Regio Gubernio exhibuit *Declarationem Catholicorum* contra legem in Comitiis proiectatam tam quoad transitum ab una religione ad aliam, quam quoad copulationem et iudicatum causarum matr. siquidem utraque proposita lex in principia Religionis Catholicae impingeret.[45]) Declaratione Eppi et Catholicorum a Regio Gubernio ad thronum Regiae Maiestatis perlata,[46]) idem Eppus non intermisit negotium pergrave distincta ad Regiam Maiestatem complecti repraesentatione, pluribus motivis firmata: in eaque duo cumprimis oppugnabat acatholicorum postulata, ut quippe matrimoniis mixtis acatholicus quoque assistat minister, et causae mixtorum matr. in foris acatholicorum agantur.[47]) Idem denique Praesul occasione editae Resolutionis Regiae de negotio religionis, Gubernio Regio energicam exhibuit 1792 super eo declarationem : quod Resolutio

---

[42]) *Mon.* 1068. pag. 192.
[43]) *Mon.* 1069. pag. 194.
[44]) *Mon.* 1070. pag. 195.
[45]) *Mon.* 1071. pag. 195.
[46]) *Mon.* 1072. pag. 197.
[47]) *Mon.* 1073. 1074. pag. 198.

praevia nec principiis catholicis praeiudicare, nec statum, in quo res mixtorum matr. quoad assistentiam catholici parochi, et cognitionem causarum matr. antea constituebatur, mutare possit.[48]) Idem denique Eppus apud Gubernium a. 1798 exoperatus est, ut cassata sententia fori Unitariorum, in causa matr. mixti pro divortio pronunciata, actor ad causam suam coram foro ecclesiastico catholico proseqnendam inviaretur.[49])

A. 1802 emanavit *Resolutio Regia,* improbans abusus quoad copulationem in mixtis matr. et causarum matrimoniorum horum cognitionem commissos, et strictissime iniungens: ut tam copulatio porro quoque per parochos catholicos peragatur, quam cognitio ac decisio causarum in huiusmodi matrimoniis foro Ecclesiae Catholicae servetur.[50]) Cuiusmodi Resolutionem Praesul Dioecescos Clero suo medio ADiaconorum cum accomoda instructione notam reddidit.[51])

Ad ea, quae de Pastoralibus literis Eppi Transilvaniensis a. 1841. evulgatis Tom. I. p. 574. et T. 3. p. XCI retulimus, instar supplementi addendum censemus: ex inspectis per nos Actis Tabularii dioecesani Transilv. patere, Eppum *Nicolaum Kovács* dd. 20 Aprilis 1841 edidisse duplicis ordinis Pastorales literas: *primo* de institutione quoad matrimonium in genere, iis, quas Praesules Hungariae a. 1840 vulgarunt, prorsus conformes, adiecta unice brevi instructione catechetica de matrimonio; *secundo* de ipsis mixtis matrimoniis, quas iam Tom. 3. p. 578. exhibuimus, ab illis Hungariae Praesulum tantisper divergentes, addita Instructione duplici, quae cum Hungarica plene concordat; eundem porro Eppum adversus sparsos in publicis pagellis rumores, quasi a corpore Praesulum Hungariae semet separasset, et in matr. mixtis unice legum patriarum observantiam Clero iniunxisset, datis ad Eppum Csanadiensem, e missione Epporum Hungariae tunc Romae commorantem literis, se defendisse, et congruum a Praesule Csanadiensi responsum accepisse.[52]) — Id tamen

---

48) *Mon.* 1075 pag. 203.
49) *Mon.* 1076. pag. 206.
50) *Mon.* 1077. pag. 207.
51) *Mon.* 1078. pag. 209.
52) *Mon.* 1079. 1080. pag. 210.

singulare in Transilvania accidit, quod *Consistorium Alba-Carolinense* etiam post Instructionem S. Sedis a. 1841 pro Hungaria et Transilvania editam mixta matrimonia coram ministris acatholicis contracta pro irritis ac nullis declaraverit. Duas idgenus sententias exempli instar in Monumentis exhibemus. [53])

---

b) *Historia matr. mixt. inde ab a. 1853—1868.* Mos ille, de quo paulo ante memoriam iniecimus, invalidandi connubia mixta coram ministris acatholicis inita perseveravit etiam post fata Eppi Nicolai Kováts, sub eius successore Eppo *Ludovico Haynald,* hodie AEppo Colocensi in Hungaria. Inde ab a. 1853 frequentia occurrunt in Tabulario Dioecesano Alba-Carolinensi Acta pro eo, quam zelose Eppus hic ius parochorum catholicorum per Regias Resolutiones firmatum, exclusive copulandi mixta matrimonia contra ausus ministrorum acatholicorum apud Gubernium et Ministerium C. Regium vindicare adnisus fuerit; imo non dubitaverit etiam apud S. Sedem Apostolicam pluribus remonstrationibus agere, ut *Instructio* S. Sedis, vulgo *Lambruschiniana* dicta, (a subscriptione Cardinalis Secr. Status Lambruschini) quam antecessor suus in usum neutiquam deduxerat, porro quoque extra usum maneat, et copulatio matr. mixtorum unice parochis catholicis adseratur. Alia quoque pari cum zelo suscepit apud Gubernium Civile consilia, quae ad manutenenda Ecclesiae Cath. iura opportuna iudicavit. Praecipua horum Actorum eo, quo se exceperant, ordine recensemus cum Monumentis correspondentibus.

Iam a. **1853.** questus est laudatus Eppus apud C. R. Gubernium adversus *copulationes mixtarum nuptiarum per ministros acatholicos* ductu quarumdam Circularium Superintendentialium a. 1849 editarum institutas, declarando: se sic inita matr. mixta pro invalidis habere, et per suum Consistorium iudicialiter pro talibus pronunciamda decrevisse. [54]) — Anno sequente, 1854, idem Praesul Clero suo intimari fecit: matrimonia in foris acatholicorum soluta, in Ecclesia Catho-

---

[53]) *Mon.* 1081. 1082. pag. 212. [54]) *Mon.* 1083. pag. 214.

lica nonnisi post sententiam fori catholici pro solutis haberi posse.[55]) — Anno 1856. tam Clero Curato pro directione intimavit, matr. mixta unice coram ministro acatholico inita, Instructione S. Sedis in Transilvania haud recepta, pro invalidis haberi debere,[56]) quam Locumtenentiatui C. Regio hoc ipsum uberius exposuit.[57]) Occasionem duplicis huius actus sumsit Praesul ex foliis publicis Transilvanicis quasiofficiosis, in quibus saepedictae Instructionis Pontificiae concessio quoad assistentiam ministrorum acatholicorum pro casu in eodem expresso in memoriam revocabatur. — Anno eodem erga preces apud S. Sedem interpositas Eppus obtinuit facultatem dispensandi tum in impedimento mixtae religionis, tum in imped. tertii et quarti gradus cons. et affin. dum conditionibus Ecclesiae per partes nubentes satisfit.[58]) Rescripto S. Congregationis hac occasione edito inviatur Eppus, ut Instructioni Lambruschinianae ad amussim inhaereat.

Eodem anno 1856 postquam erga propositionem Eppi Transilvaniensis obiectum matr. mixtorum in *Conferentiis Praesulum Hungariae,* tunc Viennae in obiecto Concordati Austriaci commorantium, pertractatum, consiliumque datum fuisset, ut res mixtorum matr. prout in Transilvania iacet, Sedi Apostolicae repraesentetur, *Eppus* gravissimum isthoc meritum 22 Maii reipsa *Summo Pontifici uberiore remonstratione proposuit, eiusque decisioni substravit.* In ea primum observat, *Concilium Tridentinum,* tametsi solennis eius in parochiis publicatio publici documenti ope probari non possit, in Transilvania pro publicato habitum, continuoque observatum fuisse. Tum adfert, in contrahendis matr. mixtis parochum catholicum semper pro parocho proprio habitum, connubiaque mixta coram acatholicis ministris inita pro clandestinis reputata, atque in foro iudiciali catholico ex hoc capite annullata fuisse, Regiis etiam ordinationibus huic praxi suffragantibus. Exponit dein, antecessorem suum Instructionis Lambruschinianae anni 1841 nullum officiosum usum fecisse, quod con-

[55]) *Mon.* 1084. pag. 216.
[56]) *Mon.* 1085. pag. 217.
[57]) *Mon.* 1086. pag. 218.
[58]) *Mon.* 1087. pag. 221.

cessio de assistentia ministrorum acatholicorum ab Eppis dissimulanda vel toleranda duntaxat *permissiva* videretur. Transit tandem ad recensendas difficultates, quae eidem Instructioni, quominus ab se in usum deduci valeat, actu obsunt, svadentque, ut mixta matr. quantumvis vetita ac illicita coram catholico parocho potius quam coram haeretico ministro ineantur; oratque Summum Pontificem, ut Instructio Lambruschiniana pro Transilvania porro quoque tamquam irrita, e contra praxis illic subsistens velut Apostolica auctoritate confirmata declaretur.[59]) Idem meritum Praesul S. Sedi ope libellorum supplicum dd. 5 et 26 Iulii eiusdem anni secundo et tertio repraesentavit: argumentis in prima remonstratione adductis plura addens e Tabulario dioecesano documenta pro eo, quod Instructio Lambruschiniana in dioecesi numquam in usum deducta, et matrimonia mixta aliter quam iuxta formam Tridentinam contracta per Consistorium Eppale pro invalidis enunciata fuerint.[60]) — Cum autem et *Nuntius S. Sedis* Viennae residens Eppum conveniret, ut hic suam ad Clerum dimissam declarationem de valore matrimoniorum non servata C. Trid. forma initorum communicet: Eppus petitam declarationem mox transponendo, quarta iam vice negotium isthoc S. Sedis decisioni submisit dd. 6. Aug. 1856.[61]) Tandem exarato 25 Oct. eiusdem anni quinto supplici libello decisionem ocyorem ab eadem S. Sede sollicitavit.[62]) — Ad eundem annum pertinet alius Eppi libellus supplex Regio throno substratus, adversus provisionem eam legis civilis matrimonialis, *ut catholici nupturientes obtenta ab Ordinariatu dispensatione in bannis, talem etiam a civili iurisdictione petere obligentur.* Eppus exponit, legem huiusmodi, quae acatholicos haud obligat, pro catholicis in Transilvania admodum gravem et iniuriosam esse, eam proin vel penitus revocari vel etiam ad acatholicos extendi, aut adminus eousque suspendi petit, dum et pro acatholicis similis lex perlata fuerit.[63]) —

---

59) *Mon.* 1088. pag. 223,

60) *Mon.* 1089. 1090. pag. 233. 235.

61) *Mon.* 1091. 1092. pag. 238. s.

62) *Mon.* 1093. pag. 240.

63) *Mon.* 1094. 1095. pag. 242.

Postremis anni 1856 mensibus, siquidem nulla S. Sedis decisio erga praecedentes supplices libellos emanaret, negotium istud rursus urgebat Eppus, missis ad *Nuntium Apostolicum*, ad *Cardinalem AEppum Viennensem*, et ad *C. R. Ministrum Cultus* literis, instar urgentis momenti id adducendo, quod nova lex matrimonialis cum 1 Ianuarii 1857 vigorem suum nanciscatur, optandum itaque sit, ut res quo prius decidatur.[64]) *C. R. Minister* respondit mox ad literas Praesulis : liberum quidem fore Eppo de Instructione Lambruschiniana, quam Regimen pro valida et in Transilvania quoque obligante agnoscit, aliter sentire usque decisionem S. Sedis; id unum tamen desiderari, ut promulgationes matr. mixtorum in Ecclesia Catholica eousque etiam instituantur.[65])

A. 1857 obtenta ad repraesentationem circa *promulgationes matrimoniorum* resolutione, hanc ad notitiam Cleri dioecesani perferri fecit Eppus. Resolutio autem id significabat, quod iurisdictiones civiles inviatae sint ad concedendas sine difficultate dispensationes, dum tales Ordinariatus elargitur, et quod legis huius extensio ad acatholicos ocyus decernenda sit.[66]) — *AEppo Colocensi* de praxi circa matr. mixta in Transilvania vigente sciscitanti respondit Eppus penes communicationem suarum repraesentationum ad S. Sedem et Dicasteria Politica exaratarum : matr. mixta coram acatholico ministro inita pro clandestinis, et vigore sententiarum Consistorialium invalidis in Transilvania haberi; unam ex his sententiis ad forum Metr. Colocense appellatam in hoc etiam foro adprobatam a. 1856. extitisse ; Instructionem Lambruschinianam numquam publicatam fuisse; legis civilis loco praesto esse Rescripta Regia de copulatione mixtorum matr. per parochos cath. facienda etc.[67]) — *Nuntius Apostolicus* primis diebus Ianuarii provocavit Praesulem, ut eousque, donec causa matr. mixtorum a S. Sede decisa non fuerit, *a pronuncianda nullitatis sententia quoad matr. mixta coram acatholico ministro inita abstineat.*[68]) — *AEppus Colocensis* de forma sive modo, quo in cognoscendis causis matr. per

[64]) *Mon.* 1096—1098. pag. 245—248.

[65]) *Mon.* 1099. pag. 250.

[66]) *Mon.* 1100. pag. 252.

[67]) *Mon.* 1101. pag. 253.

[68]) *Mon.* 1102. pag. 255.

fora acatholica ad solutionem vinculi decisis, procedendum sit, petitam inviationem subministravit Praesuli Transilvaniensi.[69]) — Principio Februarii Eppus ad Rescriptum Ministri Cultus, in quo promulgationes mixtarum nuptiarum etiam usque superventuram controversae causae decisionem institui debere enunciavit, responsurus, prolixam adornavit remonstrationem, id evolventem, *quod pro casu, quo non praestitis cautionibus intentio nubentium ad ministrum acatholicum confugiendi praevie constat, promulgatio huiusmodi matrimonii admitti non possit.*[70]) — Paulo post duplici exarata litera eundem Ministrum et tertia ad Locumtenentiam, maiorem in modum interpellavit, *ut ministros acatholicos illegaliter copulantes, et causas matrimoniorum mixtorum in foro suo cognoscentes, item mixta matr. cum Reversalibus contracta promulgare detrectantes coërceri faciat.*[71]) — Minister C. R. ad has Praesulis literas rescribens, quemadmodum ministros acatholicos ad suscipiendas omni in casu promulgationes inviatos esse significavit, ita denuo enunciavit, similes *proclamationes nec ex parte parochorum cath. intermitti posse,* licet controversia per S. Sedem nondum decisa sit.[72])

A. **1858** Eppus apud Ministrum C. R. legis circa dispensationem a bannis a politica iurisdictione petendam ad acatholicos extensionem ursit;[73]) anno autem **1859** decisionem controversiae de Instructione Lambruschiniana apud S. Sedem accelerari petiit.[74])

Anno demum **1860** decisa est per Sedem Apostolicam controversa quaestio cum in sensum, *ut Instructio Lambruschiniana in Transilvania sine ulteriore mora in usum deducatur;* postquam etiam ex parte C. R. Regiminis promissum est, providendum fore, ne parochi catholici in excipiendis a sponso acatholico cautionibus super catholica prolium educatione impediantur. Documenta ad decisionem hanc pertinentia sequenti se excipiunt ordine : *Nuntii Apostolici* litera, penes quam Eppo transponit ipsam decisionem; porro epistola *Car-*

[69]) *Mon.* 1103. pag. 256.
[70]) *Mon.* 1104. pag. 258.
[71]) *Mon.* 1105—1107. pag. 270—275.
[72]) *Mon.* 1108. pag. 283.
[73]) *Mon.* 1109. pag. 287.
[74]) *Mon.* 1110. pag. 289.

dinalis a Secretis Status ad Eppum, decisionem ipsam S. Sedis indicans; item litera *Secretarii Congregationis negotiis eccles. praepositae* in eodem merito; demum *Rescriptum C. R. Ministri Cultus* ad Eppum.[75]) In postremo documento annunciat Minister: Resolutione Regia inviandos fore politicos Transilvaniae Officiales, ut nulla ponant impedimenta, quominus parochi catholici a sponsis diversae religionis desideratas per Ecclesiam cautiones de cath. educatione prolium excipiant, quamvis cautiones eiusmodi in sensu legis pro Transilvania vigentis medio coactivo ex parte Gubernii succollari nequeant. — *Eppus* accepta decisione S. Sedis primum requisivit C. R. Ministrum Cultus, *ut Regiam Resolutionem* eatenus editam *instar corollarii legis matrimonialis per officiosas Regiminis pagellas publicari faciat;*[76]) tum Clerum Curatum inviavit, *ut promulgationes mixtorum matr. etiam in eo casu, quo sponsa catholica declararet, se coram acatholico ministro copulari velle, instituat;*[77]) ubi vero a Gubernio *normativos ordines* in sequelam pontificiae decisionis ad Officia politica et Superintendentias dimissos accepisset,[78]) eosdem ad notitiam Cleri pertulit.[79]) In casu demum singulari, quo catholica pars matr. mixtum inire volens, recensata parochi passiva assistentia, se eidem sistere noluit, eam impertitus est Praesul quaerenti parocho instructionem: quod illum duntaxat e suis fidelibus promulgare teneatur, qui se coram parocho suo sistit, suamve matrimonium contrahendi voluntatem aperit.[80])

Anni 1864 ultimis diebus memorabilem concinnavit *Vicarius Generalis* Transilvaniensis declarationem ad Regium Gubernium contra factum *Reformatae Synodi*, sententiam Consistorii Alba-Carolinensis in causa matrimoniali ex capite adulterii ad perpetuum a thoro et mensa divortium 1860 latam, et in foro Appellatorio Colocensi 1861 adprobatam, in divortium quoad ipsum vinculum transmutantis, viroque adultero apostatae facultatem tribuentis, ut non obstante ligamine, quo uxori suae catholicae indissolubiliter nectitur, novum cum

[75]) *Mon.* 1111—1114. pag. 290. ss.
[76]) *Mon.* 1115. pag. 293.
[77]) *Mon.* 1116. pag. 295.
[78]) *Mon.* 1117. pag. 295.
[79]) *Mon.* 1118. pag. 298.
[80]) *Mon.* 1119. pag. 299.

concubina sua, a fide catholica pariter deficiente, inire valeat matrimonium. In declaratione, ad quam ipsum Gubernium provocavit Vicarium, docte elisis quibusvis argumentis a Reformata Synodo in confirmationem suae determinationis adductis, principia catholica et iura Ecclesiae insigniter evoluta visuntur.[81]) Priusquam declarationem Gubernio exhiberet, communicavit eam Vicarius cum *Metropolita Colocensi :* qui illam velut legibus et Resolutionibus Regiis conformem, ac perniciosa actuum huiusmodi consectaria apprime adumbrantem invenit et probavit.[82])

---

c) *Appendix de matrimoniis Calvinistarum cum famosa conditione* ,donec in honestate permanseris', *initis.* Non possumus historiam mixtorum matr. in Transilvania concludere, quin de coniugiis, quae Calvinistae in Transilvania cum famosa illa conditione ,donec in honestate et puritate permanseris' contrahunt, quidpiam adnotemus, idque hoc magis, quod frequentes etiam in *Hungaria* de similibus matrimoniis emerserint quaestiones, neque una fuerit de valore vel nullitate eorumdem Praesulum ac Sacr. Sedium Consistorialium sententia. Praevie autem observamus, nos completam de hoc merito historiam texere nolle, sed solum praecipua documenta tum ex Transilvania tum ex Hungaria exhibere, e quibus status quaestionis ubertim intelligitur. Praecipuum documentum est ipsius doctissimi Pontificis *Benedicti XIV*, sub quo primum systematice ventilata extitit haec quaestio, sententia, contenta in celebri eiusdem opere *de Synodo Dioecesana :* e qua et status quaestionis clare colligitur, et historia discussionum sub ipso habitarum elucet. Constat ex illa : quaestionem super matrimoniis mixtis cum conditione substantiae matrimonii contraria iam a. 1680 in S. Congreg. Officii erga propositionem *Eppi Bosnensis* discussam decisamve fuisse. Proprie tamen primum uberioris super conditione famosa, verbis supra expositis concepta, et contractui matrimoniali adiecta,

---

81) *Mon.* 1120. pag. 300. 82) *Mon.* 1121. 1122. pag. 315.

examinis exemplum ex *Transilvania* de anno 1748 adducit Benedictus XIV, dum *Christina Macskásy* cum *Stephano Várady* ritu calvinistico et cum praefata conditione matrimonium contrahens subin ad fidem catholicam conversa, cum *Michaele Dósa* alterum, vivente adhuc priori viro, ritu catholico iniit matrimonium. Alterum hoc matrimonium praefatae mulieris, ut idem Pontifex prosequitur, occasionem praebuit Transilvaniae Praesulibus interrogandi apud S. Sedem, num matrimonium, quod mulier recens conversa cum viro catholico celebravit, validum foret, an nullum? Addit Pontifex: eodem tempore propositos fuisse alios duos matrimoniorum Calvinisticorum casus: in quorum uno vir, in altero utraque pars ad fidem catholicam conversi, dubitarunt, num matrimonia ipsorum cum conditione inita valida fuerint nec ne? item ad quale forum se convertere debeant, ut de matrimonio ipsorum sententia feratur? et S. Congregationem resolvisse: *matrimonia* in utroque casu *nulla prorsus esse; indignum* quoque *fore, recurrere ad Calvinistas pro declaratione divortii quoad vinculum.* — Dubium porro de matrimonio Christinae Macskásy iuxta eadem S. Congr. Officii principia, praemisso longiori cumprimis quoad procurandam debitam de adiectione famosae conditionis certitudinem examine, receptisque iteratis Eppi Transilvaniensis, item Epporum *Agriensis* et *Weszprimiensis* informationibus, per Breve 20 Maii 1754 editum decidit idem Benedictus, declarando: matrimonium praevium ritu calvinistico (cum famosa conditione) contractum irritum ac nullum fuisse, ac proinde validum esse alterum ritu catholico initum. In Brevi provocat Summus Pontifex ad decretum S. Congr. anni 1748 supra laudatum, ac simul refellit, quae Eppus Transilvaniensis pro valore matrimonii Calvinistici in medium protulit.[83])

Adiuncta matrimonii *Christinae Macskásy*, de quo Benedictus XIV praeallato Brevi sententiam pronunciavit, uberius exposita invenimus in documento Tabularii dioecesani Transilvaniensis, e quo simul apparet, ex parte Eppi et Gubernii Civilis executionem Brevis Pontificii diu impeditam fuisse. Quae in hoc documento historice referuntur usque ad edi-

[83]) *Mon.* 1123—1132. pag. 317—352.

tum a. 1754 Breve Pontificium, in substantia concordant cum iis, quae in opere Benedicti XIV de Syn. Dioec. continentur, et superius allata sunt: plures tamen adhuc circumstantias ante finalem decisionem emergentes memorant, attentione dignas. Iuxta deductionem nempe documenti Transilvanici causa matrimonialis Christinae Macskásy anno 1748 primum in generalibus solum terminis Romam delata fuit, et abinde pariter generalibus terminis conceptum emanavit decretum super nullitate coniugiorum Calvinianorum sub famosa conditione contractorum. Decisione hac per Eppum eius temporis neutiquam acceptata, et processu ad divortium per Regimen iussum apud forum Calvinisticum suscitato, eadem Christina Macskásy a. 1752 coram parocho et testibus fraudulenter inductis cum Michaele Dósa novum contraxit coniugium. Eppo dein sic coniunctis sponsis mutuam cohabitationem severe prohibente, imo eosdem in ius vocatos poena etiam 100 aureorum mulctante, matrimoniumque ipsorum pro nullo declarante, iidem 1753 novo libello supplici Romam misso, causam suam promoverunt; in cuius decursu petita ab Eppo informatione, haeve per Eppum post factam cum aliis Praesulibus communicationem Romam reipsa submissa, emanavit 1754 superius laudatum Breve Apostolicum, eo data Eppo commissione, ut coniuges matrimonialiter cohabitare sine cunctatione permittat. Verum Eppus non tantum priori suae sententiae insistebat, verum exarata nova ad S. Sedem Apost. repraesentatione declaravit: decisionem pontificiam in Transilvania sine offensa Principis, et perturbatione Publici Status in executionem sumi haud posse. Cum autem Summus Pontifex 1755 Eppo rescribi fecerit, hic non agi de matrimoniis Calvinistarum inter se contractis atque in errore continuo perseverantibus, sed de matrimonio, dum pars una ad fidem catholicam revertitur, nec superesse aliud, quam ut Eppus quoque idem cum Pontifice teneat: Eppus denuo respondit: se ad executionem Brevis procedere non posse; imo rem omnem mense Iulio 1755 ad Regium thronum pro edenda congrua decisione detulit. Erga cuiusmodi remonstrationem Imperatrix et Regina Maria Theresia a. 1756 disposuit: ut Eppus suae sententiae insistat, implorata etiam pro re nata

Regii Gubernii auctoritate, et, si ad executionem Brevis Apostolici moneretur, ad Aulam Regiam recurrat. — In eadem deductione Transilvaniensi refertur porro, eam deinceps invaluisse in huiusmodi matrimoniis praxim, ut matrimonia Calvinistarum ob fatalem conditionem pro invalidis quidem habita sint sensu catholico, sed solum secrete, ne publicus Status offendatur; coniuges itaque conversi ad alia vota admissi fuerint, sed solum tunc, dum per fora Calvinistica divortium totale obtinuerunt; praximque hanc eo etiam tempore, dum deductio haec exarata est, viguisse. Postremo exponit deductio Officii Dioecesani: ad quaesita *Vicarii Strigoniensis Francisci Com. Berchtold* circa matrimonia istiusmodi ex parte Ordinariatus Transilvanici responsum fuisse: 1. Rescripta Benedicti XIV superius memorata in usum deducta non esse; 2. quoad matrimonia Calvinistarum, et Unitariorum, siquidem et hi cum conditione famosa ineant coniugia, id obtinere, quod supra notatum est, nimirum conversis admitti nova matrimonia, sed tunc tantum, si in foris priorum Confessionum suarum divortium obtineant; 3. quoad Lutheranos, qui sine praefata conditione ineunt matrimonia, nil peculiare notandum venire.[84])

Sub Eppo *Ios. Ant. L. B. Bajtai,* iurium Ecclesiae tenace et secus etiam erudito viro, a. 1763. novum emanavit *Regium Rescriptum* de norma in iudicandis mixtorum matr. causis reflexe ad Breve Benedictinum anni 1754: in quo Eppus, quoad causas matrimoniales conversorum ex Calvinismo ad fidem salvificam quaestionem ponens, eo inviatus fuit, ut, quum Pontificium Breve sine Placeto Regio vim Constitutionis in Transilvania non obtinuerit, matrimonia conversis tunc solum concedantur, ubi separationem a respectivis foris impetraverint.[85]) Eppus tum ex incidenti huius, quam alterius Regii Rescripti in simili causa 1766 editi, pro vindicando iure suo cognoscendi similes conversorum matrimoniales causas Regiae Maiestati eodem anno, 1766, energice repraesentavit. Diluit omnia argumenta, quae Reformati pro iure fororum suorum adducebant, et ex sacris canonibus egregie ostendit, ius

[84]) *Mon.* 1133—1142. pag. 354—375. [85]) *Mon.* 1143. pag. 380.

in praeviis causis iudicandi sibi unice competere, verbisque Benedicti XIV utendo, enunciavit: *indignum prorsus esse, ut Catholici pro declaratione divortii ad Calvinistas recurrant.*[86]) Verum repraesentatio haec nullum videtur habuisse effectum, cum iuxta superius descriptam Deductionem Officii Dioecesani a. 1770 et deinceps praxis prior adhuc vigeret. Imo constat, eandem porro quoque viguisse, postquam Maria Theresia sub ea conditione Brevi Benedictino Placetum Regium adiecerat, ut ante nova matrimonia per partes ad fidem conversas ineunda causa primi matrimonii in foro Calvinistico pertractetur et divortium impetretur. Interim a. 1774 eadem Maria Theresia tum in Transilvania tum in Hungaria, agente cumprimis Eppo MVaradinensi Adamo L. B. Patachich, conditionem famosam copulationi adiici severissime probibuit, eamque ex Agendis sive ritualibus libris Reformatorum expungi iussit.[87])

Anno 1781 sub Eppo *Ignatio C. Batthiány* Consistorium Alba-Carolinense super nullitate matrimonii Calvinistarum cum famosa conditione initi rursus opinionem suam Eppo depromserat; e qua apparet, sententiam Benedicti XIV non obstantibus civilibus rescriptis ac mandatis pleno in robore perstitisse.[88]) Ad hanc Benedicti XIV sententiam provocavit etiam *Pius VI* PP. in celebri suo ad *Eppum Agriensem* rescripto anni 1789 de qualinam vi ac virtute sententiae fororum civilium in rebus vinculi matrimonialis.[89]) — Huc denique spectat memoratu digna Eppi Transilvaniensis litera ad Parochum *Torjensem* 1800 dimissa: in qua et sententia Benedicti XIV denuo in memoriam revocatur, et quaestio de foro cognoscendi causam matrimonii coram ministro Calvinistico contracti pertractatur, et alia insuper de assistentia parochi proprii per S. Conc. Trid. requisita proponuntur.[90])

---

[86]) *Mon.* 1144. pag. 380.
[87]) *Mon.* 1145. pag. 385.
[88]) *Mon.* 1146. pag. 386.
[89]) *Mon.* 1147. pag. 391.
[90]) *Mon.* 1148. pag. 392.

Anno 1815 pro *Hungaria* emanavit nova *Regia Resolutio* de matrimoniis Calvinistarum conditione famosa affectis, Consistorio Reformatorum iniungens, ut ministros sibi subordinatos ad formulam copulationis in recentiore liturgiae editione contentam deinceps observandam inviet, et ab omni additamento, cumprimis famosae conditionis, sub gravi onere responsionis abstinendum iubeat, conditione hac *pro non adiecta* habenda.[91]) Quum Resolntio haec Regia, si ea in iudiciis sacrorum fororum pro cynosura servari deberet, in ipsum ius sacrae potestatis, iuxta ss. canones in rebus matrimonialibus iudicandi, involare merito censeretur: *Consistorium Metrop. Agriense* erga desiderium AEppi sui a. 1816 meritum hoc discutiens, eam depromsit APraesuli opinionem: Regiam Maiestatem exorandam esse, ut declaret, *praedictam Resolutionem, si abrogari haud posset, unice quoad effectus civiles et ad principia Reformatorum editam esse, quin per eam Eppis horumque sacris Sedibus necessitas imponatur recedendi a iudicando secundum canones et leges Ecclesiae, iuxta quas hactenus circa conditiones matrimonio adiectas iudicarunt.*[92])

Annus 1819 occasionem suppeditavit, quaestionem de conditionatis Reformatornm in Hungaria matrimoniis uberiori discussioni subiiciendi. *Eppus* namque *Rosnaviensis* proposuit suo *Metropolitae Agriensi* casnm matrimonii cum famosa conditione initi, et parte una ad fidem conversa, per hanc ipsam annihilari postulati. Dum autem sensum Metropolitae sui exquisivit, simul declaravit: se una cum Consistorio suo, non obstante praecitata Resolutione Regia, ita sentire, quod matrimonia cum praevia conditione inita sint secundum ius canonicum ob dirimens impedimentum nulla.[93]) *AEppo Agriensi* in suo responso id manifestante, qnod ob divergentem super hac quaestione Praesulum et Consistoriorum Hungariae sensnm, opportnnum sit, plurium Epporum sensa exquirere,[94]) *Eppus Rosnaviensis* id etiam praestitit, et exqnisito 13 Praesulum sensu, de resultato AEppum Agriensem edocuit, et, siquidem dissentientes forent Epporum sententiae, mentem

[91]) *Mon.* 1149. pag. 398.
[92]) *Mon.* 1150. pag. 399.
[93]) *Mon.* 1151. pag. 400.
[94]) *Mon.* 1152. pag. 401.

AEppi denuo sibi aperiri oravit.[95]) *Responsa Epporum*[96]) in depromenda de valore vel nullitate matrimoniorum in quaestione positorum sententia ab invicem divergunt: Eppis *Scepusiensi* (qui plane ius Principum statuendi imp. matr. dirimentia, et materiam Sacramenti matr. contractum civilem propugnabat), *Zagrabiensi, Weszprimiensi,* et AEppo *Strigoniensi* fundamento Resolutionis Regiae anni 1815 pro valore; Eppis autem *Vaciensi, Albaregalensi, Diakovariensi, Nitriensi,* item Vicariis Capitularibus *Colocensi,* et *MVaradinensi* ductu ss. canonum et decisionis Benedicti XIV pro nullitate dictorum matr. enunciationem facientibus; porro Eppo *Szathmariensi* eousque, donec casus in sua dioecesi emerserit, declarationi Benedictinae se inhaesurum significante; Eppo *Neosoliensi* non quidem inconditionate, sed tamen sat clare pro nullitate sententiam dicente: Eppo demum *Iaurinensi* post editam anni 1815 Resolutionem Regiam matrimonia quaestionata pro validis declarante. *AEppus* tandem *Agriensis,* cuius sententiam Eppus Rosnaviensis postremo exquisiverat, accessit illi Praesulum parti, quae pro valore matrimonii cum famosa conditione contracti se enunciavit, existimans, post civiles prohibitiones conditionem illam redditam esse turpem ac impossibilem.[97])

E recentissimo tempore pro coronide appendicis nostrae notamus: in foro metrop. *Agriensi* a. 1855 latam et per forum Primatiale approbatam fuisse sententiam pro nullitate matrimonii cum famosa conditione initi. Sententia ipsa, sacris canonibus et decisionibus S. Sedis apprime conformis, et vim obligativam civilium legum contrariarum, si quam habuissent, apposite enervans, in Monumentis nostris exhibetur.[98])

C. **In Austria.**

a) *Addenda ad historiam T. I. p. 576. ss. et T. III. p. XCII. ss. relatam.* Relate ad historiam mixtorum matr. in

[95]) *Mon.* 1153. pag. 402.
[96]) *Mon.* 1154 - 1166. pag. 403—418.
[97]) *Mon.* 1167. pag. 418.
[98]) *Mon.* 1168. pag. 420.

Austria, quam Tomis tribus usque annum 1853 perduximus, supplementi instar adiicienda deprehendimus sequentia :

1. *Tom. I. §. 282. p. 576.* Celebre responsum *theologorum protest. Helmstadiensium* loco citato memoratum pro eo, quod lutherana principissa catholico principi nubens religionem catholicam tuta conscientia amplecti possit, ea occasione redditum, dum primis sec. 18 annis Elisabetha Christina e domo Brunsvicensi Carolo VI Imperatori Romanorum nuberet, inter Monumenta collocamus,[99]) ac una Brevia *Clementis XI* Papae tam ad dictam Principissam, quam ad AEppum Moguntinum de a. 1707 subiungimus.[100])

2. *Tom. I. §. 283. p. 579.* Regimen Austriacum sub Iosepho II Imp. dd. 29 Ian. 1787 enunciavit : matrimonia mixta inter catholicos et protestantes ita esse indissolubilia, prout pura catholicorum coniugia, et partem acatholicam per initum cum catholico matrimonium eo ipso renunciare iuri suo petendi divortium. — De Eppo *Tergestino* autem constat, eum a. 1790 mox post obitum Iosephi II Regimini proposuisse, ut mixta matrimonia probibeantur. *(Aktenstücke zur Geschichte des österr. röm. kath. Kirchenwesens unter Leopold II.* Wien. 1850. p. 44.)

3. *Tom. I. §. 284. p. 580.* E legibus civilibus Austriacis licet plures proferre pro eo, quod proles ex parentibus mixtae religionis *extra matrimonium* genitae in religione matris educandae fuerint, cum opportunis pro favore religionis catholicae cautelis. Producimus leges de a. 1796. 1821. 1823.[101]) — Romae a. 1856 morantes deteximus in libris Tabularii Vaticani exemplum *Instructionis a S. Congr. Off. AEppo Viennensi* a. 1806 missae quoad propositum casum mixti matrimonii : in quo pro parte sponsae petebatur facultas celebrandi coram ministro acatholico coniugii.[102]) — Ad annum 1829 refertur decretum Regiminis *de assistentia parochi cath. penes matrimonia acatholicorum,* cuius ope Gubernium Civile parochos catholicos qua Status delegatos instruit, qualiter conseusum

---

99) *Mon.* 1169. pag. 422.

100) *Mon.* 1170. 1171. pag. 430. s.

101) *Mon.* 1172—1175. pag. 432.

102) *Mon.* 1176. pag. 434.

matrimonialem acatholicorum excipere debeant.[103]) Cum Statui non competat ius, parochis catholicis similem delegationem tribuendi, nec parochi eam acceptare possint, manifestum est, decretum praefatum ad illorum numerum referri, quae Status Civilis nonnisi per transgressionem limitum suae activitatis perferre potuit. — Anno 1837 edita est pro *Dalmatia* resolutio Caesarea, educationem prolium e matr. mixtis iuxta principia legislationis Austriacae regulans.[104])

4. *Tom. I. §. 287. p. 585.* Eppus *Premisliensis* in Gallicia a. 1839. pro casu, ubi pars catholica benedictionem sui matrimonii per pastorem acatholicum fieri intenderet, vel ubi pastor testimonium de bannis a parte catholica exigeret, testimonium denegari, et casum ad Ordinariatum pro decisione perferri iussit.[105])

5. *Tom. I. §. 289. p. 591.* Cum ipsas literas *AEpp orum Austriaci Imperii* ad S. Sedem in obiecto mixtarum nuptiarum 1840 directas atque medio Praesulis Csanadiensis submissas obtinere nobis licuerit, eas inter Monumenta referimus, quemadmodum et libellum supplicem Praesulum Hungariae T. II. 804. exhibuimus. Sunt autem VII AEpporum literae, quippe *Olomucensis, Goritiensis, Viennensis, Leopoliensis L. R., Leopoliensis G. R., Pragensis*, et *Salisburgensis.*[106])

6. *Tom. III. p. XCIII.* Anno 1843 decreto aulico vetitum fuit, ne occasione mixti matr. a sponso acatholico *Reversales de non seducenda muliere* (ad haeresim) exigantur, cum proselytismus sub poenali sanctione sit prohibitus, sed solum Reversales de educandis in fide catholica prolibus recipiantur.[107]) — Anno 1849 Praesules Imperii Viennae pro *Conferentiis* congregati in suis Conclusis quoad matr. mixta enunciarunt: optandum esse, ut, inducta passiva assistentia, Civile Gubernium penes actualem legislationis in hoc merito statum permaneat; porro iustum esse, ut *Reversales* de catholica prolium educatione tamquam veri iuridici contractus ac pacta manuteneantur; casum vero in eum, si lex, quae in

[103]) *Mon.* 1177. pag. 435.
[104]) *Mon.* 1178. pag. 436.
[105]) *Mon.* 1179. pag. 437.
[106]) *Mon.* 1180—1186. pag. 438.
[107]) *Mon.* 1187. pag. 458.

mixtis matr. omnes proles patre catbolico genitas fidem catholicam sequi iubet, abrogaretur, deposcendas fore etiam a sponso catholico cautiones super catholica prolium educatione.[108]) Desideria baec et conclusa iidem Praesules ope repraesentationis eodem anno Ministerio quoque Imperiali significarunt.[109]) — Anno **1850** binis Rescriptis indulsit *Minister Cultus, ut matr. mixta,* postquam coram parocho catholico seu penes passivam assistentiam, seu cum benedictione rituali celebrata sunt, et desuper extractus matricularis per sponsos exhibetur, *etiam in Oratoriis protestanticis benedici possint.*[110]) — Anno eodem *Ordinariatus Olomucensis* uberiorem dedit Clero Curato Instructionem quoad quaestionem *de benedictione mulieris post partum,* id decernentem, ut baec mulieri catholicae tunc tantum praestetur, dum matr. mixtum cum conditionibus ab Ecclesia depostis contrahitur, e contra nec mulieri catholicae, quae penes passivam assistentiam nupsit, nec mulieri acatbolicae viro catbolico nubenti administretur.[111]) Idem Ordinariatus a. **1853** novam de modo petendae in impedimento mixtae religionis ab Ordinariatu et respective a S. Sede dispensationis edidit Instructionem.[112])

---

b) *Continuatio historiae matr. mixt. ab a. 1854—1868.* Quae in Austria bac annorum periodo notatu digniora evenere, redeunt ad sequentia:

A. **1854** Consistorii *Litomericensis* in Bohemia Circulare ad Clerum, doctrinam Ecclesiae de mixtis matr. et praxim in memoriam revocans, clare enunciat: partem catholicam, quae in sequelam Rescriptorum Ministerialium anni 1850 (paulo ante citatorum) post conclusum coram parocho catholico connubium ad ministrum acatholicum pro recipienda illic protestantica benedictione confugit, novum committere peccatum; et eapropter ad partes muneris parochialis pertinere, catholicos ab huiusmodi actu perpetrando dehortari.[113])

---

108) *Mon.* 1188. pag. 458.
109) *Mon.* 1189. pag. 459.
110) *Mon.* 1190. 1191. pag. 461.
111) *Mon.* 1192. pag. 462.
112) *Mon.* 1193. pag. 469.
113) *Mon.* 1194. pag. 470

A. **1855** occasione negotiationum de pangendo *Concordato*, dedit Plenipotentiarius Caesaris *APraesul Viennensis* ad Plenipotentiarium Summi Pontificis Card. Pronuntium Viennensem 6 Aug. literas: in iisque exposito legum civilium de matr. mixtis tenore, nomine Caesaris declaravit: *Caesarem censere, ut constitutiones circa mixta matr. in ditionibus suis omnibus, prout sunt, intemerate conserventur, siquidem per illas rei catholicae melius quam alia quacunque ordinatione consulatur; item velle Caesarem, ut lex anni 1842 de vigore ac firmitate Reversalium integra servetur.*[114])

A. **1856** *nova lex matrimonialis* Austriaca, pro universo Imperio perlata, leges circa matr. mixta adusque vigentes non tantum in suo statu reliquit et confirmavit, sed et congruis sanctionibus munivit, principiisque catholicis accomodavit. Inserimus Monumentis tum textum legis, tum articulum *Patentalium* Caes. huc spectantem, tum §§-os *Instructionis pro iudiciis ecclesiasticis* de matr. mixtis, tum denique extractum *Pastoralis* epistolae *AEppi Viennensis* de nova lege matrimoniali.[115]) Dum nova haec lex matrimonialis vulgaretur, magnas in publicis diariis et literariis opusculis experiri debuit contradictiones, ideo, quod tam rem matrimonialem in genere, quam rem mixtorum matr. in specie ad normam Iuris Canonici et principiorum catholicorum stabiliverit.

A. **1857** *Cardinalis AEppus Viennensis* fusiore litera respondit *Cardinali AEppo Zagrabiensi* quaerenti: num et Hungariae ac adnexarum partium Eppi facultatem *dispensandi* in impedimento mixtae religionis a S. Sede petere debeant? Docte evolvit epistola Cardinalis Viennensis necessitatem petendae dispensationis.[116]) — Eodem anno *Consistorium Litomericense* omnem cooperationem in matr. mixtis prohibuit Clero Curato, dum ea spretis omnibus legibus, furtive coram *extraneis* pastoribus acatholicis contrahi intenduntur.[117])

A. **1858** *Concilium Provinciale Viennense* doctrinam de

---

[114]) *Mon.* 1195. pag. 473.

[115]) *Mon.* 1196—1199. pag. 474.

[116]) *Mon.* 1200. pag. 482.

[117]) *Mon.* 1201. pag. 493.

matr. mixtis breviter proposuit et inculcavit; [118]) *Ordinariatus* vero *S. Hippolyti* completam Instructionem de hoc argumento edidit. [119])

A. **1860** *Synodus provincialis Pragensis* non modo de doctrina et praxi quoad mixta matrimonia necessariam continet instructionem, verum etiam argumenta gravia suppeditat pro dehortatione fidelium ab ineundis periculosis idmodi coniugiis. [120]) Eodem anno *Tribunal matrimoniale Pragense* per sententiam summariam in casu recursuali matrimonii mixti *Lipsiae* coram pastore protestantico initi, atque a parte catholica ad forum Pragense delato enunciavit: matrimonium memoratum, siquidem e declaratione Vicarii Apostolici Saxoniae constaret, Lipsiae Concilium Tridentinum non esse promulgatum, validum fuisse. [121])

Inde ab a. **1857—1860** complura edidit *Caes. Regium Ministerium Cultus* Rescripta partim ad Iurisdictiones Civiles, partim ad Praesules de re mixtorum matrimoniorum, signanter *de religione prolium, quarum parentes ad fidem catholicam convertuntur; de copulatione per ministros acatholicos; de educatione prolis masculae e matr. mixto, cuius una pars, nempe vir catholicus, a fide defecit*; *de observatione matricae inserenda super declaratione sponsorum acatholicorum quoad catholicam educationem prolium; de extraneis in mixto matr. viventibus et in Imperio commorantibus; de copulatione, dum una pars est extranea; de educatione prolis e matr. mixto, cuius pater in amentiam incidit; de baptismo et sepultura prolis e matre protestantica extra matrimonium genitae; de baptismo et educatione prolis e matr. mixto penes Reversales inito; de Reversalibus qualiter exequendis, dum pars catholica a fide deficit* etc. Rescripta haec, prout illa, quae Hungariam concernebant, Monumentis inseruimus, hic quoque inter eadem collocamus. [122])

A. **1861** duplex lucem adspexit *proiectum novae legis* circa matr. mixta in Austria: alterum tamquam *Ministeriale*

---

118) *Mon.* 1202. pag. 494.
119) *Mon.* 1203. pag. 495.
120) *Mon.* 1204. pag. 501.
121) *Mon.* 1205. pag. 505.
122) *Mon.* 1206—1219. pag. 506.

se enunciarunt, quae quippe et indissolubilitatem vinculi matrimonialis penes mixta connubia illaesam servaverit, et secus quoque principiis catholicis magis, quam qualibet alia provisio, faverit.[129])

A. **1868** occasione pertractatae in *Imperiali Consilio novae* infaustae *legis matrimonialis* unus alterve Consiliariorum Parlamenti de mixtis quoque matrimoniis sermonem fecit. Hos inter recensendus est *Cardinalis AEppus Pragensis*, cuius orationis fragmentum inter Monumenta vulgamus.[130]) Ex eo discimus, a. 1836 *APraesulem Salisburgensem* cum suis Suffraganeis voluisse negotium mixtarum nuptiarum Sedi Apostolicae proponere, sed per Guberniun Civile impeditum fuisse. — Quum autem 1868 *inter leges infaustas diei 25 Maii,* sanctione Caesaris munitas, et ea compareret, vi cuius religio prolium e mixtis connubiis, salvo iure coniugum inter se desuper conveniendi, pro diversitate sexus definita, et ad casum nullius coniugum conventionis libertati illius, qui ius habet de educatione prolis disponendi, relicta, insuper Reversalibus omnis vis abiudicata fuit: [131]) Summus Pontifex *Pius IX* in memorabili Allocutione diei 22 Iunii 1868, qua leges Austriacas catholicae Ecclesiae doctrinae eiusque iuribus maxime adversantes reprobavit ac damnavit, legem quoque de mixtis matrimoniis diserte condemnavit.[132]) Eppi autem Imperii quemadmodum quoad ceteras dictae diei leges, ita quoad hanc de mixtis matr. opportunas ediderunt pro Clero instructiones. Praeivit ceteris *Eppus Vratislaviensis* in Silesia Austriaca [133]); tum *AEppus Pragensis* edita fusiore Instructione, signanter quoad securisandam prolium educationem catholicam [134]); hunc sequutus est *Eppus Brunnensis* in Moravia, in Instructione sua diserte enuncians: ***matr. mixtum, quod unice coram ministro acatholico et duobus testibus contrahitur, in foro Ecclesiae esse invalidum;*** loco Reversalium autem de catholica prolium educatione, in censum pro futuro sumendas fore conventiones, quas coniuges desu-

[129]) *Mon.* 1229. pag. 546.
[130]) *Mon.* 1230. pag. 550.
[131]) *Mon.* 1231. pag. 551.
[132]) *Mon.* 1232. pag. 553.
[133]) *Mon.* 1233. pag. 553.
[134]) *Mon.* 1234. pag. 554.

per inter se pepigerint, et a tenore harum conventionum dependere decisionem quaestionis, an dispensatio Ecclesiae pro eiusmodi matrimonio concedi possit nec ne.[135]) Huic similem Instructionem alii qnoque Praesules ediderunt, nominatim *AEppus Olomucensis* et *Eppus Lincensis;* [136]) prior ad normam Instructionis Pragensis praescribendo simnl formulare contractus seu conventionis pro sponsis diversae religionis snper adimplendis conditionibns ab Ecclesia requisitis. *Cardinalis AEppus Viennensis* in pastorali epistola post novas leges ad Clerum dimissa uberius rem proponendo, diserte edixit: dispensationem in impedimento mixtae religionis tunc solum impertiendam fore, si in contractu coniugum catholica omnium prolium educatio stipulata, et per concernentem Parochum cautio de morali certitudine adimplendi praevii contractus praestita fuerit.[137]) — Praeter Epistolam pastoralem Ordinariatus Viennensis distinctam insnper dimisit ad Clerum Curatnm Instructionem super universa lege nova matrimoniali, et in ea meritnm mixtornm matrimoniorum fusius complexus est tum ad caput de impedimento disparis cultus, tnm de matr. inter Catholicos et Acatholicos Christianos in specie.[138]) Post Instructiones hactenns memoratas evulgatae sunt, prioribus prorsus analogae Instrnctiones per Eppos *Brixinensem, Lavantinum, Gurcensem*, AEppum *Goritiensem*, Eppnm *Vegliensem*, AEppum *Iadrensem.*[139]) — Cum autem ultima anni 1868 die nova proenderetur lex de modo ineundi mixta matrimonia, decernens: nt promnlgationes in ntriusque Confessionis Ecclesia instituantnr, copulatio autem coram alterntrins Sponsorum parocho fiat, iisdem Sponsis plena relicta libertate recipiendae a concernente parocho benedictionis nnptialis: [140]) Ordinariatns congruis Clerum Curatum providerant instrnctionibus; e quibus duas duntaxat exhibemus, *Pragensem* et *Viennensem.*[141])

---

[135]) *Mon.* 1235. pag 558.

[136]) *Mon.* 1236. 1237. 1238. pag. 559—561.

[137]) *Mon.* 1239. pag. 562.

[138]) *Mon.* 1240. pag. 566.

[139]) *Mon* 1241—1246. pag. 581—583.

[140]) *Mon.* 1247. pag. 583.

[141]) *Mon.* 1248. 1249. pag. 584.

c) *Appendix, sistens duo Monumenta Protestantica.* Prout in antecedentibus voluminibns de sensu Protestantium quoad mixta matrimonia repetitis vicibus adnotationes qnaspiam fecimus, ita et hic snbinngimus duo ex Austria monumenta pro eo, nt appareat, quidnam existimaverint Protestantes Austriaci de matr. mixtis recentissimo tempore. E priori Monumento, quod *opinionem Consistoriorum Protest. Viennensium* in se continet et ad annum 1859 refertur, liquet: Protestantes lege matrimoniali anni 1856, in quantnm principio catholico qnoad mixta coniugia propitia est, in anxietatem coniectos, orare Civile Gubernium, nt inducto matrimonio civili, Protestantibus easdem praebeat concessiones, qnas Gregorius XVI et Instructio Lambruschiniana 1841 pro Hungaria tribnit: nt quippe in posternm matr. mixta etiam coram ministris acatholicis valide iniri valeant; de educatione vero prolinm et de vinenli solntione legem ferat idem Gubernium, vi cuins educatio religiosa mutuae parentum conventioni committatur, hacque non obtenta filii in patris, filiae in matris religione educentur; quaestio autem de vinenlo coniugali quoad partem acatholicam iuxta hnius principia decidatur.[142] In altero Monumento, qnod *Memoriale Synodi generalis Protestantium Viennae* congregatorum de anno 1864 complectitur, optant Protestantes: nt Gubernium concesso libero transitu ex una religione ad alteram, huius beneficii etiam proles mixti matrimonii participes reddat, ita, ut hac qnoque, quae decimum aetatis annum necdnm compleverunt, parentem transeuntem in religione sequantur; porro personae in maioribns ordinibus constitutae, dum ad Protestantismum transeunt, impedimento ordinis ab ineundo matrimonio neutiquam arceantur; sic dictae Reversales de prolibus catholice educandis omni vigore destituantur; et quaestiones matrimoniales iuxta principia cuilibet confessioni propria decidantur.[143])

---

[142]) *Mon.* 1250. pag. 588.

[143]) *Mon.* 1251. pag. 590.

II.

MONUMENTA AD HIST. PARTIC. MATRIM. MIXTORUM IN HUNGARIA, TRANSSILVANIA, ET AUSTRIA SPECTANTIA.

A. Monumenta Hungarica.

1. Monumentum antiquius e Sec. XIV.

995.

Conc. Posoniense. 1309.

Cap. 8. Ut fides catholica, quae scissuram erroris cuiuslibet aspernatur, nullius schismatis vel pravitatis haereticae fermento maculetur, de consilio et assensu praesentis Concilii perpetuo prohibemus edicto, ut nullus nostrae Legationi subiectus, qui vult reputari et haberi catholicus, praesumat de cetero haeretico, Patareno, Gazano, schismatico, vel alteri fidei christianae contrario, maxime Ruthenis, Bulgaris, Rasciis, Lithuanis in errore manentibus, (qui sicut fidedignorum testimonio praestatur, in diminutionem catholicae fidei, opprobrium Iesu Christi, et SS. Romanae Ecclesiae, quae est verae fidei fundamentum, non solum sacri baptismatis reiterant sacramentum, verum alia Catholicae Ecclesiae salutifera sacramenta damnabiliter contemnentes habent despectui, fidei veritatem, in qua fidelibus salus datur, abnegant, et eis diversis modis et variis iniuriam irrogare conantur) filiam, neptem, consangvineam suam connubio tradere, vel eas eis modo aliquo copulare: cum hoc sit in praedictae fidei christianae detrimentum non modicum et iacturam. Nam sicut didicimus ab experto, viri ab unitate fidei catholicae separati uxores suas

quantumvis catholicas instigante diabolo ad infidelitatis errorem trahunt potius quam trahantur. Qui vero contra inhibitionem praesentem filiam, neptem, vel consangvineam suam praedictis pestiferis hominibus, qui, quantum in eis est, catholicam fidem, sine qua nullus omnino salvatur, nituntur confundere, dederit, aut danti consenserit, vel ex proposito et scienter huiusmodi scelestis nuptiis adstiterit, mulier etiam data vel tradita, quae eisdem consenserit, cum per hoc in christiana religione scissuram et maculam ponere satagat, ac per hoc haereticae pravitati favere: eo ipso excommunicationis mucrone percussum se noverit, et ecclesiastica sepultura privatum. Volumus autem, et in virtute obedientiae districte praecipimus AEppo vel Eppo, in cuius dioecesi contemtor huiusmodi moram trahit, quod eum excommunicatum denunciet, et ab omnibus evitandum; et si infra mensem corde contrito et humiliato non redierit ad ecclesiae unitatem, de tanta iniuria irrogata nomini christiano et fidei orthodoxae condignam satisfactionem et debitam impensurus, extunc contra eum tamquam contra fautores haereticorum et inimicos fidei christianae procedatur iuxta sanctiones canonicas et civiles. — Harduini Acta Concil. VII. 1300.

---

2. Monumenta ad Epocham I. a Sec. XVI usque a. 1780.

996. 997.

Resolutiones S. Congreg. Concilii ad Eppum Csanadiensem de assistentia parochi in matr. mixtis. A. 1744. 1745.

996. Resol. dd. 8. Aug. 1744. Postulat Csanadiensis Eppus, in cuius Dioecesi Tridentini decreta praesertim in iis, quae ad causas matrimoniales pertinent, usu recepta sunt, ut quinque dubia, quae omnia in hac matrimonii materia versantur, Sacrae Congregationis iudicio solvantur. Dubia, quae proponit, haec sunt: 1. Catholica se Calvinianam fingens, alias vaga, coram Eppo graeci ritus schismatico comparuit et cum viro schismatico copulam desideravit, cuius etiam assensu per sacerdotem schismaticum copulata est. 2. Catholicus cum

schismatica coram parocho schismatico proprio mulieris contraxit matrimonium. 3. Catholica cum schismatico proprium et stabile domicilium habente a parocho schismatico non proprio coniuncta est. 4. Catholicus latini ritus alias aeque proprium domicilium habens cum muliere pariter catholica graeci ritus a parocho graeci ritus unito non proprio copulatus est, utpote in regione, ubi permixtim catholici latini et graeci ritus cum schismaticis graecis habitant. 5. Vir lutheranus ante aliquot annos cum muliere pariter lutherana in Saxonia contraxit matr. et paulo post uxorem hanc deseruit, quae ad magistratum suum recurrit et iuxta consvetudinem illarum partium maritum desertorem per valvas citari curavit, eoque intra terminum statutum non comparente facultatem obtinuit alteri nubendi, actuque nupsit. Interea desertor lutheranus in hac dioecesi haeresim abiuravit factusque est catholicus et in facie Ecclesiae cum alia copulatus est, reticendo coram parocho prius iam contractum ligamen. Haec sunt Csanadiensis Eppi dubia. Monemus nunc non inutile futurum ad ea definienda, quae data fuerunt in Iprensi visit. liminum die 17. Aug. 1737. Quaeritur: an et quomodo sit rescribendum Episcopo? Sacra Congregatio respondit: Scribatur iuxta instructionem.

997. Resol. dd. 26. Iun. 1745. Eppus Csanadiensis speciem hanc facti, quam ipsius verbis damus, definiri postulat a S. Congregatione. Clara Szerkely nata Calviniana nupsit in Transsilvania cuidam viro Calviniano, quo mortuo nupsit iterato viro catholico, cum quo etiam ad fidem orthodoxam conversa vixit annis aliquot; ipso pariter emortuo venit Temesvarinum in Hungariam, ubi Calvinianam se simulans coram Eppo schismatico abiurata secta calviniana schisma graecum professa, matr. cum schismatico inivit et ex mandato Eppi coram parocho graeci ritus sacerdote copulata est. Post intervallum temporis Clara delata est ad Eppum catholicum ac deprehensa catholicae confessionis, prout in Consistorio ipsa palam professa est. Super quo Consistorium iudicans ex una parte quidem malitiose reticuisse fidem et ita dolose schismatico copulatam a parocho non proprio, ex altera vero parte

viri, utpote innocentis et bona fide procedentis, cui tamen ob fidei orthodoxae amittendae periculum cohabitare nequit, parochum fuisse proprium. Mutuis collatis pro et contra rationibus consultius censuit Consistorium, pro decidenda hac causa recursum facere ad Sedem Apostolicam, an videlicet hoc matr. validum sit aut invalidum, et exhinc separationem interimalem, ad tempus nimirum accipiendae declarationis fecit inter eosdem. Pendente hac interea causa, Clara cum alio viro Romano-Catholico in facie Ecclesiae matr. contraxit: supplicatur proinde pro declaratione, quodnam ex his duobus subsistat? Haec Eppus. — Monente Emmo sacri huius tribunalis Praefecto rogatus fuit doctissimus S. I. theologus, ut sententiam suam aperiret, responditque validum censere primum, non secundum matrimonium, non obstante simulatione eiurationis haeresis Calvinianae: etenim sive vera fuerit, sive falsa, res in idem recidit, cum nequeat a viro proponi error, qui nullum faciat contractum, esset namque hoc casu non error personae, sed error qualitatis, qui, ut cognitissimum est, non eam vim habet, ut matr. contractum irritum reddat; nec mutare defectum proprii parochi mulieris, explorati siquidem iuris est, satis esse parochum viri ex pontificia declaratione apud Fagnanum. Licet autem idem Fagnanus disputaverit, nullam Eppis schismaticis iurisdictionem esse parochos deputandi, qui servato Tridentini decreto interesse possint matrimoniis, et ob rei gravitatem desideraverit definitionem Sanctissimi in S. Congregatione Inquisitionis: impletum tamen inde fuit ipsius desiderium, omnem siquidem dubitationem ademit eadem S. Congregatio, cum visum est in contrariam abire sententiam. Demum non obesse periculum praevaricationis Clarae, si ad primas redeat nuptias cum viro schismatico: hoc enim periculum, si res est de iis, qui aqua et Spiritu S. renati sunt, non facit, ut matr. irritum sit, sed vim tantum habere potest ad relaxandum thori connubialis et cohabitationis vinculum. Quaeritur itaque: An et quomodo sit rescribendum in casu? Sacra Congregatio respondit: Ad mentem. — Kutschker Eherecht. I. 521. s.

998.

Constitutio Eppi Iauriuensis contra matr. mixta. 1755.

— Connubia Catholicornm cum haereticis orthodoxa Ecclesia semper antiquitns prohibuit ac detestata est, imo etiamnum constanter prohibet ac detestatur; atque adeo sine gravissimo peccato iniri omnino non possunt, quamvis si sic illicite ineantur, valida tamen esse non dubitemus. Volnmus igitur, nt proxime et saepe alias ex cathedra delicti per huiusmodi illicita matrimonia perpetrati gravitatem fidelibus suis denuncient, ac una significent, iuxta Rescriptum decretale moderni Summi Pontificiis Benedicti XIV auctoritate editum huiusmodi catholicos cum haereticis matrimonia ineuntes insano amore turpiter dementatos dici, et eorum connubia detestabilia, perpetuo damnata, et interdicta, vincula sacrilega nominari, praeterea admonere quoscunque Dei et Ecclesiae fideles ministros, ut catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem adeundis, quantnm possint, absterreant, easdemqne nnptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant. Certe Sedes Apostolica, si rarissimos casus inter supremos Principes urgente gravissima causa ad publicum bonum pertinente excipias, numquam dispensat in hac lege prohibente talia matrimonia, nisi cum hac expressa conditione adiecta: ‚abiurata prius haeresi.' Theologi vero illi perpauci contrarium sentientes nullius conscientiam relevare possunt, postqnam Clemens XI Pontifex eorum sentiendi libertatem reprobans acriter admonendos esse decrevit. Nos Sedem Apostolicam tamquam fidei et morum magistram a Christo institutam sequi debemus, ac tot legibus eccles. antiquis et novis, tot item decisionibus et inhibitionibus Apostolicis etiam ad loca illa, ubi catholici cum haereticis mixti sunt, extensis, salva conscientia, qnam sibi etiam acatholici semper salvam relinqui desiderant, approbando talia matrimonia contravenire omnino non possumus. Si nihilominus catholicum aliquem postpositis tam gravibus Ecclesiae mandatis nuptias has in foro conscientiae illicitas importune ambire et expetere contingat, parochus ut se a molestia et importunitate liberet, talem ad nos relegare nove-

rit: tum vero nos ea, quae loco et tempori opportuna videbuntur, cum consilio officialium nostrorum absque longiori dilatione decernemus. —

999.

Extractus Protocolli Consistorii Rosnaviensis de 25. Iul. 1778. in quo causa matr. mixti cum Reversalibus de acatholica partis unius prolium educatione initi pertractata fuit.

In Consistorio die 25. Iulii 1778. lecta sunt Intimata sequentia: —·—2-um sub N. 3409. dd. 22. Iunii editum, quo instantia Nob. Estherae Gömöry Aug. Conf. cum Reversalibus sibi a sponso suo Alexandro Szentmiklóssy catholico pridie celebrati matrimonii de eo datis, quod tam ipsa in religione sua imperturbate conservanda sit, quam proles etiam suscipiendae pro ratione sexus parentum fidem libere secuturae sint, communicatur: qua quidem instantia apud Augustum Thronum institit, ut pro tenore Reversalium memoratarum filiolam suam in religione Augustana sibi liceat educare; porro vero Intimato ipso benigne praecipitur submittenda de tota rei serie informatio genuina. Submissa vero est tenoris sequentis: Serenissime etc. De prole foemella Egregii Alexandri Szentmiklóssy catholici, et eius coniugis Nob. Estherae Gömöry Lutheranae, cuius intuitu catholico quidem ritu educandae mense Martio a. c. apud Seren. Vram et Exc. Consilium R. abhinc interpellatio facta fuit, in Augustana vero confessione retinendae ipsa mater hoc eodem anno Augusto Throno supplicavit, Seren. Vram C. R. et Exc. Consilium R. pro exigentia Intimationum, prioris quidem sub N. 1952. ad 9. April. posterioris autem sub N. 3409. dd. 22. Iunii a. c. eatenus huc intervenientium, genuine informaturus, reverenter iuxta ac genuine significo: praefatam Estheram Gömöry, quandoquidem per Ministrum Lutheranum Kun-Taploczensem cum desponsato sibi Alexandro Szentmiklóssy die 22. Sept. 1769. in matrimonium sit copulata, nullas omnino Reversales de prolibus utriusque sexus catholice educandis dedisse literas; imo vero ex adverso Alexandrum Szentmiklóssy dedisse sponsae

suae pridie matrimonii cum eadem celebrati Reversales, ut prolium de benedictione divina suscipiendarum sexus sexum, quod est ad religionem, sequatur, atque adeo foemella proles in lutheranae matris confessione imperturbate educetur. Quamvis vero, posteaquam illicitum hoc matrimonium (ac fortasse ob absentiam parochi proprii etiam illegitimum) ad S. Sedem Strigoniensem deductum esset, praefati Coninges in poena aureorum centum convicti sint, ac eos etiam effective deposuerint; quia tamen benigna normalis Resolutio Regia de 28. Iul. 1768. per Regnum publicata non alio modo mixtae religionis matrimonia admitteret, quam si pars acatholica de utriusque sexus prolibus in orthodoxa fide educandis reversales dederit literas, atque hoc ipsum saepefatis sponsis notum esse et potuerit et debuerit, quandoquidem huiusmodi matrimonii tractatum anno integro et aliquot mensibus praecesserit, alioquin autem ignorantia benignarum normativarum Resolutionum R. (quarum in sibi favorabilibus acatholici omnes perfectam notitiam habent) neminem a culpa excuset, id quod Ser. Vra et Exc. Cons. R. Intimato sub N. 2712. die 14. Maii a. c. in causa Ministrorum Kis-Honthensium provide et sapienter advertere dignatur; siquid sapio, tantum abest, ut foemella proles saepedictorum coniugum in lutherana matris religione educanda permitti possit, ut potius ob hoc ipsum pro conformitate benignarum Resolutionum Matri Catholicae Ecclesiae enutrienda veniat consignanda, atque nondatae Reversales virtute praedeductae normalis Resolutionis pro datis, datae autem per maritum reversales utpote omni iuri adversae pro nondatis sint habendae. Frustra porro Esther Gömöry Vicearchidiaconi quoad hoc matrimonium intervenientem dispensationem pro retinenda in sua confessione Augustana filiola introducit; primo namque confidenter omnino instans foemina adstruit, Vicearchidiaconi consensione imo omnimoda approbatione et concessione huc se fuisse adductam; quandoquidem VADiaconi dispensatio, qualiscunque illa sit, promulgationes duntaxat matrimonium praecedere solitas attingat, de ceteris autem omnibus altum sileat; deinde vero et ipsa VADiaconi concessio importunitate sponsorum ad eludendas Resolutiones Regias arcentes Ministros ab assistentia matr. mixtorum, atque

in specie ad declinandas de prolibus utriusque sexus catholice educandis reversales literas fuerit extorta. Iam vero rursum ob hoc ipsum, siquidem fraus et dolus nemini patrocinari queant, filiola Estherae Gömöry catholicis sacris venit instituenda et initianda. Neque minus praefata supplex in instantia sua fidenter ait, se spiritu pariter privandam, si unigenita proles a materno sinu suo avellatur; constat enim publice, matrem quidem vagam ducere vitam, prolem autem suam longe a sinu matris positam in avi sui lutherani domo educari. Quae cum ita sint, quod iam alias literis suis Illmus Ordinarius meus Seren. Vram R. et Exc. Consilium R. precatus est, hic iterum precor: quatenus de toties fata foemella prole eas dispositiones facere dignaretur, ut non in sinu ancillae matris, de qua secundum carnem nata est, sed omnino in sinu liberae, de qua per repromissionem suscepta est, educetur. — Rosnaviae, die 18. Aug. 1778. B. Antonius Andrásy, Vicarius Eppalis. — In Consistorio die 18. Octobr. 1778. lecta sunt Intimata — — — 3-um sub N. 5189. die 28. Sept. filiolam Nob. Estherae Gömöry lutheranae ex marito catholico Alexandro Szentmiklóssy susceptam tam ob defectum Reversalium de prolibus utriusque sexus catholice educandis, quam ob existentiam talismodi Reversalium a marito datarum, ut sexus sexum, quod est ad religionem, sequatur, matri pro educatione in sua confessione esse permittendam. — Ex Tabulario Epp. Rosnav.

3. Monumenta ad Epocham III. ab a. 1791 – 1825.

1000.

Repraesentatio Comitatus Pestiensis dd. 17. Nov. 1792. contra Resolutionem Regiam de Reversalibus per legem anni 1791. nequaquam sublatis, sed porro quoque in suo vigore conservandis editam.

Augustissime etc. Intimatum Consilii Maj. Vrae dd. 25. Sept. a. c. — non mediocri nos moerore perculisset, nisi paternae Maj. Vrae teneritudinis et legum conservandarum studii

gnari, eodem copiam potius lege antiquatarum Resolutionum, quam novam Maj. Vrae voluntatem contineri autumassemus. Fidelium proin subditorum officiis functuri tristissimos e publicari ordinato hocce Decreto enasciturus effectus clementi Maj. Vrae obtutui eo a fortiori sistendos censuimus, quod intimam, nec ullo temporis intervallo convellendam fiduciam nostram in Maj. Vra locemus, eo humillime in antecessum insinuato: quod leges interpretandi potestas soli Diaetae legitime congregatae reservata sit, ex eoque legibus cautum habeatur, ne Regnum hoc per Rescripta et ita dictas Patentales gubernetur; quo praemisso cum certum sit, lege religionaria, articulo quippe 26. a. 1791. omnes Resolutiones quin leges etiam Pacificationibus Viennensi et Lincensi contrarias sublatas esse: certum etiam est, Reversalium, qua sublatis solum Resolutionibus innixarum, et rarissime e libero arbitrio datarum, omnem vim cessasse, per consequens et de prolibus ex mixtis matrimoniis susceptis et suscipiendis id solum, quod lege hac statuitur, observandum venire, violentam vero earum ademtionem, qua patriis legibus et humanitatis principiis adversam, sub clementissimo et iustitiae amantissimo Rege quis est qui vel concipere posset? — — Cum proinde, prout ex praemissis patet, Resolutio haec nomine Maj. Vrae intimata prorsus non ad effectuandam, sed ad interpretandam labefactandamque legem novissime latam, in obversum Art. 8: 1741. et 12: 1791. directa sit, firmissima spe freti, quod Maj. Vra a legum observandarum sanctimonia et constitutione Regni manutenenda faustissimi sui regiminis principia auspicari velit, de genu Maj. Vrae supplicamus, ut ab ordinata praementionati Intimati publicatione nos clementer dispensare et omnis religionis concives in legum implemento manutenere dignetur, quo ita nobis eodem affectu in optimum Regem ac caram patriam animatis, nullus dissensionibus locus sit, sed communi nisu Maj. Vrae gloria et Regni felicitas semper unitis viribus procurari et manuteneri valeat. — Datum e Generali nostra Congregatione Pestini 17. Nov. 1792. celebrata.

1001.

Propositio et opinio Cancellariae Regiae pro manutenendis Reversalibus dd. 13. Dec. 1792.

Ew. Majestät! Vermittelst der hier beigeschlossenen — Vorstellung bittet das Pester Comitat von der Kundmachung derjenigen Circular-Verordnung enthoben zu werden, welche mittels der k. ung. Statthalterey in Betreff der Erziehung der aus vermischten Ehen erzeugten Kinder, und in Ansehung der ohne empfangenen sechswochentlichen Unterricht zu der evang. Confession übertretenden Katholiken — unterm 25. Sept. d. J. erlassen worden ist. Bevor man den Inhalt dieser Comitats-Vorstellung mit dessen Zergliederung Ew. Maj. vorlege, hat man es Allerhöchstdenenselben in Unterthänigkeit anzuzeigen für nöthig erachtet, was zu dieser Vorstellung den Anlass gegeben habe? Auf den hier beiliegenden Vortrag ist die allerh. Normal-Entschliessung erflossen: dass jene aus vermischten Ehen erzeugten Kinder, welche entweder in Folge des 26. Art. 1791. oder nach den vor diesem Artikel ausgestellten und darin nicht aufgehobenen Reversen in dem kath. Glauben erzogen werden müssen, sofern selbe durch ihre Eltern nicht sogestalten erzogen oder gar ihre Unterweisung in der kath. Religion durch dieselben gehindert würde, in diesem Falle ihren Eltern, wie es die Statthalterey selbst eingerathen hat, abgenommen, und anderswohin zum Unterricht, wie es in den vergangenen Jahren üblich war, abgegeben, anbei noch auch die Eltern ihrer Weigerung und Verhinderung halber mit einer Fiscal-Action belanget werden sollen, weil in dem vorausgesetzten Falle kein anderes Mittel erübrigen würde, dem angezogenen Gesetze und den Reversen den Vollzug zu verschaffen. Als sich aber demungeachtet mehrere Fälle ereigneten, dass derlei in dem kath. Glauben erzogen werden sollende Kinder die Erziehung in der evangelischen Confession erhielten, und es erst dann entdeckt wurde, wo schon derlei Kinder auch das 15. oder 16. Jahr ihres Alters erreichten und in den evang. Confessions-Grundsätzen bereits unterrichtet waren, und dadurch ihre Unterweisung in dem kath. Glauben vereitelt wurde: so ist der k. ung. Statthalterey die circulari-

ter einzuleitende Verfügung durch das angeschlossene Hofdecret aufgetragen worden: womit für die Erziehung derlei Kinder der vermischten Ehen, die entweder nach den ausgestellten Reversen in Gemässheit der bestehenden unter Einem neuerdings kundzumachenden Normal-Verordnungen, oder in Folge des Art. 26: 1791 in dem kath. Glauben erzogen werden müssen, bei Zeiten, und zwar sobald diese Kinder das 7. Jahr ihres Alters angetreten haben, vorgesorgt, und sich bei ihrer Erziehung nach dem Normale v. 1792. benommen werden solle. — Noch hat die Statthalterey in Folge dieser Verfügung die anbefohlenen Circulars nicht erlassen, als sie erst mittels ihrer Vorstellung anher das Einrathen machte, dass ihres Ermessens von den Reversen keine Meldung in dem Circulare zu machen, weder die hierwegen erflossenen Normalien zu republiciren seyn dürften. — Allein man hat von Seite dieser Hofkanzlei dieser Statthalterey-Äusserung aus dem Grunde nicht beistimmen können, weil dadurch, wenn von den Reversalien gar keine Meldung gemacht worden wäre, einige Gerichtsbarkeiten in die Vermuthung hätten versetzt werden können, als ob die Kraft aller auch der ältern Reversen aufgehoben wäre. — Aus diesem Grunde bewogen, hat man solchemnach der Statthalterey die Einleitung dahin zu ertheilen befunden, womit in dem zu erlassenden Circulare in Betreff der Reversen die Beziehung nur im Allgemeinen auf die in dem vorgängigen Hofdecret berührten Resolutionen geschehen, damit daraus die Gerichtsbarkeiten ersehen mögen, dass nur von denen vor dem 1. October 1781. ausgestellten Reversen die Rede sey, ja selbst unter diesen nach dem Normale de a. 1786. nur jene für gültig anzusehen seyen, welche ohne Zwang und aus freiem Willen der Partheien ausgestellt worden sind. — Allein das von der Statthalterey in Folge dieser Einleitung erlassene Circulare, welches das Pester Comitat seiner Vorstellung anschliesst, ist nicht der hierortigen Anweisung gemäss und entsprechend ausgefertigt worden. Denn es hat 1. die Statthalterey auf die wegen der Reversen bestehenden und in dem Hofdecrete dd. 12. Juli d. J. aufgeführten Normalverordnungen gar keine Beziehung gemacht. 2. Hat die Statthalterey nicht nur die Worte des Hofdecretes, dass bei Er-

ziehung der aus vermischten Ehen erzeugten Kinder nach dem Normale fürgegangen werden solle „ad effectum praecitatae de prolibus mixti matrimonii emanatae normalis Resolutionis R. procedatur“ aus ihrem Circulare ganz weggelassen, sondern sie hat auch dem Pester Comitat diese Resolution gar nicht mitgetheilt. — —

Mit dieser unterthänigsten Voraussetzung besteht nun dasjenige, was die Pester Gespanuschaft in ihrer Vorstellung aufführt, hauptsächlich in Folgendem: 1. dass die Gewalt, Gesetze auszulegen, lediglich dem rechtmässig versammelten Landtage vorbehalten sey; 2. dass es gesetzmässig vorgesorgt sey, damit das Königreich Hungarn nicht durch Rescripte und Patente regieret werde; 3. dass durch den 26. Art. 1791. alle vorhergehende im Religionsfache erflossene Resolutionen aufgehoben seyen, folglich auch die Kraft der wegen Erziehung der Kinder von vermischten Ehen ausgestellten, als sich lediglich auf Resolutionen gründenden und nur sehr selten aus dem freien Willen der Eltern ertheilten Reversen gänzlich aufgehört habe, und nunmehr in Betreff derlei aus gemischten Ehen erzeugten und ferner erzeugt werdenden Kinder nur dasjenige beobachtet werden müsse, was der 26. Art. 1791. vorschreibt; 4. dass die gewaltige Abnahme der Kinder den Landesgesetzen und den Grundsätzen der Menschlichkeit entgegen streite. — Allein

Gutachten: ad 1-um: waltet hierunter keine zur Landesversammlung gehörige Gesetzauslegung ob, massen die vorausgeschickte Verordnung lediglich dahin abgesehen ist, um das Gesetz kraft der Ew. Maj. zustehenden Vollstreckungsgewalt in Vollzug zu setzen, und selbe zugleich theils aus den Ew. Maj. in dem 26. Art. 1791. vorbehaltenen Rechten herrühret, theils aber einen in dem 26. Art. 1791. nicht aufgehobenen, folglich in statu quo verbliebenen Gegenstand zum Zwecke hat, wie es aus dem Folgenden mehr einleuchten wird. Ad 2-um: Das Particular-Schreiben der Staathalterey ist in der nämlichen seit Errichtung dieser Landesstelle allgemein üblichen Form ausgefertigt worden, es ist diesemnach kein Patent. Die Behauptung aber, als ob das Königreich Hungarn nicht durch Rescripte geleitet und regieret werden

könnte, ist den Gesetzen, namentlich dem 101: 1723. entgegengesetzt. Ad 3-um: Dass durch den angezogenen Artikel geradehin alle vorbestandene Normalverordnungen aufgehoben seyen, kann nicht wohl im Allgemeinen behauptet werden, sondern dadurch sind nur jene Resolutionen abgestellt, welche von denen den evang. Glaubensgenossen in diesem 26. Art. verwilligten Rechten lanten: weil im übrigen die königlichen Rechte ‚circa sacra Evangelicorum‘ in dem 4. §. des wiederholten 26. Art. 1791. ausdrücklich aufrechterhalten worden sind. Der Gebrauch der Reversen, so wegen Erziehung der Kinder vermischter Ehen ausgestellt wurden, ist zwar durch das Toleranz-Decret vom J. 1781. aufgehoben worden, demohngeachtet sind die vorgängigen vor dem 1. Oct. 1781. ertheilten Reversen eben als sich hierwegen die Frage aufgeworfen hat, mittelst des Decrets v. 1782. in ihrer Kraft aus dem Grunde belassen worden, dass widrigenfalls den vorgängigen bonae fidei Eheverträgen, welche doch auch in der Gestalt eines Civilcontractes in ihrer Gültigkeit erhalten werden müssen, nie Zwang aufgelegt werden würde. Und die sogestaltig erflossene allerh. Entschliessung ist sodann allgemein im Lande kundgemacht worden. Im Jahre 1786. sind die vor dem 1. Oct. 1781. ausgestellten Reversen neuerdings jedoch mit der Classificirung bestätiget worden, dass nicht alle ohne Unterschied, sondern nur jene Reversen für gültig angesehen werden, welche ohne Zwang und aus freiem Willen ausgestellt, und auch nach der eingegangenen Ehe nicht widerrufen, oder reclamirt worden sind. Es wurde nun auch diese höchste Entschliessung den gesammten Landesgerichtsbarkeiten kundgemacht. In dem zum Gesetz erwachsenen 26. Artikel 1791. ist von den Reversen keine Erwähnung gemacht worden, und es haben zu jener Zeit selbst die evang. Glaubensgenossen die Aufhebung der Reversen in ihrer dazumal eingereichten Bittschrift nicht angesucht, sondern sie haben sich hierüber selbst dahin geäussert: dass bei der vorbestandenen Einrichtung die Kinder die Religion ihrer Eltern nach dem Geschlechte gefolget haben, wenn kein sonstiger Vertrag hierwegen geschehen wäre. In diesem Anbetracht müssen also die Reversen, als in statu quo verblieben, angesehen werden,

und aus diesem Grunde sind solche auch durch die höchste Entschliessung v. 1792. bestätiget worden. Dass der 26. Art. 1791. auch auf die bereits gebornen Kinder ausgedehnt worden sey, dieses gründet sich ferner darauf, weil dieser Artikel in Betreff der Kinder der vermischten Ehen die nämliche Vorschrift festsetzt, welche bereits durch das Toleranzdecret bestimmt gewesen ist, folglich hat das Gesetz auch die seit dem Toleranzdecret erzeugten Kinder miteinschliessen müssen. Diese Hofkanzlei ist daher des Erachtens, dass der Gegenstand der Reversen bei der mittels vorangegangener höchster Resolutionen festgesetzten Einrichtung sein Bewenden haben sollte, widrigenfalls den katholischen Ehetheilen, welche unter in dem Reverse ausgedrückten Bedingnissen die Ehen eingegangen haben, und die Bestätigung der Reversen kraft höchster Entschliessungen v. J. 1782. und 1786. erlangten, ein empfindsames Unrecht zugefügt würde. Ad 4-um: Diess ist ein Missverständniss, der sich sogleich heben wird, sobald die Statthalterey die Normalentschliessung v. 1792. der Pester Gespannschaft und den übrigen Gerichtsbarkeiten, denen sie es noch nicht mitgetheilt hatte, kundgemacht haben wird.

maior procuretur. Quantum ad poenam renitentiae legibus accomodandam, cum dubium sit, an casus praesens positivae legi stricte applicari possit nec ne? declarat idem Consiliarius, se non posse praesumere tale poenalitatis genus via politica proponere, quod in stricta iuris via, ubi Eppo se defendendi materia praeberi deberet, sustineri non posset, praesertim cum praecipua illa circumstantia, quae maximae attentionis est, interdicti nempe Carolo-Kissiani e cathedra per parochos facta publicatio et eius a participatione sacramentorum formalis prohibitio ob procuratam Circularium interceptionem ex actis hactenus substratis clare erui non valeret; interim tamen occasione executionis per Commissarium Regium Eppo declarandum censet, ut in futurum a similibus interdictis, quae publicam pacem et tranquillitatem facile turbare possunt, publicandis sub poena suspensionis a temporalibus abstinere noverit. Demum pro futura provisione quoad similes casus statuenda illud medium opportunissime arripiendum svadet, ut in similibus casibus matrimonii per fora secularia quoad vinculum inter Protestantes soluti pars catholica, quae taliter solutam personam evang. Conf. ducere vult, coram Episcopo se ea ratione, qua pro impedimentis aliis removendis aut dandis dispensationibus iuxta praescriptum Ecclesiae Cath. recurrisset, sistere, substratum ei negotium plane declarare, et consensum scriptum expetere teneatur, quo ita vel accepto vel denegato in hoc posteriori casu recursum suum ad Forum Metropolitanum, vel nec hic obtento favorabili indicio ad Principem, quo legis effectus procurari possit, recursum facere valeat. Porro Consiliarius Tavernicus Eppum Rosnav. contra art. 26 : 1791. egisse agnoscit, quando in Circulari ad Clerum suae Dioecesis dimisso docendum statuit, per neminem Catholicorum agnosci posse vinculi matrimonialis nullitatem, quae secundum Aug. et Helv. Conf. principia per civile Iudicium asserta sit; cum eiusmodi divortii sententiae, etsi Eppos ad agnoscendam talismodi vinculi nullitatem eamque ad catholicos extendendam obligare nequeant, quoad effectus tamen civiles vigore praecitati articuli ubique pro validis habendae sint; praeterea dictum Eppum contra altissime praescripta normalia egisse censet in eo, quod in Carolum Kiss interdictum excommunica-

tioni superaddendo eius vulgandi occasionem per Circulare suum ad Clerum dioec. dimissum praebuerit, quin huiusce censurae causam ad tenorem ben. ordinationis a. 1793. editae pro impertiendo Placeto Regio cum tota processus serie substravisset; sed sicut errores et illegalitates iudicum cassatione factorum per Regiam Maj. qua supremum Institiarium tolli et annullari consveverunt, ita opinioni Commissionis Eccl. ad eum scopum directae accedendum putat, censendo: poenam renitentiae haud levem subiturum esse Eppum, si haec cassatio et annullatio interventu Commissarii Regii et cum improbatione peracta fuerit. Quod alteram partem opinionis Commis. Eccl. concernit, cum in matrimonio per divortiatam personam evangelicam cum persona catholica contrahendo de veri nominis sacramento agi certum sit, hinc quemadmodum susceptio et administratio sacramentorum res spiritualis est, ita in eo quoque, ut suborientibus dubiis haec pro quietatione conscientiarum et suscipientium et administrantium seu assistentium in foris spiritualibus cognoscantur, depromtae Commiss. Eccl. opinioni adstipulatur idem C. Tavernicus. Demum Cardinalis Primas ex incidenti huiusmodi diversitatis opinionum ulteriores circumstantias et motiva, quae Commissionem Eccl. ad depromtum suum votum et illud porro sustinendum promoverunt, in suis reflexionibus adducere censuit, nempe hoc voto absolvi totum, quod Resolutio R. de 7. Dec. 1795. fieri exigit: cum 1. acta reaccludi commissa remittantur; 2. renitentiam Eppi Rosn. vindicandi modus proponatur efficacissimus, et una referantur leges, quae tribuunt Maiestati ius, sibi et mandatis suis obsequium procurandi, aliarum legum de obsequio mandatis regiis procurando et puniendis refractariis adductarum ad praesentem casum applicabilitate propterea in dubium vocata, quod illae magis ad casum notae infidelitatis et periculosorum motuum referri censeantur, quodve secus casus notae infidelitatis nimis multiplicarentur, et ad plures eventus extenderentur, quod tamen in iis casibus, in quibus Commissarius Regius ad Politicas Iurisdictiones exmissus fuit pro cassandis determinationibus in Congregatione Comitatuum factis, praecautum fuit. His subnectit idem Cardin. Primas, quod si Eppus Rosn. censendus est omnium illorum delictorum reus,

quorum per Comitatum Gömöriensem incusatur, profecto non videtur, qua ratione hae ipsae delictorum imputationes renitentiae quoque in repraesentationibus eiusdem Comitatus de preli libertate, de mixtis matrimoniis, de libertate transitus a Religione Cath. ad Evangelicorum Confessionem iterato manifestatae non aeque applicari deberent; 3. Per Commissionem Eccl. renitentiam huius Eppi vindicandi modus longe severior proponatur, ac esset illa occupatio temporalium; longe enim magis candidum Eppi animum et reale conscientiae suae et suorum salvandae studium afficere debet, coram Clero suo reprobari et cassari factum, quam subtractio proventuum: quod vix unquam deberet esse medium revocandarum per Eppum Currentalium; voto tamen Commissionis Eccles. efficacissimus Resolutionis R. procuratur effectus, quia cassantur illae Currentales effective coram iis, ad quos directae et quibus publicatae fuerunt. In quo facto Eppum normalibus Resol. Regiis passim iam antea ad effectum deductis contravenisse adinveniebatur. Ceterum ex omnibus hoc in merito interventis actis id patere notat Card. Primas, quod Eppus Rosu. dimiserit ad Clerum suum Currentales duo haec membra complectentes: unum, quo Carolus Kiss sacramentorum et absolutionis incapax declaratur, quodve restrictim ad notitiam duntaxat Cleri, neutiquam vero ad publicandum populo seu ex cathedra seu alia ratione currentandum committitur, eius tamen censurae eccles. supposita publicatio praecipue revocanda et vindicanda praecipitur; cum autem currentationem hanc ex cathedra publicatam fuisse nullibi appareat, neque revocationi huius publicationis, quae videlicet relate ad populum nec commissa nec facta fuisse probatur, locum dari posse. Alterum, quo iubentur Parochi fidelem populum de fidei capitibus in S. Conc. Trid. de matrimonii sacramento propositis minutim docere, quo proinde doctrina ex praescripto C. Trid. committitur; ea, quae in hoc altero membro a verbis „quo plene intelligant fideles“ sequuntur, tantum ut consectaria commissae huius doctrinae et effectus inde secuturi consideranda esse, eaque populo publicari haud commissa, sed tantum parochis pro motivo et fructu doctrinae allata haberi; et quousque evidenter non constat, an primum vel alterum vel utrumque Circularium membrum per exten-

sum populo per universam dioecesim ex cathedris publicatum fuerit, eousque minus tutum esse eorum velut non publicatorum revocationem coram populo institui, quia tum primum fieret, quod vellemus factum non fuisse; imo Eppum quoad doctrinam de Sacr. Matr. quomodo tradendam via politica mandata recipere nec debere, ac eundem eadem via erroris hoc in passu nec subsumendum esse. Quod porro verbalis Currentalium Eppalium ad literam publicatio intermissa fuerit, id eo magis fundate credi posse, quod non defuissent partes de commissa hac publicatione querulantes factum et circumstantias illius referre, quodve Comitatus Gömöriensis parochos ab earum publicatione statim absterruerit directa actione fiscali, quam illi eo facilius intermittere potuerant, quo minus id iisdem commissum fuit. Utinam (prosequitur Primas in suis reflexionibus) non vidisset probam, quam Sedria Comitatus de defectu consensus Barbarae Beretky assumsit, facilius evincere potuisset ad declarandum, illud matrimonium e defectu consensus in origine nullum fuisse. Sed quam debilia sint pro titulo hoc assumta documenta in Sedriali sententia provocata, quam aperte collusionem partium exhibeant, cuique eadem inspicienti patebit: dum nihil curant partes sibi testimonium dare non tantum de defectu consensus, sed et de adulterio, ut quo facilius obtineant dissolutionem vinculi, in quam iam praevie consensere ad invicem. Rex, qui suam conscientiam in illam iudicum exonerat, nec sententias iuris ordine latas extra viam iuris reformare reservavit, decrevit sententia Sedriae ex principio Catholicae Religioni proprio adinventam dissolutionem vinculi in foro fori sustinendam esse, ut vel inde contra eius in linea civilis effectus valorem prout votum Commissionis Eccl. distingvit, via facti ab Eppo nihil suscipiendum sit, sed patienter ferre deberet impeditum sententiae suae effectum, et pro indole Ecclesiae eidem nihil ac preces, repraesentationes, monitiones paternae restant. Quam bene vero conciliari possit excommunicationis vigor cum effectibus civilibus, quin una vel altera pars de religionis principiis diverse sentiens in suis turbetur, et inde omnis aemulatio, collisio et offensio utrinsque avertatur, exemplum dedit Rex Borussiae in Resolutione sua ad Gubernium Principatus Halberstadiensis a. 174^{9}.

data. Etsi autem modus per Eppos cognoscendi legalitatem dissoluti quoad vinculum matrimonii, num ex principiis Cath. Religioni propriis lata sit sententia, art. 26: 1791. in specie expressus non sit, eaque in parte perfectius statutum in Diaeta procurandum restet, eodem tamen art. §. 6. manifeste statuitur Eppus iudex in causis mixti matrimonii, et art. 12: 1791. foris iuridicis sua legalis activitas asseritur. Sed praescindendo ab evictione hac in parte sententiae suae idem Card. Primas tamen votum Commissionis Eccl. invincibiliter in ea parte stare debere statuit, qua hoc petitur tamquam medium tranquillandae conscientiae Epporum et partium catholicarum. Ubi enim involvitur ratio Sacramenti, quod ex parte catholica semper occurrit, incursus peccati et necessitas absolutionis, profecto quidquid statuant fora eatenus seu politica seu iuridica secularia, partem catholicam de periculo amittendae salutis non eripiunt, et vel ideo anxietatem conscientiae catholici quietare non possunt. Porro ubi legis novae sensus dubius est, ne vel pro una vel altera parte eius extra Diaetam suscipiatur interpretatio (semper, cuicunque faveat, illegalis futura), nihil legibus magis conforme adinveniri potest, quam meritum hoc in statu ante novam legem, regulationem nempe Patentalium Matrimonii et normalium Resol. Reg. relinquere. Quae autem crimina Eppo Rosn. Comitatus Gömöriensis imputat, quas ille consequentias in detrimentum pacis publicae adstruit, eas nec Catholicis, qui Evangelicis in suis principiis nullam vim externam inferunt, nec ab iis per imperium exigunt dogmata et disciplinae eccles. principia sequi, tribuenda esse, sed ea secutura fore, si Catholicis vis inferretur externa ad principia Religioni suae adversa sequenda; relinquatur cuilibet Religioni sibi proprium, tunc suapte tranquillitatem publicam substituram esse; omnem per dictum Comitatum lapidem moveri, ut indignationem Regis in caput zelantis Eppi eo in gradu excitet, ut plane a vigilantia et pastorali sollicitudine legum patriarum in praesidium cath. Religionis latarum obseqnio ben. Resolutionum R. citius liberaretur, quo fieret, ut Cath. Religionis incrementum illis in partibus impediatur, apostasiae et perversioni prolium e mixtis matr. liberior modus fiat, ut ex tenoribus repraes. patet. Si vacantibus Eppatibus MVaradi-

nensi, Vaciensi, Neosoliensi etiam Rosnaviensis accederet, Catholicis maximum interitus religionis periculum sequeretur, praecipue in succrescente nobili iuventute ad Magistratus publicos applicanda. Neosoliensem et Rosnaviensem Eppatus voto etiam Cardinalis Primatis a Strigoniensi AEppatu apostolica MTheresiae providentia sequestratos esse, quia in iis partibus praesentiam, vigilantiam, doctrinam praeferenter necessariam esse ex tristi anteactorum experientia recognitum fuit, et vel ideo si temporum modernorum circumstantiae, quibus Maj. Vestra Sacr. totis viribus incumbit ad feliciter terminandum bellum in eversionem omnis positivae Religionis cum sangvinis et facultatum profusione continuatum non admitterent zelum Maj. Vestrae impleri in celeriori de digno his partibus Pastore provisione, idem Cardin. Primas ad partes officii sui cum benigno Maj. V. Sacr. annutu pertinere existimaret, orphanis suffraganeis Ecclesiis quo efficaciori modo et opera succurrendi ex Sede Metropolitana, ubi adhuc procul sunt eiusmodi pericula ad medium harum Dioecesium procurrendi, imo ad publicos Comitatuum consessus in omni spiritu lenitatis, indulgentiae inermis properandi docendo, hortando, explanando, sed vel maxime (quod eidem alias frequentissime successit) concinnando differentias, sustinere periclitantem in illis partibus Religionem Cath. dum unius alteriusve anni vacantia indubie secutura Religioni Cath. damnum nec decennalis et ultra impendenda dignissimi etiam Praesulis opera remederi potest. Ceterum hoc in merito horsum exbibitae, abhinc vero Consilio R. transmissae Comitatuum Gömör, Neogradiensis, et Honthensis Repraesentationes, quas per praemissa Commissio Eccl. et Consilium R. pro superatis declaravit, Maj. Vestrae altissimo obtutui aeque substernuntur.

Votum Cancellariae. Cum in hac repraesentatione Consilii R. plures leges citentur, ex iisque argumenta deducantur, in quibus deinde maioritas votorum Consilii fundatur, obsequentissima haec Cancellaria inprimis argumenta illa assumenda et expendenda esse existimavit: circa quae sequentes occurrunt gravioris momenti reflexiones: 1. Si art. 78: 1563. ad renitentiam Eppi Rosnaviensis applicabilis esset, tum idem Eppus in amissione officii, in poena 200 fl. convinci,

ac insuper infamia notari deberet, quia hic articulus contra nonobtemperantes mandatis iudicialibus has poenas statuit; quas tamen eidem Eppo irrogandas esse neque maioritas votorum Consilii L. ad calcem eiusdem Repraesentationis proposuit, ubi videlicet post praemissa ex legibus deducta argumenta opinionem suam concludit. Eundem Articulum, quamvis in eodem inter iudices seculares et ecclesiasticos aperta distinctio non fiat, ad iudices tantum seculares referri, tum ex combinatione et contextu posterioris Art. 53: 1655. qui ad praecitatum Art. 78: 1563. se refert, tum vel maxime inde patet, quia per Consilium L. etiam provocatur, ac articulo 15: 1647. distincta poena statuta est contra iudices ecclesiasticos mandata iudiciaria non observantes. Istae quidem leges dictant poenam amissionis beneficii ecclesiastici, sed in posteriori art. 70: 1618. expresse excipiuntur causae matrimoniales. Verba enim art. 15: 1647. haec sunt: ‚ut mandatis declinatoriis, seu dum causa coram foro spirituali suscitata abinde ad forum seculare per Mandatum avocatur, extra solas causas matrimoniales sub amissione beneficiorum locus detur.‘ Ac etiam in art. 70: 1618. adiecta est clausula: ‚demtis matrimonialibus.‘ Hic autem in quaestione vertitur causa matrimonialis. Ceterum in toto hoc negotio neque emanavit aliud mandatum proprie iudiciale, nisi primaevum illud Rescriptum Regium erga primam Cancellariae huius Aul. propositionem expeditum, vigore cuius sententia in processu contra Carolum Kiss coram S. Sede Rosnaviensi ad infligendam poenam scandali suscitato lata cassata est. Huic autem morem gessit Eppus Rosnaviensis, quia processui illi et in eodem latae sententiae, et per hanc dictatae poenae desumtionis non institit, sed in statu cassationis reliquit. Imo licet clara sit dispositio art. 26: 1791. ut causae matr. mixtorum, ad quorum classem matr. Carolo-Kissianum refertur, in Sede spirituali diiudicentur; licet Commissio Eccles. svaserit dictum Eppum eo inviandum esse, ut si matr. Caroli Kiss pro legali non agnoscit, eum ad Sedem suam spiritualem medio Fisci sui Dioecesani evocari curet, idem tamen nulla lite Carolum Kiss impetit. Reliquum, quod circa revocationem Circularium Eppo Rosnaviensi demandatum est, siquidem prout Circulares illae extra viam iuris ema-

narunt, ita etiam earum revocatio duntaxat via politica eidem Eppo imposita ad classem mandatorum iudiciariorum referri non potest, adeoqne quod idem Eppus Mandato Regio hac in parte non obtemperaverit, hanc eius renitentiam vindicandi ratio non in legibus, quae de nonobservatoribns mandatorum iudiciariornm sonant, qnaeve iudices ecclesiasticos in causis matrimonialibns a poena potius eximunt, quaeri debet. 2. Articulns 8: Ulad. decr. VI prout ex eius contextn et ex nexu praec. art. 7. evidens est, sonat de illis, qui publice et manifeste legibus et constitutionibus Regni se opponnnt, licentiose vivnnt, in alios grassantur, et libertates Regni violant: Eppus autem Rosnaviensis vult potius articulo 26: 1791. semet conformare, huiusqne ipsius legis dispositione factum suum defendit, dnm ad verba eiusdem articuli provocat, et eius argumentum nectit, quod prout divortium inter Nicolaum Vattay et Barbaram Beretky in foro seculari pronunciatum, ita ex hoc divortio enatum per Carolnm Kiss catholicum initum mixtum matr. pro legitimo agnoscere non obligetur; et quia Carolus Kiss ab hoc matrimonio ad iteratas monitiones et cohortationes recedere noluit, integrum sibi esse putat, vi iurisdictionis spiritualis sibi qua Eppo competentis eundem Car. Kiss tamquam Barbarae Beretky illegitime cohabitantem, donec eam dimiserit, sacramentorum incapacem declarare; consequenter totum, quod eidem Eppo imputatur, tantum ex interpretatione legis promanat. Igitur neque art. 8: Ulad. Decr. VI ad renitentiam Eppi Rosn. applicabilis est, secus omnes etiam seculares, qui in particulari quopiam casu ex legum interpretatione iuxta proprium suum sensum facta aliqnid legi adversum agunt, et nec erga mandatum Regium a propria sua interpretatione et huic innixo facto sno recedunt, sed ei insistunt, seque renitentes exhibent, poenam praecitati art. 8. incurrere deberent. Advertit hanc sequelam etiam Consilium L. R. maioritate votorum, et ideo distinctionem facit inter Ecclesiasticos et Seculares, demonstrareque nititur, poenam praecitato art. statutam nonnisi quoad Ecclesiasticos hucdum subsistere, relate vero ad seculares iam cessasse: siquidem in eodem art. poenam notae infidelitatis dictatam fuisse patet secularibus, haec vero per art. 9. et 12: 1723. iam reducta sit ad poenam arbitrariam, cum casus art. 8. D. VI. in subsequo art. 9: 1723. inter casus notae infidelitatis non

recenseatur. Sed patet ex cit. Art. 8. quod ibi nec contra seculares statuta sit poena notae infidelitatis, ac verba: ‚perpetuus Regiae Maiestatis ac Regni infidelis et exul habeatur' nec proprie notam infidelitatis denotent, sed in lato sensu sumenda sint, quia nec secularibus poena capitis, sed tantum amissionis bonorum dictabatur, et bona etiam non Fisco Regio, prout fit in crimine infidelitatis, addicta sint, sed ut in publicam praedam convertantur, statutum fuit; adeoque si factum Eppi Rosn. ad praecit. artic. referri posset, etiam seculares in simili casu poena eiusdem articuli plectendi forent, hoc autem perturbationem potius in Regno excitaret, quam ut hac ratione auctoritas Regia vindicaretur, quia in eodem articulo ipsis Comitatibus delata est potestas, bona mediocrium personarum spiritualium et secularium pro lubitu Comitatuum in publicam praedam convertendi. Plures etiam reflexiones possent contra eundem Art. adferri, sed sufficiat unum id adhuc attingere, quod hic sit ille articulus, et hunc praecedens 7. Decr. VI. ad quos etiam sub initio Comitiorum a. 1791. provocatum fuit. 3. Si inobedientia Eppi Rosn. ad Tit. 13. P. I. revocari potest, prout Consilium L. maioritate votorum statuit, tunc idem Eppus tamquam notae infidelitatis, de qua praecit. Titulus loquitur, reus non solum bona sed et caput amittere deberet. Sed prout de hac poena eidem infligenda nec cogitari potest, ita etiam ipsum Consilium L. ad calcem repraesentationis suae, ubi maioritate votorum opinionem suam concludit, talem poenam dicto Eppo irrogandam non proponit. 4. Articulum 21: 1545. ideo citat Consilium L. et renitentiam Eppi Rosn. ad hunc art. applicat, quod in art. 15: 1548 provocetur ad constitutiones in proximis conventibus super punitione inobedientium factas, sed propter art. 21: 1546. ad praesentem casum prorsus non est applicabilis, quia conditus est contra nobiles talibus Praelatis et Baronibus servire praesumentes, qui manifeste inobedientes et publicarum constitutionum violatores sunt, praedasque, spolia et idgenus mala exercere solent. Secus si hic articulus pure eo, quod etiam inobedientes commemoret, ad casum praesentem applicabilis esset, tunc in simili casu etiam seculares poena eiusdem art. affici et bona eorum fisco regio cedere deberent. Itaque ex legibus in repraesentatione Consilii L. citatis nonnisi cap. 15. lib. 3. S. Lad R. et art. 14. et 15: 1548. ad renitentiam Eppi Rosn. appli-

cabiles sunt. Interim circa illas etiam, quae ad casum hunc applicari possunt, Regni leges observandum venit, quod in generalitate duntaxat subsistant, et poenam inobedientiae non determinent, adeoque poenae arbitrariae locum relinquant. Et hinc profluit varietas opinionum ac differentia inter propositionem Commissionis Eccl. et Consilii L.

Iam quod modum et media vindicandae renitentiae Eppi Rosn. procurandi effectus Resolutionis R. quoad revocationem quaestionatarum Circularium elargitae tam per Consilium L. maioritate votorum, quam et per Commissionem Eccl. et huic adhaerentem minoritatem votorum Consilii L. proposita attinet: quaestio tantum superest, quodnam ex propositis mediis magis expediens, efficaciusque sit, anne alterutrum ex iis amplectendum, vel aliud deligendum veniat. Sed priusquam haec obs. Cancellaria Aulica quaestionem hanc ingrediatur, humillime insinuandum habet: novam se evolvisse circumstantiam, ad quam in prioribus Cancellariae huius propositionibus reflecti haud potuit; quippe hactenus hoc in merito editae Resolutiones Regiae supposito in eo radicabantur, quod causa divortialis inter Nicol. Vattay et Barbaram Beretky iam iuxta ordinem iuris et vigentia quoad causas matrim. Evangelicorum principia ex integro decisa, lataque in foro seculari divortii sententia inalterabilis sit, plenumque vigorem habeat. Interim medio tempore reperta est in Archivo huius Cancellariae normalis Resolutio ex particulari casu, processu nempe divortiali Helenae Szeder per Tabulam Septemviralem conformiter normali Resolutioni iam tunc in Germanicis haereditariis provinciis vigenti relate etiam ad Hungariam et Transylvaniam edita, vigore cuius ad avertendum id, ne matrimonia ex collusione partium coniugatarum mutuoque earum consensu dissolvantur, et fluxa reddantur, praescriptum est: ut in causis matrim. non solum Catholicorum sed et Evang. Confes. addictorum Pauperum Advocatus et respective Syndicus seu Fiscus Magistratualis Defensorem Matrimonii agat, idemque neglectum partis, contra quam ad divortium proceditur, in defensione matrimonii supplere, sique per forum primae instantiae sententia vinculum matr. dissolvens feratur, appellatam interponere, et prosequi teneatur. Quae normalis Resolutio via Tabulae Regiae

per Regnum Hungariae publicata hucdum vigorem retinet, quia art. 26: 1791. statutum est: ut causae matrim. Evangelicorum, donec eorum Consistoria organisata fuerint, iuxta principia posterioribus annis eundem articulum praecedentibus vigentia iudicentur. Eidem tamen normali Resolutioni in processu divortiali per Barb. Beretky contra Nic. Vattay suscitato satisfactum non est, quia processus hic non subivit revisionem fori appellationis, sed neutra partium coniugatarum appellante substitit pure penes sententiam Sedriae C. Neogradiensis, unde concludendum videtur, quod Magistratualis Fiscus seu ex puro neglectu sibi qua matrimonii defensori incumbentis obligationis, seu e conniventia aut plane collusione appellatam a sententia Sedriae neque interposuerit, et nec Sedria C. Neogr. eundem Fiscalem ad obligationem suam reflexerit. Ex hoc vero neglectu seu plane collusione Fisci Magistratualis non hoc sequitur, quod res penes solam sententiam Sedriae C. Neograd. relinqui debeat aut possit, sed quod per Mandatum Regium supplendum sit illud, quod defensor matr. intermisit. Nec obstat, quod Barbara Beretky praevio modo divortiata novum matrimonium cum Car. Kiss iam effective iniverit: istud enim, antequam causa divortialis contra Nic. Vattay erecta iuxta ordinem iuris in foro etiam appellatorio plene terminaretur, illegitime contractum est, matrimonium vero illegitime initum per id, quod iam initum sit, legitimum non redditur, alioquin culpa illius (Caroli Kiss) praemature contractum est; ille enim qua subalterni iudicii C. Gömöriensis antehac assessor debuit praecitatam normalem Resolutionem a. 1788. scire; praeterea iam in prima propositione hoc in merito Maj. Sacr. submissa sub Nro 6217. a. 1794. remonstratum est, qualiter idem Car. Kiss Parochum recitatione iuramenti matrimonialis per sponsos deponi soliti circumvenerit, et post eius recitationem coram Parocho factam, Barb. Beretky iam consortem suam esse declaraverit. Profecto si Car. Kiss rem ita non praevenisset, sed ad impedimenta circa copulationem per Eppum Rosu. sibi proposita pro remedio ad Maj. V. Sacr. recurrisset, ac praecitata normalis Resolutio a. 1788. neglectaque per defensorem matrimonii appellata Maj. Vrae substrata fuisset, prorsus non dubitat obs. haec Cancellaria,

quod Maj. Vra priusquam Carolo Kiss cum Barbara Beretky ineundum matrimonium admittatur, processum divortialem contra Nic. Vattay suscitatum in foro appellationis revideri iussisset. Idipsum ergo nunc etiam ordinandum restat, quia facto matrimonii per Car. Kiss contracti non suppletur nec reparatur id, quod in praeattacto processu divortiali neglectum est. Porro attentam reddiderunt obs. hanc Cancellariam verba Cardinalis Primatis in eiusdem Reflexionibus contenta, quibus indicat, documenta in sententia Sedriae C. Neograd. provocata collusionem inter Nicolaum Vattay et Barbaram Beretky aperte exhibere; eo minus igitur svadere potest obs. haec Cancellaria, ut divortium inter Nic. Vattay et Barb. Beretky pronunciatum penes sententiam solius Sedriae C. Neograd. ex collusione partium promanantem relinquatur, sed tam pro securitate prolium Caroli Kiss e Barbara Beretky recipiendarum, quam ad antevertendas sequelas, ne res in aliis casibus in exemplum trahatur, necessarium esse putat, ut memoratus processus in foro quoque appellatorio revideatur, tanto magis quidem, quod ex circumstantiis colligatur, fiscum magistratualem non tantum appellatam neglexisse, sed nec secus in eundem processum in qualitate defensoris matr. influxisse. Proinde postquam Maj. V. Sacr. voto illi Commissionis Eccl. ut Eppus Rosn. eo invietur, ut medio fisci dioecesani Carolum Kiss ad recipiendum de inito per eum mixto matrimonio iudicium ad Sedem spiritualem evocari curet, deferre dignata non est, inprimis audiendus esset Comitatus Neogradiensis: cur praecitata normalis Resolutio a. 1788. in processu divortiali Barbarae Beretky observata non sit; seu cur fiscus magistratualis partes defensoris matr. non expleverit et appellatam interponere neglexerit, vel si interposuit, cur processus ad Tabulam Reg. transmissus non sit? unaque ordinandum esset, ut dictus Comitatus eundem processum in originali horsum pro altissima inspectione submittat, qui dein abhinc Tabulae Regiae eo cum mandato transmittendus foret, ut quo celerius eius revisionem assumat, sique divortio inter Nic. Vattay, et Barb. Beretky locum esse iudicaverit, in sententia diserte exprimat: an consensus defectus probetur, vel tantum ex odio implacabili divortio locus sit? Secus si neque

de validitate matrimonii Kissiani in foro spirituali iudicium ferri, neque causam divortialem Barbarae Beretky contra Nicol. Vattay in foro seculari plene terminari adeoque in foro appellationis revideri admitteretur, legalitas matrimonii solius Sedriae C. Neograd. sententiae superaedificati semper fluctuaret, dubioque et quaestioni obnoxia maneret, ac posset aliquando prolium etiam Kissianarum legitimatio in crisim vocari; per Resolutionem enim R. sententiae illi maior vis non tribuitur, quam ea in se habeat. Nam nec est obiectum Resolutionum R. sententias in via iuris latas quoad ipsum earum meritum approbare, vel reformare, sed ubi praescriptus ordo iuris non observatur, sicut in causa divortiali Barbarae Beretky contra Nic. Vattay observatus non est, aut causa vel sententiae executio praecipitatur, in his et similibus casibus pertinead auctoritatem Regiam ea, quae ad modum et formam administrationis iustitiae referuntur, suprema iustitiaria et executiva potestate praecipere. Ac si etiam praeattactam sententiam Sedriae C. Neogr. in ipso merito decidere et approbare vellet Maj. V. Sacr., ipse processus divortialis Barbarae Beretky qui isthic nondum visus est, altissimae revisioni substerni deberet.

Verum quidem est, quod ultra quaestionem de divortio Barbarae Beretky a Nicolao Vattay nondum in foro seculari plene superatam subversentur etiam Circulares per Eppum Rosn. ad Clerum suae Dioecesis dimissae, quarum intuitu etiam Cancellaria haec in propositione sua sub Nro 645. a. 1795. agnovit, eundem Eppum in modo agendi aberrasse. Sed tamen etiam quoad revocationem harum Circularium praestat ab eo praestolari, quidnam Curia Regia in processu divortiali deliberatura sit. Alioquin in unico termino poterit idem processus in tota Curia revideri. Nam factum neglectae in eodem processu appellatae mutat rei faciem relate etiam ad revocationem praeattactarum Circularium; cum enim sententia Sedriae Neogradiensis, uti praemissum est, non habeat adhuc eum vigorem, ut penes eam solam matrimonium per Car. Kiss cum Barbara Beretky valide contrahi potuisset, sed approbatio vel reformatio sententiae illius a revisione Curiae R. pendeat, adeoque adhuc sub iudice lis sit, suapte sequitur, quod

interea Carolus Kiss a moderna consorte sua de recto ordine divelli deberet; ut autem parte ex una ille a coniuge sua divellatur, parte ex altera Circulares in illegitima iuxta opinionem Eppi Rosn. cohabitatione illius fundatae revocentur, non videtur secus conciliabile esse, quam si revocatio Circularium ad eam causam restringatur, quod Eppus Rosn. absque praevia Resolutione R. Carolum Kiss censura eccl. affecerit. Sed et si a separatione Caroli Kiss a sua coniuge usque revisionem Curiae R. praescindatur, tamen relate etiam ad revocationem Circularinm multum pendet a sententia Curiae Regiae. Nam quoad principalem de validitate matrimonii Kissiani quaestionem, ex qua reliqua profluunt, fundamentum hactenus editae Resolutionis R. illud est, quod Barbara Beretky ex defectu etiam consensus a priori marito suo divortiata fuerit; si proinde Curia R. iudicaverit defectum consensus non probari, sed tantum ex odio implacabili, apud solos Evang. Confessioni addictos obtinente principio, divortio locum esse, vel plane matrimonium Vattayano-Beretkyanum stabiliverit, tunc ex eodem principio, ex quo Catharina Ziman et Barbara Vörös ab ineundo cum catholicis sponsis matrimonio vigore Resolutionis Nro 6862. a. 1795. amotae sunt, etiam Carolus Kiss a coniuge sua Barbara Beretky recedere debebit, ac hac ratione praeattactae Currentales quoad personam Caroli Kiss suapte cessabunt, nec erit aliud obiectum revocationis earum, quam si ideo fiat, quod, ut praemissum est, Eppus Rosn. absque praevia Resolutione R. ad infligendam Carolo Kiss censuram eccles. processerit. E converso si Curia R. quoque iudicaverit defectum consensus Barbarae Beretky relate ad matrimonium cum Nicolao Vattay contractum sufficienter probari, iam tunc expedientius poterit effectus Resolutionis R. quoad revocationem Circularium relate ad causam, ex qua Eppus Carolum Kiss sacramentorum incapacem declaravit, procurari, et renitentia eiusdem Eppi vindicari.

Si tamen Maj. V. Sacr. videretur, non expectato eo, ut praeattactus divortialis processus in Curia R. revideretur, Resolutionem R. ad revocationem Circularium editam in effectum deducere, ordinare: obs. haec Cancellaria Aulica demisso voto suo ab illa quidem propositione Consilii L. ut Eppus

Rosn. ad audiendum verbum Regium huc evocetur, revocatioque Circularium eidem porro quoque iniungatur, aliena non est, sed ut haec revocatio eidem sub comminatione sequestrationis proventuum Eppalium imponatur, consequenter si Circulares illas revocare noluerit, proventus quidem Eppales reipsa sequestrentur etiam, ex pluribus gravioribus sane ac momentosis reflexionibus svadere non potest; verum potius illud medium, quod Commissio Ecclesiastica et minoritas votorum Consilii L. proponit, deligendum et amplectendum esse censet. Nam a) usquedum aliud expediens ac efficax medium adest, tam effectum Resolutionis R. procurandi, quam et renitentiam eorum, qui mandato Regio non obtemperant, vindicandi, numquam est ad extremitates praesertim in modernis circumstantiis progrediendum, quia his plerumque vel auctoritas Regia adhuc magis compromittitur, vel ingratis et periculosis sequelis occasio datur. Tale extremum medium esset comminatio sequestrationis proventuum eppalium, aut effectiva eorum sequestratio; nec praeverti possent periculosae aut ingratae sequelae, seu Eppus Rosn. erga hanc comminationem revocaret quaestionatas Circulares seu non; nam si revocaverit, quod ipsum evenire posse Cancellaria haec praevidere nequit, satisfiet quidem Regio Mandato, sed sequitur aliud, quod tamen omnimode praeverti oportet, nempe scandalum coram omnis religionis hominibus; subsumetur enim Clerus Catholicus, quod eousque sciat obsistere, et conscientiam suam obtendere, donec de amittendis proventibus non agitur, dum vero periculum amissionis eorum videt, ea exequatur, quae de salva conscientia facere posse negabat, adeoque conscientiam nullam habeat. Si autem non revocaverit, consequenter proventus eiusdem eppales effective sequestrentur, hoc toto in Regno apud omnes variis religionibus addictos magnam excitaret attentionem; et ii quidem, qui religionibus a catholica alienis addicti sunt, possent Clero Catholico insultare, Catholici vero attenti redderentur, dum pauci penetrarent fundamentum editae Resolutionis Regiae. In art. enim 26: 1791. clare expressum legerent, quod causae mixtorum matr. Sedibus Catholicorum spiritualibus delatae sint, et Eppi ad agnoscendam vinculi inter Evangelicos per forum seculare dissoluti nullitatem illam-

que ad catholicos extendendam obligari nequeant. Communis porro plebs, quae legum ignara est, varia sibi imaginaretur, dum Eppum religionis causa proventu bonorum eppalium privatum esse cerneret; unde Clerus Catholicus, qui alioquin per moderna disseminata principia impetitur, ac contemtui exponi intenditur, magis adhuc vilesceret, atque per haec Religio ipsa in discrimen veniret, quod praesertim apud communem plebem posset evadere periculosum. Imo ipsa quoque Auctoritas Regia magis compromitteretur, si Eppus Rosn. mallet proventus eppales amittere, quam Circulares illas revocare; qui[a] effectus Resolutionis R. quoad revocationem earum editae tamen non procuraretur, sed eo fine aliud medium adhiberi deberet; praeterea si Eppus Rosn. spiritualem iurisdictionem Eppalem resignare noluerit, sed fors proprio patrimonio et substantia provisus eam retinere et exercere voluerit, novae eatenus emergent difficultates, ex quibus id enasci potest, ut rursum Auctoritas Regia compromittatur. E converso per proiectum Commissionis Eccles. omnes eiusdem sequelae praeverterentur, aut adminus non haberet proiectum illud tantae attentionis sequelas. Procuraretur effectus Resol. Regiae, dum per Commissarium R. absque eo, ut attentio plebis excitetur vindicaretur renitentia Eppi Rosn. quin sensibili poena afficeretur, si factum eiusdem coram convocandis VADiaconis et Parochis auctoritate Regia reprobaretur, et revocaretur, adeoque medium, quod Commissio Eccl. proponit, est securius, expedientius et efficacius. b) Certum est, et nec in dubium vocari potest, quod Eppus Rosn. non ex studio renitentiae nolit quaestionatas Circulares revocare, sed quod in nexu plurium hoc in negotio subversantium complicatarum quaestionum, vel maxime quod hic agatur de matr. mixto veri nominis sacramento, intime persvasus sit de iis, quae in Circularibus scripsit, sentimentumque et factum suum non solum in intellectu art. 26: 1791. sed etiam in lege divina, ad quam identidem provocat, ac dogmate fidei fundat; ac licet iuxta iam editam Resol. R. in errore versetur, tamen non plane absque fundamento eum errare vel ex pluribus variantibus ipsorum Dicasteriorum opinionibus clementer perspicere dignabitur Maj. Vra SSma, prout etiam in moderna Repraesentatione Consilii R. L. ita

divisa sunt vota, ut in una parte 9, ac totidem in altera parte numerentur, ac nonnisi conclusivum votum Praesidis maioritatem votorum effecerit. Quemadmodum igitur evang. Confessioni addictis iam lege subventum est, ne ad actus conscientiae suae adversantes stringantur, neque Eppi Rosn. conscientiae vis inferenda est, praesertim cum non sit absoluta necessitas ad procurandum effectum Resol. R. ut ipsemet Eppus Circulares revocet, sed alia ratione possit eadem Resolutio in effectum deduci. Exemplum sumi potest hanc in rem etiam ab educatione prolium mixti matrimonii. Frequentes occurrunt casus, quod proles catholice educandae taliter non educantur, numquam tamen adstringitur parens evang. Conf. addictus, ut prolem suam in Religione Cath. de qua in conscientia sua convictus non est, ipsemet in religione hac imbuat, sed tantum ut catholicam instructionem non impediat. c) Quod exempla per maioritatem votorum Consilii L. R. quoad renitentiam Eppi Rosnav. iam sub regimine Aug. Imp. et Regis olim Iosephi 2. dum dispensationem matrimonialem elargiri recusasset, exhibitam attinet: videre est ex actis isthic existentibus, quod Eppus hic nec erga Resolutionem super eo elargitam, ut Eppatum resignet, ac temporalia eidem adimantur, seu iurisdictionem eppalem resignaverit, seu dispensationem sibi iniunctam elargitus sit, sed declaraverit, quod resignationem Eppatus conscientia sua nullatenus admittat; postquam vero a Nuntio Apostolico intellexisset, quod Pontifex elargiendam per eundem Eppum dispensationem non difficultet, tunc primum declaraverit, se paratum esse dispensationem elargiri, uti patet e sequentibus verbis literarum eius dd. 19. Ian. 1787: ‚Cum vero hesterno die ab Emin. D. Nuntio Ap. receptum Sanctitatis Suae super elargiendae dispensationis causa iudicium mihi innotuerit, Altissimo eatenus Maj. Sacr. iussui satisfacere me posse intelligo.‘ Dein erga hanc declarationem relicto eidem Eppatu, poena 500. aureorum ipsi imposita est, quos etiam persolvit. Ex quibus proinde hoc potius coniicere licet, quod nunc etiam erga comminationem sequestrationis proventuum eppalium aut effectivam eorum sequestrationem vix revocaturus sit quaestionatas Circulares, aut Eppatum resignaturus. Circa alterum C. Althan Eppi Vaciensis adductum observandum venit:

quod perhibentibus actis Eppo Vaciensi C. ab Althan praecise tantum ideo fuerint temporalia ademta et sequestrata, quia binis vicibus huc evocatus non venit, mox autem ac advenisset, bona eppalia eidem restituta fuerint, uti videre est ex ben. Manualibus dd. 9. Dec. 1731. in verbis: ‚Cum Cardinalis Eppus Vaciensis tandem obediendo Decreto ex mandato per Cancellariam eidem nomine meo intimato se ab aliquot abhinc diebus huc Viennam ad Aulam stiterit, hinc videtur cessare causa, propter quam ordinaveram sequestrum reg. supra temporalia illius ponere, hinc Cancellaria Resolutionem meam Camerae Aul. insinuabit, ut illa Camerae Hungaricae et Fisco R. ordinet, ut hic sequester iterum levetur, et auferatur, ac temporalia tum sequestrata tum currentia iterum ei Cardinali libere frui sinantur.' Adeoque hoc exemplum non est applicabile ad opinionem maioritatis Consilii L. sed potius secundat opinionem Commissionis Eccl. ea in parte, quod nec praedictus Eppus Vaciensis fuerit eo adstrictus, ut protestationem in obversum Resol. R. in negotio Religionis clargitae coram Com. Pestinensi interpositam ipsemet casset et recipiat, sed hoc ordinatum extiterit, ut protestatio illa in Gen. Congregatione Comitatus laceretur et annihiletur. Ceterum cum non constet, an et quid erga saepefatas Circulares populo ex cathedra per parochos publicatum fuerit, probabileque sit, nihil populo signanter in Com. Gömöriensi publicatum ex cathedra fuisse, siquidem C. Gömöriensis actione fiscali parochis minatus sit, hinc ne tale aliquid ex cathedra revocetur, quod populo numquam publicatum est, obs. haec Cancellaria humillime censet Commissarium R. pro revocatione Circularium exmittendum ita instruendum esse, ut coram convocandis VADiaconis et Parochis Circulares illas cum modalitate per Commissionem Eccl. proposita altissimo nomine Regio revocet quidem, antequam tamen ex cathedra aliquid per Parochos revocandum disponat, praevie quemlibet Parochum audiat, an et quid in quo loco ex cathedra populo publicaverit, ac de eo relationem praestet. Viennae 14. April. 1796. – Resolutio Regia. Placent maiora Consilii Loc. quod ipsum eidem Consilio mox intimabitur. Viennae, 14 Iunii 1796. Franciscus.

1014.

Altera eiusdem Cancellariae in eodem merito propositio, 1796.

Sacratissima etc. Postquam mediante ben. Resolutione R. erga isthic una cum reliquis actis advolutam intuitu renitentiae Eppo Rosn. in causa matrimonii Caroli Kiss imputatae Maj. Vrae Sacr. exhibitam propositionem edita Maj. Vra opinionem Consilii L. R. maioritate votorum depromtam ratihabere, ac id ipsum eidem Consilio L. R. mox intimandum praecipere dignata est, antelatus Eppus in conformitate huius Resol. R. ad audiendum sacrum verbum Reg. horsum comparuit, praemissaque Resol. R. eidem in pleno Consilii Cancellariae huius Aulicae consessu declarata, idem primo quidem verbo declaravit, sibi utique vehementer dolere, quod displicentiam Reg. intelligere debuerit, sed quod hactenus ex fidelitate erga Maj. Vestr. salva conscientia facere non potuit, id eo minus facere posse ad antevertenda aliqua temporalia incommoda, ceterum cum a tempore ultimae per Consilium L. sibi intimatae Resolutionis aliqua, quae ad rem hanc magis illustrandam conferunt, ad manus suas pervenerint, uberiorem declarationem se scripto exhibiturum esse, prout effective isthic advolutam exhibuit. (19 Iul. 1796.) Tam ex orali quam ex scripta hac declaratione praefati Eppi subversantibusque omnibus circumstantiis satis perspici potest, eundem cum plena animi determinatione malle proventus bonorum eppalium amittere et quaevis temporanea incommoda sufferre, quam validitatem matrimonii Carolo-Kissiani hic et nunc, donec de ea in foro ecclesiastico iudicium feratur, agnoscere, consequenter Circulares ad Clerum suae Dioecesis expeditas revocare se non posse, una tamen modum proponere, qualiter ipsi Carolo Kiss consuli posset. In prioribus suis remonstrationibus provocaverat idem Eppus partim ad art. 26. 1791. partim ad Ecclesiae Cath. doctrinam ac ad ipsum ius divinum; nunc autem ut uberius ostendat, se non aliquo reluctandi studio, non ex sententia in proprio duntaxat arbitrio suo fundata benignis iussis regiis satisfacere non posse, ipsum modernum Pontificem pro evictione suae sententiae statuit. Denuo itaque recurrit quaestio: an dictus Eppus fundamento

priorum et noviter adductorum motivorum ab eidem imposita Circularinm revocatione relevari debeat vel minus? Cum antem quaestio de iisdem Circularibus ab alia principali quaestione, cnm qua indissolubilem nexnm habet, dependeat, an videlicet memoratns Eppus ad agnoscendam matrimonii Carolo-Kissiani validitatem stringi possit, obsequentissima haec Cancellaria inprimis hanc assnmendam, et ne priorum repetitione benign. auribns Reg. molesta sit, aliqnas duntaxat ex iis, qnae iam in prioribns propositionibus adductae snnt, maioris momenti reflexiones in memoriam revocandas, aliquas item novas in ordine ad principalem illam qnaestionem, antequam circa hanc ulteriorem sensnm suum depromat, praemittendas esse censuit.

Quippe 1. an matrimonia Protestantinm sint sacramenta vel non? quaestio est per Ecclesiam Cath. apodictice ac in ipsis terminis nondum decisa; aliqui Epporum habent pro sacramento, aliqui non; interim Protestantes etiam christiani sunt, sicut ergo baptismns eorum per Catholicos qnoqne pro sacramento reputatur, siqne Protestantes catholicam Religionem amplectantur, baptismus, quem prins susceperunt, nequaqnam reiterari debet: ita nihil repugnat, qnominus matrimonia quoque Protestantium per Catholicos pro sacramento habeantur. Id adminus certnm est, quod matrimonia Protestantinm non possint pro pnre et proprie civilibus contractibns reputari, nam secus cnm ea sit civilium contractnnm natura, ut quemadmodum mutuo consensu coalescunt, ita etiam dissolvi possint, quoties maritus et uxor mutuo consensu a matrimonio recedere vellent, toties vinculnm matrimonii dissolvi posset, hoc antem nec Protestantes tenent, nec ex ratione Status publici admitti posset, per id, ne matrimonia evadant fluxa, et sors prolium reddatur incerta et infelix. Quidqnid tamen sit circa nomenclationem sacramenti vel contractus civilis, satis est, qnod Catholici matrimonia etiam per Protestantes inter se contracta valida esse agnoscant. Hoc ipsum vel inde evidens est, qnod si Protestantes iam matrimonio iuncti Catholicam Religionem amplectantur, non debeant noviter copnlari, neque possit ob mutationem religionis matrimoninm eorum dissolvi, sed in statu priori, dum adhuc evang.

Confessioni addicti fuissent, initum matrimonium continuent, sicut e converso solvi potest inter infideles seu nonchristianos, si alterutra pars Religionem Christianam suscipiat. Hinc derivatur illa Catholicorum sententia, quod cum Catholici matrimonia Protestantium pro validis reputent, ea vicissim non aliis e causis, quam iis, quas catholici pro impedimentis dirimentibus servant, quoad vinculum dissolvi posse agnoscant. 2. Quousque tamen quaestio de matrimonio inter solos Protestantes vertitur, Eppi Catholici in eam se immittere non possunt, nec ipsimet influxum praetendunt; sed postquam ex divortio inter Protestantes lato aliud novum matrimonium cum catholica persona contrahi intenditur, iam tunc variatur casus, et cum ipsa copulatio per parochum catholicum fieri debeat, Eppis seu sacris Sedibus catholicis influxus in rem aperitur. 3. Quoties ad art. 26: 1791. fit provocatio, toties in omni humilitate candide fateri debet obs. haec Cancellaria, sensu suo evidentissimum esse, quod Eppi cogi non possint, ut vinculum matrimonii per sententiam in foro seculari inter solos evang. Conf. addictos latam iam legitime solutum esse agnoscant, et vigore huius sententiae aliud novum matr. cum catholica persona ineundum, taliterque vigorem et effectum sententiae talis ad catholicos extendendum admittant. §. 11. art. 26: 1791. habet: ‚Causae hae matrimoniales Evangelicorum iudicabuntur secundum principia posterioribus his annis vigentia per fora secularia, quippe in Comitatibus et Districtibus, proprio iudicio provisis, per Sedes eorum Iudiciarias, in Liberis autem et Regiis ac montanis Civitatibus coram eorumdem Magistratu salva ad Tabulam R. ac pro re nata etiam ad Septemviralem appellata, eo tamen per expressum subnexo, quod divortii sententiae nonnisi quoad effectus civiles ubique pro validis habeantur, Eppi autem ad agnoscendam talismodi vinculi nullitatem illamque ad Catholicos extendendam obligari nequeant.‘ Verba huius articuli: ‚eo tamen per expressum subnexo etc.‘ referuntur ad sententias divortii in foro seculari quoad Protestantes latas, quia §. 11. loquitur inprimis de causis matrim. Evangel. in foro seculari diiudicandis, et mox in forma exceptionis subiungit: quod Eppi non obligentur agnoscere talismodi vinculi nullitatem, idest, quae per

forum secnlare pronunciatur, de qua videlicet in hoc ipso sermo est, et hoc ipso, quod lex praecaveat, ut Eppi non obligentur talem sententiam ad Catholicos extendendam admittere, iam clare innuit, quod talis divortii sententia nonnisi ad Protestantes referri extendique possit. In hoc ergo § nondum adhuc legitur lex de matr. mixtis, sed tantum generaliter declaratur: Eppos ad agnoscendam vinculi nullitatem in foro seculari quoad Evangelicos pronunciatam eamque ad Catholicos extendendam non obligari; quod refertur etiam ad tales casus, dum tam divortiata persona evang. conf. Religionem Catholicam amplectitur, quam et alia pars matrimonium contrahere volentium adeoque utraque pars est catholica; in alio autem §. 16. iam ex professo loquitur praecitatus articulus de matr. mixtis, et diserte disponit, ut causae mixtorum matr. in Sedibus catholicorum spiritualibus iudicentur. Expendenda sunt verba legis ‚causae matrimoniorum tam eorum, quae iam tempore, quo illa inita sunt, mixta erant, quam et eorum, quae per transitum alterius partis a sacris evang. ad sacra catholica mixta effecta sunt', et ratio legis ‚cum utrobique de veri nominis sacramento agatur'. Ex his evidens est, quod quandocunque in matrimonio vel una tantum pars est catholica, de eius validitate iudicium ferre ad Sedem spiritualem catholicam pertineat. Itaque 4. ex eo, quod praecitatus articulus disponat, ut divortii sententiae in foro seculari relate ad evangelicos latae quoad effectus civiles vigorem sortiantur, non sequitur, quod divortiata persona evang. confess. libere possit etiam cum catholico novum matrimonium contrahere: quia a) matrimonium tale evaderet mixtum, illud antem est veri nominis sacramentum, adeoque computari non potest inter effectus pure civiles; b) si effectus civilis hoc importaret, ut divortiata persona evang. conf. etiam catholico libere nubere possit, tunc nec reliquis mulieribus, utpote Catharinae Ziman et Barbarae Vörös potuisset matrimonium cum catholico viro incundum denegari; denegatum tamen est per expressam quoque Resolutionem Nro 6862. a. 1795.; c) contradictio enasceretur in una eadem lege: si articulo 26: 1791. hic sensus tribueretur, quod parte ex una noluerit Eppos ad agnoscendam vinculi nullitatem in foro seculari quoad evan-

gelicos latam eamque ad Catholicos extendendam obligare, parte tamen ex alia sub nomine civilis effectus voluerit disponere, ut divortiata persona evang. confess. libere possit cum catholica quoque ad novum matr. accedere. Dispositio haec legis quoad Eppos pariter debet effectum habere, secus esset otiosa, si proinde Eppi non obligantur nullitatem matr. in foro seculari relate ad Evangelicos adinventam agnoscere, utique nec novum matrimonium ex tali divortio cum catholico incundum admittere obligantur, quia Eppi per parochos personam catholicam cum evangelica, cuius prior coniux adhuc in vivis est, nec copulare possunt, nisi de nullitate prioris matrimonii convincantur. Proinde id, quod praecitatus articulus de effectibus civilibus disponit, ad matrimonium cum catholica persona contrahendum, extendi non potest, eo quidem minus, quod ad verba legis de effectibus civilibus sententiae divortii in foro seculari latae loquentis mox subnectatur exceptio, ne talismodi divortium ad catholicos extendatur. d) Nomenclatio effectus civilis ante Diaetam a. 1791. in legibus Regni non reperitur. Trahit illa originem ex Resolutionibus Aug. Imp. et Regis Iosephi II. in illis autem sub nomine civilium effectuum designantur cessatio legis, legitimitas, et successio prolium ex matrimonio illo, cuius vinculum dissolutum est, progenitarum, extradatio allaturae uxorariae. 5. Nihil obstat, quod divortium inter Barbaram Beretky et priorem eius maritum Nicol. Vattay per Com. Neogradiensem latum sit etiam ex defectu consensus, qui apud Catholicos quoque impedimentum dirimens constituit; nam art. 26 : 1791. non ita loquitur, ut si inter Evangelicos ex principiis ipsorum propriis matrimonium in foro seculari dissolvatur, in hoc non obligentur Eppi validitatem huius divortii agnoscere; e converso si ex principiis etiam apud Catholicos locum habentibus divortii sententia feratur, in hoc casu agnoscere teneantur, sed generaliter disponit, ut Eppi nullitatem vinculi inter Evangelicos soluti agnoscere non obligentur Accedit, quod ipse etiam processus divortialis inter Barb. Beretky et Nic. Vattay non sit debite iuxta normalem Resolutionem art. 1788 per Regnum Hungariae publicatam, seu iuxta principia ante art. 26 : 1791. vigentia et in eodem articulo usque organisationem Consisto-

riorum Evangel. confirmata coram Comitatu Neogradiensi pertractatus, neque adhuc plene decisus sit, siquidem Appellata neglecta sit, et nec defensor matrimonii adhibitus fuisse videatur. Ut adeo si etiam Barbara Beretky Carolo Kiss non nupsisset, adhuc nondum posset pro libera persona reputari.

6. Prout saepe memoratus art. 26 : 1791. non statuit: ex divortii sententia in foro seculari inter Evangelicos pronunciata novum matr. cum catholico simpliciter iniri non posse, sed tantum Eppos ad id admittendum non obligari: ita Eppus Rosnav. numquam asseruit, nec nunc dicit: se nullo unquam tempore velle validitatem matrimonii Carolo-Kissiani agnoscere, imo moderna quoque eius declaratio eo directa est, ut ipsi Carolo Kiss et prolium eiusdem legitimitati consulatur. Evenire ergo potest adhuc, ut ipsemet Eppus Rosn. agnoscat matrimonium Caroli Kiss subsistere posse. Hoc fine siquidem eo ipso, quod lex Eppos ad agnoscendam quaestionati vinculi nullitatem eamque ad Catholicos extendendam non obliget, ad Eppos ipsos pertineat id dignoscere, an et in quibus casibus novum matr. cum catholica persona ineundum ex divortio quoad Evangelicos lato admitti possit: deberet Eppus Rosn. ad eum statum poni, ut cognoscere valeat, an et qualiter Barbara Beretky defectum consensus probaverit, taliterque de nullitate prioris matrimonii Barbarae Beretky cum Nicolao Vattay contracti convincatur. Sed Eppus Rosn. nondum vidit processum divortialem inter Nic. Vattay et Barb. Beretky promotum, adeoque probas ibidem circa defectum consensus adductas ignorat. Imo coram ipsa hac Cancellaria Aulica et Maj. Vestra Sacr. de processu illo divortiali tamquam de re ignota hucdum agebatur, numquam enim idem processus horsum submissus, et isthic visus fuit. Sola sententia Sedriae C. Neogr. huc pertigerat penes instantiam Caroli Kiss Consilio L. exhibitam: sed postquam haec eidem Consilio remissa, et abinde probabiliter Carolo Kiss extradata est, iam nunc neque sententia illa amplius inter acta existit nec cavere potest obs. haec Cancellaria, quod ea, prout per Carolum Kiss exhibetur, ex processu rite ac in sui integritate descripta fuerit, neque denique tenores et motiva illius adaequate comparent. In quantum tamen memoria teneri potest, fundabatur eadem

sententia principaliter in odio implacabili, et pro vehiculo saltem assumebatur defectus consensus. Sed recte hoc est, ex quo fundate in quaestionem vocari potest, an in processu illo defectus consensus fuerit sufficienter probatus. Id enim evenit in iudiciis, quod dum vel unum motivum, in quo sententia defigi potest, sufficiens adinvenitur, reliqua etiam minus probantia pro vehiculo assumantur. Ut vero matrimonium Carolo-Kissianum ex illa divortii sententia enatum pro valido reputari possit, non hoc attendi debet, an inter Barb. Beretky et Nic. Vattay odium implacabile (quod apud Catholicos impedimentum dirimens non constituit) evenerit, sed an defectus consensus sufficienter edoctus sit.

Digrediendo iam ad literas et instructionem moderni Pontificis per Eppum Rosnav. exhibitas, in literis monuit Pontifex Carolum Ducem Würtembergensem his verbis: ‚Non licet tibi habere uxorem, quae est alterius etiam nunc viventis viri. Atque hic non ignoramus, quas ad causam tuam rationes adferas, nimirum per heterodoxorum tribunal illud primum a muliere initum matrimonium, et aliquot Theologorum a te consultorum tuo faventem animo sententiam pro invalido declaratum fuisse. At nos et Apost. haec Sedes, ac universa Cath. Ecclesia eam tenet doctrinam, ex s. Literis haustam, constantique sensu comprobatam, matrimonii vinculum inter qualescunque sacro baptismate tinctos semel validum, siquidem consummatum sit, nullo unquam facto solvi posse.‘ Sententia haec Pontificis ad casum praesentem applicabilis est, quia etiam Comitissa Hohenheim per forum Protestantium a primo marito divortiata fuit, et dein Dux Würtembergensis catholicus vivente adhuc priore eiusdem Comitissae marito illam in consortem duxit, sicut Carolus Kiss Barbaram Beretky vivente huius priori marito Vattay. Praeterea notandum, quod in his literis Pontifex ex s. Scriptura loquens non restringat sententiam suam pure ad catholicorum matrimonia, sed extendat ad omnes sacratissimo baptismate tinctos, idest Christianos, quales sunt etiam Protestantes; atque hoc cohaeret illis, quae superius puncto primo circa matrimonia Evangelicorum insinuata sunt. Ceterum fertur quidem in publicis etiam ephemeridibus prodivisse, quod successive modernus ipse Pontifex validitatem

matrimonii per praefatum Ducem Würtemb. cum Comitissa de Hohenheim contracti agnoverit, siquidem de nullitate matrimonii eiusdem Comitissae ex actis et documentis sibi exhibitis convictus fuerit. Hoc ipsum etiam secundat rem Eppi Rosn. quia idem Eppus quoque id desiderat et expectat, ut videre possit probas, quarum fundamento prius matrimonium Barbarae Beretky cum Nic. Vattay initum per Sedriam Com. Neogr. dissolutum est, et ideo dicit in sua declaratione: matrimonii Caroli Kiss firmitati et prolium eius securitati non alia via consuli posse, quam si causa eccles. iudicii s definienda relinquatur. Per Episcopum provocatae Instructiones eam continent inviationem ex determinatione moderni Pontificis, erga quaestiones sibi propositas datam, ut Eppi vi sententiae in foro seculari latae nemini permittant transitum ad alias nuptias, sed prius ad examen revocent in casibus particularibus, utrum intervenerit impedimentum dirimens canonicum, ex quo revera nullum declarari possit matrimonium, nihil tamen impediat, quominus Eppi utantur actis adbibitis a foris secularibus et consistoriis Protestantium tamquam probationibus extraiudicialibus. Huic inviationi vult Eppus Rosn. se conformare, circa quam notandum, quod nec Pontifex nec Eppus Rosn. excludant iudicium seculare a causis matrimonialibus, sed dum divortiata persona vivente adhuc priori coniuge ad alias nuptias transire vult, nullitatem prioris matrimonii per Iudicium Eccles. cognoscendam esse profiteantur. Cuius ratio utique ea est, quod sacramentum matrimonii administretur per sacerdotem catholicum, adeoque intersit per Iudicem Eccles. cognosci, an novae nuptiae locum habere possint, ne sacramentum contra legem divinam administretur ac suscipiatur. Unde simul patet, non absque fundamento declarasse Eppos tempore conditi art. 26:1791. quod nullitatem vinculi matr. in foro seculari pronunciatam agnoscere non obligentur, et ab obligatione hac per conditam legem immunes etiam redditos fuisse. Sed insuper advertendum occurrit, quod in praeprovocata Instructione exprimatur: in casibus iis, dum matrimonii nullitas ex metu gravi seu defectu consensus praetenditur, prae oculis habendas esse certissimas regulas, quas Doctores passim assignant circa spontaneam cohabitationem utriusque

coniugis, quae subsequitur coniugium metu gravi initum. Matrimonium vero Barbarae Beretky cum Nic. Vattay initum subsequebatur mutua cohabitatio, et consummatum erat. Dum ergo Eppus Rosn. docet, quod Pontifex qua caput Ecclesiae Cath. et Superior causarum matrimonialium, quoad Catholicos etiam causarum Iudex eiusdem sit sententiae; dum articulus 26:1791. nihil in contrarium disponit, ast rem potius Eppi Rosn. secundat; dum insuper processum divortialem inter Barb. Beretky et Nic. Vattay non iuxta normalem Resolutionem praecitato articulo stabilitam coram Comitatu Neogradiensi pertractatum fuisse, et in foro seculari plene decisum esse prodit: obs. haec Cancellaria omnibus probe perpensis et ruminatis in omni submissione ingenue confiteri debet, se de eo convictam esse, quod ab Eppo Catholico id desiderari nequeat, ut sententiae Capitis Ecclesiae in S. Scriptura, et doctrina Ecclesiae fundatae contrarium agat; eo minus proventibus eppalibus ideo privari possit Eppus Rosn. quod nullitatem vinculi inter Barb. Beretky et Nic. Vattay per sententiam Com. Neogr. soluti, consequenter validitatem matrimonii Carolo-Kissiani nondum se agnoscere posse declaret.

Eadem est ratio quaestionatarum Circularium: quousque enim Eppus Rosn. validitatem matrimonii Carolo-Kissiani agnoscere non obligatur, eidem vitio verti non potest, quod matrim. illud pro illegitima cohabitatione ac tecto concubinatu reputet; et quousque Carolus Kiss ab hac cohabitatione non recedit, idem quoque Eppus illum in peccato tali, a quo absolvi nondum potest, vivere existimans spirituali suae iurisdictioni insistit. Consequenter obs. haec Cancellaria putat proventus eiusdem eppales neque ea de causa, quod Circulares illas revocare noluerit, neque nunc velit, sequestrari posse. Adminus ad id non potest dictus Eppus stringi, ut in propria persona eas revocet; alia enim est ratio obiectorum, et casuum pure civilium, alia item eorum, in quae religionis etiam negotium influit; in obiectis pure civilibus aut etiam religionis politicis, in quibus de doctrina huius aut illius receptae religionis quaestio non subversatur, potest aliquis coactivis etiam mediis ad obsequium stringi, etiamsi id facere iubeatur, de quo in animo suo aliter sentit, quia conscientiam non laedit suam; sed ubi

doctrina Ecclesiae in S. Scriptura fundata opponitur et in collisionem venit, quemadmodum aliarum religionum ministri ita etiam catholici Eppi adstringi non possunt, ut ipsimet aliquid contra conscientiam suam agant. Nec iuvat obvertere, quod Eppus Rosn. erret; quia si errat, una cum Pontifice Capite Ecclesiae errat, adeoque ipsi indulgendum est, quod in doctrina Ecclesiae Pontificem velut Caput Ecclesiae sequatur. Meminit quidem haec Cancellaria Anlica, in prioribus propositionibus se ipsam agnovisse, quod dictus Eppus in modo agendi erraverit in eo, quod rem magis caute et secure non instituerit: sed hic existens idem Eppus oraliter declaravit, se promulgari non commisisse id, quod Carolus Kiss, donec Barbaram Beretky dimiserit, sacramentorum recipiendorum incapax sit, sed cum non possit ab omnibus parochis expectari, ut discernere valeant, an tale matrimonium, quale Kiss contraxit, validum sit? ad munus suum pastorale pertinere existimasse, ut parochos pro sui directione de eo edoceat, adeoque ipsi imputari nequeat, quod aliquis parochorum Circulares illas incaute aliis communicaverit, et prodiderit; declaravit item praeattactas Circulares nec pro excommunicatione nec pro interdicto reputari posse; pro excommunicatione non, quia secus Carolum Kiss etiam ab Ecclesiae frequentatione removisset, quod tamen non fecit; pro interdicto aeque non, quia si Carolum Kiss eo afficere voluisset, tunc formale decretum edere illudque valvis Ecclesiae Csoltensis, ubi Carolus Kiss residet, affigi facere debuisset. Si ipsa vocis etymologia spectetur, excommunicatio iuxta etiam definitionem Canonistarum est: censura, qua christianus separatur ab Ecclesiae corpore seu excluditur a fidelium communione; sed Carolus Kiss ab hac exclusus non est, vivit actu in communione fidelium. Interdictum proprie acceptum per Canonistas ita definitur, quod sit censura eccles. privans usu seu participatione officiorum divinorum, aliquot sacramentorum, et sacra sepultura: requiritur autem, ut si interdictum sit personale, specialiter et personaliter denominetur seu declaretur persona; sed quaestionatae Circulares non ita emanarunt, ut earum tenor Carolo Kiss declaretur, taliterque formali interdicto afficiatur. Porro si Circulares illae cum normali de censuris eccles. edita resolutione

et legibus de his sonantibus, utpote art. 1. Lud. Decr. art. 9. Matth. decr. 5. Ulad. decr. 2. art. 37. combinentur, nec ad ullum horum applicari possunt. — Carolus Kiss enim per nullum processum et sententiam declaratus est pro sacramentorum incapace, nec est hoc obiectum tale, quod ad processum pertineret; spectat directe ad Sedem confessionalem, Status vero Politicus nec se immisit unquam ad id disponendum, ut in aliquo casu sacerdos absolutionem denegans hanc dare teneatur, vel ut Eppus praevie Resolutionem R. de eo impetret, an hoc vel illo casu absolutio sacramentalis alicui denegari possit. Ponatur casus, quod hic non subvertetur praecedens Barbarae Beretky cum Nic. Vattay matrimonium et divortium, sed Barbara Beretky persona libera esset, interim Carolo Kiss in vetito gradu sangvine iuncta, idem absque dispensatione illam per circumventionem parochi in uxorem duxisset, ac neque erga monitionem Eppi eam dimittere vellet, et ideo Eppus Rosn. parochos suos inviasset, ne illum in Sede confessionali absolvant, donec illegitimam consortem non dimiserit, et quod suapte sequitur, nec ad communionem admittant, proptereaque Carolus Kiss ad Maj. Vestram recursum fecisset: Cancellaria haec Aul. plene confidit, quod Maj. Vestra non praecipiet Eppo Rosn. ut inviationem parochis datam revocet. Eadem ergo est ratio casus praesentis, quia Eppus Rosn. nondum obligatur matr. Carolo-Kissianum pro legitimo agnoscere, adeoque Circularium revocatio semper adhuc pendet a validitate illius matrimonii. Ponatur et alter casus: si Eppus Rosn. nihil scripsisset, sed tantum verbo ad aurem dixisset suis parochis ea, quae in Circularibus scripsit, idque resciens Carolus Kiss horsum recurrisset, non potuisset Eppus ad revocationem Instructionis parochis datae stringi, et vix alicui incidisset, instructionem talem pro excommunicatione vel interdicto reputare. Quod autem inviatio illa VADiaconis medio scriptarum Circularium data sit, haeque contra et praeter voluntatem dicti Eppi in publicam lucem prodiverint, quocunque demum facto vel errore id acciderit, illud non substantiam Circularium sed formalitatem et modum agendi afficit. Iam nunc non potest memoratus Eppus Circulares illas quoad formalitatem revocare, quin ipsam earum substantiam revocet; sed ubi idem

Eppus fundamenta et probas, e quibus Barbara Beretky a Nicolao Vattay divortiata est, cognoverit, tum magis poterit quaestio de revocatione Circularium sperari.

Proinde obs. haec Cancellaria ultro quoque humillime censet, a revocatione Circularium eousque praescindendum esse, donec Eppus Rosn. ad eum statum ponatur, ut de validitate matrimonii Carolo-Kissiani iudicium ferre possit. Cum interim res iam in situ posita sit, quod Eppo Rosn. ad audiendum verbum Regium evocato revocatio Circularium sub poena sequestrationis proventuum eppalium imposita habeatur: obs. haec Cancellaria pro homagiali sua obligatione et fidelitate non intermisit modum quaerere, qualiter dignitas et auctoritas Regia salvari possit; hunc in scopum censet expedientissimum fore, si Comitatui Neograd. non aliud, tantum id unice commissum fuerit, ut cum Eppus Rosn. nunc primum insinuaverit, processum divortialem inter Barb. Beretky et Nic. Vattay vitiose pertractatum appellatamque neglectam esse, idem Comitatus processum illum pro altissima inspectione Maj. Vestr. Sacr. submittat. Contra haec nemo potest fundate quidpiam obvertere: nam praeterquam quod inspectionem processus Maj Vestra Sacr. suprema potestate sua exigere semper possit, insuper ordinatio a. 1788. ut in causis matrim. etiam Evangelicorum defensor matrimonii assignetur, sicque si neutra pars divortii sententiam appellaret, eam appellare teneatur, iam in legem quoque relata est, adeoque Maj. Vestrae competat cognoscere, num ordinationi illi et legi in praeattacto processu satisfactum sit? Idem vero horsum submittendus processus uberius lumen daret, quid in hoc negotio ulterius ordinandum veniat, an et qualiter res tota absque coactivis mediis superari possit? Quippe si in exemplo ipsa Maj. Vestra clementer compreriret defectum consensus ibidem debiliter probatum, et fors tantum e mutua inter partes collusione absque matrimonii defensione recognitum, et in hac nuda partium recognitione sententiam divortii relate ad defectum consensus fundatam esse, confidit obs. haec Cancellaria, quod Maj. Vestra amplius non stringeret Eppum Rosn. ut sententiae tali acquiescat: Carolo tamen Kiss in salvo manente illud beneficium, quod novas probas, si quas habet, pro capacitatione Eppi Rosn.

in eodem summaria via exhibere possit, aut id etiam disponi, ut praevie processus in Curia R. revideatur. E converso si Maj. Vestr. videretur defectum consensus sufficienter edoctum esse, pro maiori Eppi Rosn. capacitatione ordinari posset, ut processus adhuc etiam per Curiam R. in revisionem sumatur, sique etiam Curia R. indicaverit defectum consensus satis probatum esse, supponi debet, quod Eppus Rosn. visa Curiae R. sententia ipse quoque agnosceret validitatem matrimonii Kissiani, et Circulares suapte revocaret, vel si etiam nec tunc fors agnosceret, superius Forum Eccles. Metropolitanum ac Primatiale summaria via catenus audiri posset, sique illius iudicium matrimonium illud pro valido agnosceret, tunc utique etiam Eppus Rosn. nullam amplius difficultatem formaret. Hoc tamen non deberet fieri nec fieret in forma superrevisionis sententiae in foro seculari latae, neque Protestantibus praeiudicari posset, quia relate ad Evangelicos in foro seculari lata sententia semper subsistere deberet, ac nonnisi id agnosceretur, an probae, ex quibus divortium in foro seculari pronunciatum est, ita sint comparatae, ut ex iis matrimonio etiam cum catholica persona ineundo locus dari possit.

Consiliarius Aul. Gyürky exhibuit votum separatum; circa quod siquidem pleraque, quae in eodem adferuntur, iam in superioribus elisa sint, sequentia duntaxat attingenda esse putavit obs. Cancellaria Aulica: Articulus 26: 1791. prorsus non potest ita explicari, quasi per clausulam de Eppis sonantem unice hoc indicare voluisset, quod Eppis liberum sit de nullitate vinculi matr. in foro seculari adinventa pro convictione sua privata pro arbitrio sentire, in reliquo autem illis obligationem imposuisset, ut ex tali divortio novum matrimonium cum catholica persona ineundum admittant. Nam a) obiectum legislationis ceteroquin non est, id definire, quidnam aliquis privatim in sua conscientia sentire possit, sed eius obiectum sunt actus externi. b) Quaestio illa, an ex divortio inter Evangelicos in foro seculari pronunciato novum matr. cum catholica persona iniri possit, non subsistit pure in privata conscientia Epporum, sed refertur ad actus externos, ad tales vero in materia religionis conscientiae contrarios exercendos quemadmodum Evangelicos lex non obligavit, ita uti-

que nec Catholicos Eppos obligari voluit, vel obligari voluisse supponi potest. c) Si praecitata lex in illo sensu, quam eidem Consiliarius Aulicus tribuit, sumi deberet aut posset, tunc neque supradictis mulieribus Catharinae Ziman et Barbarae Vörös potuisset matrimonium cum catholicis viris ineundum per Resolutionem R. denegari, sed potius disponendum fuisset, ut Eppis Agriensi et Rosnaviensi liberum quidem sit id, quod eaedem mulieres a priori matr. vinculo legitime solutae sint, in conscientia sua non agnoscere, nihilominus per actum externum catholicos viros ad matrimonium cum iis ineundum admittant.

Quaestionatae Circulares non debent nec possunt in se solae considerari, sed coniunctim cum principali quaestione de validitate matrimonii Kissiani, a qua resolutio earumdem Circularium pendet; principalis autem illa quaestio refertur ad doctrinam Ecclesiae Catholicae, non vero pure ad disciplinam; patet id tam ex literis et instructione moderni Pontificis superius adductis, quam ex Concilio Trid. ubi dogmatica distinquuntur a disciplinariis, et canones de matrimonio per Eppum Rosn. citati inter dogmaticos recensentur, ac vel ideo pro dogmaticis habendi sunt, quod, uti constat, occasione Reformationis inter alia dogmata peculiaris fuerit controversia etiam de matrimonio, ac propterea Concilium Trid. illud per aliquot canones sub anathemate definiverit. Unde liquet nec id subsistere, quasi canones Concilii Trid. tantum ad matrimonia catholicorum referrentur; notum ceteroquin est, quod cum controversa quaedam quaestio in Conciliis definiebatur, decisio Conciliorum semper contra illos, qui ab Ecclesia Cath. recesserunt, directa et ad totam Christianitatem extensa fuerit, sicut etiam modernus Pontifex sententiam suam de doctrina Ecclesiae Cath. quoad indissolubilitatem matrimoniorum semel legitime initorum ad omnes baptisatos seu christianos extendit. Reflectendum est hic ad art. 16 : 1550 circa tempus Concilii Trid. conditum, tenore cuius statutum fuit, ut seculares omnes sine ulla controversia aut disputatione obedientes se praebeant Eppis, in his videlicet, quae ad Deum eiusque cultum spectant; neque contra eorum doctrinam quovis modo se se audeant efferre, sed siquid deliberatione egere, aut in disputationem vo-

cari posse ipsis videretur, relinquant id totum Concilio Generali. Hic ergo intelligitur Concilium Trid. quod alioquin in Hungaria ex toto receptum est. Nec ab exemplo casus Mumhardiani et ex facto Eppi Munkacsiensis sequitur id non esse dogma, et doctrinam Ecclesiae Cath. quam Eppus Rosn. et Pontifex pro tali habet. Hac in materia plus credendum est Capiti Ecclesiae, quam Eppo Munkacsiensi: imo credibile, quod si Eppus Munkacsiensis sententiam Pontificis superius attactam scivisset, nec ille Mumhardio matrimonium admisisset. Casus Mumhardianus tantum ea ratione superatus est, quod cum Eppus Munkacsiensis matrimonium Mumhardio non difficultaverit, nec ex parte politica quaestio moveri debeat; unde potius illud surgit argumentum, quod si vicissim per Eppum in simili casu difficultas formetur, ex parte politica res relinquenda sit pariter decisioni Iudicii Ecclesiastici.*). Sed etsi Eppus Rosn. in quaestione matrimonii catholicam personam tangente sola sententia Pontificis ac Iure Canonico se tueretur, pro eodem sufficeret, quia causae matrimoniales catholicorum inde a temporibus S. Stephani Regis semper in Eccles. indicatae fuerunt, et art. 25: 1552. 22: 1553. 27: 1563. 25: 1567. constitutum est, ut causae hae coram Sedibus spiritualibus iudicentur iuxta canonum auctoritatem, hi vero ab auctoritate Pontificum profluunt. Qualitercunque demum seu Commissio Ecclesiastica, seu Comitatus Gömöriensis quaestionatas Circulares compellet, quamvis praesertim Comitatus Gömöriensis adhibito excommunicationis nomine rem odiosam reddiderit, in iisdem Circularibus nec maior nec minor excommunicatio aut interdictum exprimitur; quod tamen exprimi debuisset, si Eppus Rosn. Carolum Kiss excommunicare, vel interdicto afficere voluisset. Si vero res ipsa, seu substantia et scopus Circularium illarum spectatur, unice eo directa sunt, ut Carolus Kiss in Sede Confessionali eousque non absolvatur, consequenter nec Sacr. Eucharistiae, quod absque praevia absolutione

*) **Mumhard** Dioecesis Rosnaviensis fidelis scopum suum assequi volens a RCath. Ecclesia transivit ad Graeci Ritus Ecclesiam, in qua simile matrimonium ineundi facultatem obtinuit; sed non diu hac felicitate fruitus, nam raptatus per equos in hoc periculo vitam amisit.

suscipere non potest, eidem administretur, donec Barb. Beretky non dimiserit. Haec autem non est talis censura, sicut in exemplo dum ob verberationem clerici contra aliquem sententia excommunicationis fertur, in quali casu sententia iuxta normalem Resolutionem praevie una cum processu altissimae inspectioni R. substerni debet; sed ab hoc casu longe distingvitur, ac ipsum dogma fidei involvit, quia profluit deductio illa Eppi Rosn. ex iure ligandi et absolvendi a peccatis, seu potestate clavium, quae iuxta dogma catholicum per Christum data est Apostolis, et abhinc in Episcopos et sacerdotes est transderivata. Dum ergo Eppus Rosn. Circulares suas revocare cogitur, in potestate clavium, quam a dogmate fidei habet, restringitur, imponitur eidem et sacerdotibus Dioec. Rosn. quidnam in Sede Confessionali agere debeant, quippe ut Carolo Kiss non obstante cohabitatione cum Barb. Beretky, quam Eppus Rosn. pro illegitima adeoque pro peccato concubinatus servat, absolutionem impertiantur, et matrimonium Caroli Kiss pro valido agnoscant. Haec enim esset necessaria sequela revocationis Circularium. Et ad haec adstringebatur hucdum Eppus Rosn. fundamento processus divortialis inter Barb. Beretky et Nic. Vattay promoti sed isthic numquam adhuc visi.

Proinde obs. haec Cancellaria Aulica pro sui etiam maiori orientatione ultro quoque expedientissimum fore censet, hic et nunc id solum ordinare, ut, quemadmodum superius adductum est, Comitatus Neogradiensis praeattactum divortialem processum in originali horsum submittat, a revocatione autem Circularium tantisper ea etiam e reflexione praescindere, quod postquam Eppus Rosn. declarat, se illas revocare non posse, si etiam Maj. Vestra proventus eiusdem eppales sequestrari faceret, per id adhuc non procuraretur effectus Resolutionis Regiae; sed si Maj. Vestra absolute vellet Circulares illas revocari, alia modalitate deberet earum revocatio institui. Nam si haec fieret per Commissarium Reg. evenire posset, ut eo non obstante presbyteri Dioec. Rosn. ac etiam aliarum Dioecesium eousque donec Eppus Rosn. aut superius Iudicium Eccles. validitatem matrimonii Caroli Kiss non agnoverint, absolutionem in confessione eidem denegent, et tunc novis iterum gravibus difficultatibus involveretur ac compromitteretur auctoritas Re-

gia. Quodsi Carolus Kiss ob denegatam sibi absolutionem recursum isthuc faceret, presbyteri nequidem constitui possent de eo, quidnam in Sede confessionali egerint. Si Eppus Rosn. per Circulares illas potestate clavium et iurisdictione spirituali abusus est, planior esset iuxta Canonistas via, Pontificem interpellandi, ut factum Eppi corrigat. Si enim Pontifex illud reprobaret et alteraret, utique omnes presbyteri Pontifici obsequerentur, taliterque vigor Circularium illarum suapte cessaret; sed praevideri potest, quod etiam Pontifex ad dignoscendum id, an Eppus Rosn. matrimonii Kissiani validitatem non agnoscendo et Circulares expediendo iurisdictione eppali abusus sit, prius capacitationem de nullitate prioris matrimonii per Barbaram Beretky cum Nicolao Vattay contracti exigeret, a qua videlicet validitas matrimonii Caroli Kiss pendet; idem evenire posset, si Maj. Vestra sequestratis Eppi Rosn. temporalibus a Pontifice desideraret, ut ipsa quoque eppalis iurisdictio eidem Eppo adimatur. Viennae 5. Aug. 1796. — Resolutio Regia. Eppus Rosnaviensis ad obtemperandum mandatis meis in causa praesenti elargitis per effectivam bonorum eppalium sequestrationem indilate stringatur, et post effluxum trimestralis termini a die sequestrationis computandi mihi relatio exhibeatur, num idem mandatis meis morem gesserit nec ne, ut dein ulteriora disponi valeant. Franciscus.

1015.

Declaratio Eppi ad Consilium RLH. postrema, 1797.

Intellexi e ben. ad me directo Intimato: Maj. SSmam benigne resolvisse, ut ad obtemperandum eiusdem Maj. SSmae mandatis in causa matr. Caroli Kiss et Barbarae Beretky per indilatam bonorum eppalium sequestrationem stringar, et post elapsum trimestre Maj. SSmae referatur, an interea paruerim, vel minus? Annus iam tertius labitur, quod ad sequestrationem hanc bonorum, atque ad quodlibet pro hac causa patiendum plenissimo, de Domini mei adiutorio confidens, animo sim prorsus comparatus. Hoc enim veritati catholicae debeo: ut non docendo tantum, agendoque, sed patiendo etiam testi-

monium illi perhibeam. Simplex autem et aperta catholicae veritatis fides ista est: ‚Si quis dixerit matrimoniales causas non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit', loquendo autem de quibusvis baptisatis, ‚licere secundum Deum et rectam conscientiam, et in ordine ad effectus spirituales coniungi personae alteri aliquando nuptae, quamdiu coniux ipsius vivit, nisi legitimo Ecclesiae iudicio cognoscatur, declareturque, primum illud matrimonium irritum, nullumque fuisse.' Unicum, quod Cels. Vram et Exc. Consilium instantissimis precibus obtestor, illud est: ut causae illius matrimonialis gravitatem adhuc dispicere et plene advertere benigno-gratioso dignetur oculo, ac pro eo apud Maiestatem SSmam intervenire: nec illic se se Catholica Religio destitutam lugeat auxilio, ubi praecipuum praesidium, opemque sperabat, neve inde referat detrimenta, unde capienda erant remedia. Rosnaviae, 4. Febr. 1797. Antonius Baro Andrássy, Eppus Rosnaviensis.

Nota. His pro coronide liceat aduectere, quae de ultimis praeclari Eppi diebus oculatus refert testis, Adalbertus Pogány, antea Canonicus Rosnaviensis, demum Praepositus Posoniensis, in suo opusculo: Monumentum Antonio e L. B. Andrássy de Csik-Sz. Király et Kraszna-Horka, Eppo Rosnaviensi, gemmae Epporum Hungariae, in tesseram grati animi et perennem posteritatis memoriam erectum. Pestini. 1854. p. 61: „Non adexpectato dein Commissarii Regii pro sequestratione bonorum eppalium exmissi adventu, etsi patrimonialibus ad Rosnaviam gauderet bonis, prout coepit, in religiosis aedibus vitam claudere praeeligens, semet ad locale PP. Franciscanorum claustrum, una cella contentus, recepit, atque prope tribus adhuc annis Dioecesim gloriose gubernans, constanter retento hilari vultu, testataque plena in divinam providentiam resignatione, ad maiorem adhuc sui venerationem et admirationem rapuit orbem. Ac tandem virtutibus meritisque gravis, constans et intrepidus Christi athleta, spe et heroica fiducia plenus, Numini, a quo accepit, immortalem reddidit animam die 15 Nov. 1799, ipsa hora, qua Exequiae pro Summo Pontifice Pio VI in captivitate Gallica defuncto in Cathedrali Ecclesia celebrabantur. Quo pio S. Praesulis obitu mox e Cathedra fideli populo annunciato, lugubre hoc nuncium quantae

mox omnium in Ecclesia lacrimae, lamenta, planctus, et suspiria exceperint, ipsi testes fueramus. Sic moritur iustus, qui despiciens mundum et terrena, triumphans divitias coelo condidit ore manu! Immortalis memoriae Eppum, sicut fidei catholicae, ita Regi fidelissimum, iustam defendisse causam, et ipse pientissimus terrae Princeps, de hac iuris et fidei quaestione dein melius informatus, recognovit. Nam utut non defuerint iterata tentamina, numquam simile matrimonium amplius admisit; imo et uni Iurisdictioni Ecclesiasticae, quod a. 1810 viro Catholico B. I. V. cum muliere acatholica C. A. K. per forum seculare a viro priori divortiata, nec expectata fori superrevisorii sententia, simile matrimonium admiserit, utut excusationem suam in Resolutionibus pro favore Caroli Kiss editis fundare niteretur, severe improbari fecit. Quoad illos autem, qui tempestatis huius causa extitere, non emansit Nemesis divina. Nam Barbara Beretky prius infausto morbo absque haerede extincta, a fatis eius Carolus Kiss Consiliarius Regius ex ipsius nexu cum nobili familia Beretky Helv. Confessioni addicta litigiis implicitus, ex incidenti causati per Commissionatum suum occasione occupationis iurium Beretkyanorum homicidii per Sedriam eiusdem Comitatus Gömöriensis, qui prius tantis cum clamoribus propugnabat matrimonii Kissio-Beretkyani legitimitatem, nunc vero iam nullum fuisse clamabat, ad mortem damnatus, in carceribus vitam terminavit, ac una haec familia defecit. Sicque hinc etiam o mortales! discite iustitiam moniti, et non temnere Divos!" — (Monumenta haec e laudato opusculo desumta sunt.)

1016—1020.

Acta ad causam matr. mixti Michaelis Berezely et Annae Hamar in Dioecesi Vaciensi a. 1798—1808. spectantia.

1016. Mandatum Monitorium Vicariale, e quo totius causae series intellegitur. 1800. Gabriel Zerdahelyi etc, Dilectis Nobis etc. Noveritis, quod Egregius iunior Michael Berezely cum Egregio aeque Michaele

Hamar a 1798 die 28 mensis Iulii comparentes iu nostri praesentiam exposuerint nobis: quomodo idem praenominatus D. Michael Berczely mox nominati D. Michaelis Hamar legitimo thoro natam filiam Annam in futuram vitae sociam et coniugem sibi desponsaverit. Cum autem hac in parte desiderium suum obstante quarto aequali consangviuitatis gradu adimplere sine dispensatione Apostolica non possent, supplicuerunt nobis, ut iisdem de benignitate Apostolica relaxatione impedimenti huius subveniremus. Quorum ardentissimis precibus cum ex defectu acceptae eatenus a Sede Apostolica auctoritatis nos deferre neutiquam posse cum dolore declarassemus, siquidem in impedimentis istiusmodi concessae nobis facultates praecise ad catholicae fidei cultores extenderentur, praefatus vero sponsus Augustanae Confessionis foret: offerebantur nobis ab utrinque et de educandis prolibus utriusque sexus in fide, et de secutura, remoto amissionis sperativae cuiusdam adipiscendae post aviam successionis periculo, ipsiusmet sponsi ad fidem conversione Reversales. Cuiusmodi securitatis etiam velo et tenore dum restrictae a Sede Apostolica delegationis nostrae limites minime ad vota supplicantium extendi ultro citroque declararemus: perstiterunt illi porro etiam instanter instantius instantissime supplicantes, ut reflexe ad praeviam illorum oblationem ex subversantibus ac in utriusque contrahentium partium emolumentum sortisque levamen tendentibus precibus illorum deferre non differremus. Tanto fervore, tot pro sinceritate animi declarationibus factis moti, ut ardenti adeo desiderio ambarum partium, et soceri nempe et praesumti generi, pro imbecillitate nostra, iuterna aliunde non penetrantes, sed ex extrinsecis internum sensum metientes, uti et conscientiae nostrae consuleremus, ac tanta ad nos humilitate, observantia ac fiducia recurrentibus, ne lapidem pro pane, serpentem pro pisce, pro ovo porrigeremus scorpionem: illud ad optatissimum desideriorum eorum implementum non minus ac conscientiae nostrae tranquillitatem iisdem suggessimus medium: ut, siquidem unicus obex ad profitendam promte catholicam fidem, speratae successionis in simili casu amittendae periculum esse adstrueretur, sponsus fidei professionem coram secreti tenacibus in privato emitte-

ret, Ecclesiam, prout hactenus faciebat, nostram frequentaret; fine vero susceptionis secreto Sacramentorum suis temporibus civitatem hanc ingrederetur; atque ita ad exemplum Iosephi ab Arimathaea, et Nicodemi occultorum Christi discipulorum propter metum Iudaeorum, et ipse occultus fidelis, usquedum metus subversantis periculum cessaret, aut alia circumstantia revelationem et manifestationem fidei suae non exigeret, remaneret. Cuiusmodi propositionem nostram cum solatio ambabus, ut aiunt, manibus amplectentes, sponsus fidei professionem et viva voce in manibus Officii Secretarii, adstante etiam velut teste praememorato D. Socero suo, cum omni extrinseco quoque pietatis sensu emisit, et scriptam proprio pugno et ipse subsignavit, et praesens sacrae actioni socer ut testis recognovit. Quibus praestitis ac ad nos fidedigne perlatis, nihil dubitavimus expetitam suppliciter dispensationis gratiam in quarto consangvinitatis gradu ac denunciationibus elargiri, ut iam ambo oratores catholicae fidei cultores matrimonium inter se rite contrahere possint. Certo tenebamus et spectata hac agentium extrinseca sui demonstratione, et pro qualitate notarum nobis a longiori iam tempore personarum, et pro rei magnitudine cum Divini Numinis invocatione nequaquam fraudulentum et dolosum quid agi posse, ipsumque Omnipotentem minime ostentui habendum, ac ne nos quidem post omnem exhibitum affectum testatumque complacendi studium ludificandos nobis vel imaginari poteramus.

Acerbissimo idcirco animi dolore oppressi sumus, dum recens exacto anno 1799, iamiam exspirante confessionis paschalis termino, eodem saepe nominato D. iuniore Michaele Berezely nec huc pro susceptione Sacramentorum secundum factam sponsionem comparente, nec de praestita observantia huius iuxta ac Ecclesiae praecepti semet legitimante, eundem utriusque obligationis adimplendae admoneri faceremus, ex dato tam scripto responso, quam factis per eundem coram aliis declarationibus intelleximus, illum nobis illudere, et sub specie pietatis ac religionis dispensationem matrimonialem extorquere voluisse, illusisseque revera, et dispensationem extorsisse, palam et manifeste confirmavit, dum 5 Aug. 1799 natam e coniuge sua prolem masculam per Gutaiensem

Aug. Conf. Ministrum baptisari curavit, ut nihil ultra ad dolum, fraudem, nobisque et Deo illudendi studium desiderari posset. Quoniam autem nos a Sede Apostolica in impedimentis matrimonii nonnisi cum catholicae fidei cultoribus parte ex utraque sponsis aut ad fidem conversis facultatem dispensandi obtinuissemus, atque ideo disparis religionis coniugibus nec licite nec valide dispensare quiremus, sed omnino nec intenderimus: id quod disertis verbis dispensationi insertis expressimus: ‚quod praefatus sponsus alias Aug. Conf. addictus animum ad fidem catholicam amplectendam adiecerit, imo hanc praevie coram delegato nostro expresse professus sit': perspicuum idcirco est, matrimonium hoc, utpote cum permanente impedimento dirimente contractum nullum et irritum esse; ob-vel subreptitie impetrata rescripta ipso iure nulla esse clarissime continentibus Cap. 8. 30. et 31. de Rescr. atque eodem Tit. c. 18 matrimonium hoc diserte irritum declarante: ‚mendax precator penitus careat impetratis, quia fraus et dolus nemini patrocinari debent.' Porro cum simili impedimento matrimonia contrahentes coniuges praeter poenas alias separandi ab invicem utroque iure decernerentur, et quidem C. Moguntini sub Leone X cap. 29: ‚qui furtivas vel interdictas nuptias contrahere praesumserint, et proximi cognationis fuerint inventi, separentur quoque et ipsi, et cunctis diebus vitae suae sub poenitentiae lamentis permaneant, atque ad secundas nuptias numquam ille vel illa perveniant; — filiique, qui de hoc tam incesto coniugio nati fuerint, improbi habeantur, nullamque rerum adipisci valeant parentum facultatem.' — Canon: ‚Qui propinquam sangvinis uxorem ducunt, et separantur, non licebit eis, quamdiu uterque vivunt, alias uxores sibi in coniugio sociare, nisi ignorantia excusentur.' Caus. 35. qu. 2. — Trid. Sess. 24. cap. 5. de ref. matr.: ‚Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumserit, separetur, et spe dispensationis consequendae careat, idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit.' Consonant his sanctionibus canonicis leges quoque nostrae patriae, signanter I. 106. §. 2: ‚Si inter virum et mulierem scienter et contra prohibitionem fratrum vel eis succedere debentium ma-

trimonium contractum et tandem divortium secutum vel non secutum fuerit, soboles durante matrimonio generatae in bonis et iuribus possessionariis eorum parentum succedere non possunt, sed ad fratres generationales vel alios succedere debentes eo facto devolvuntur. Quas etiamsi Papa legitimaret, tamen ad successionem bonorum ipsa legitimatio locum non haberet. Mulier praeterea dote sua carebit.' Item I. 107: ‚Scientia autem coniugum apparebit ex hoc, si in tali propinquo gradu consangvinitatis fuerit contractum, quod eorum utrique notoria fuisset. Consangvinitas enim secundum sacros canones et regni quoque nostri legem ad quartum gradum inclusive connubium prohibet atque vetat.' Tit. 108: ‚Ignorantia in hac parte legitimas, scientia vero illegitimas ad successionem bonorum immobilium utrorumque parentum proles generat atque producit; et illegitimas proles quantum ad successionem praedictam neque Summus Pontifex neque etiam noster Princeps in praeiudicium et contra voluntatem filiorum legitimorum et aliorum de iure succedentium legitimare potest.'

Quamobrem Vobis — in virtute sanctae et salutaris obedientiae firmiter praecipientes committimus et mandamus: acceptis praesentibus vos immediate ad praenominati Egr. D. iunioris Michaelis Berczely habitationem conferatis, eundemque rite ac dilucide explanatis praemissis ad implementum sponsionis Deo in forma solemni factae admoneatis, cum declaratione: quod nisi admonitioni huic nostrae intra quindenam paruerit, nos pro imposito nobis iure utroque onere ad evitandam legitimorum successorum iniuriam, vitandumque publicum scandalum fidelium sua forma legali ad invalidationem nulliter contracti matrimonii istius processuros esse. Quo ita admonito admonitionis huius fundamenta et tenorem non minus praetensae coniugi illius, et socero et socrui sua convenienti forma explicetis, et de sequelis admonitionis huius nostrae cum omni mansvetudine et placiditate citra divulgationem crediti vobis et explendi muneris edoceatis; de effectu ac implemento delatae vobis provinciae istius sinceram et conscientiosam relationem facturi. Datum Vacii die 31 Mart. 1800. Gabriel Zerdahelyi.

1017. **Mandatum Citatorium ad comparendum coram S. Sede Consistoriali et recipiendum iudicium.** 1800. Expositum est nobis nomine et in persona Egregii Iosephi Kiss de Boldogháza, qua tamen Fisci Consistorialis: qualiter a. 1798 die 28 Iulii Egr. iun. Michael Berczely cum Egr. aeque Michaele Hamar, cuius filiam Annam sibi in futuram vitae sociam desponderat, postquam intellexissent ex responso ad factum ad Officium pro dispensatione in quarto gradu consangvinitatis aequali recursum, petitam dispensationem ob disparitatem religionis elargiendi potestatem non adesse, ipsimet in persona ad Ill. ac Rev. D. Eppum Vicarium Gen. Cap. comparentes, cum praeattactam dispensationem instanter instantius instantissime sollicitantibus declaratum fuisset, hanc obstante non tantum facultatis defectu, sed ipsis Constitutionibus Ecclesiasticis eiusmodi matrimonia prohibentibus, nec erga oblatas tam de educatione prolium in fide, quam suimet ipsius successive conversione Reversales concedi valide et licite posse; declaratumque iis insuper fuisset, siquidem metus amittendae cuiusdam sperativae successionis ad casum divulgandae suae conversionis ad fidem cum a praesenti oblatarum reversalium implemento prohiberet, ipsam fidei professionem fieri posse secreto, ac cousque dum vel allati metus periculum cessaret, vel alia adiuncta et circumstantiae revelationem professionis fidei factae svaderent aut exigerent, sacramenta in secreto apud peculiariter secreti tenacem sacerdotem libere per se deligendum suscipere illum posse: iidem pleni solatio et consolatione, quod adeo optatum matrimonium hac via conciliari posset, promte et alacriter propositioni factae accesserunt: ac Egr. Michael iun. Berczely antea Aug. Conf. in Cancellaria Eppali in manibus Officii Secretarii Hon. Francisci Molnár, assistente coram patre sponsae Egr. Michaele Hamar Catholico, fidei professionem secundum formam SS. C. Trid. lingva vernacula omni pietatis et devotionis sensu extrinsecus exhibito emisit, descriptamque nitide proprio pugno signavit; quid idem et assistens socer velut testis propria quoque syngrapha firmavit. Nihil minus expectari poterat, ac ut tanto zelo tantoque fervore expetitum, ac cum tanto solatio et gaudio acceptatum et effectu firmatum

medium non tantum suo careret implemento, verum etiam in illusionem et ludibrium verteretur Omnipotentis Dei, quem professionem fidei emittens testem sponsionis suae invocavit, in contemtum et vilipendium auctoritatis et dignitatis illius Praesulis, ad quem hoc fine refugit, per quem propositum medium sponte, libere, alacriter acceptavit. En autem! quam male expectationi finis respondit, remque totam dolose, fraudulenter, illusorie (si tamen Deus illudi potest) ad institutionem aliorum, ad convulsionem totius commercii humani actam fuisse, non solum adpromissorum operum et factorum executio, verum ipsa contrariarum plane actionum datae Deo et hominibus fidei executio remonstrat. Nam et reflexus ad sponsionis suae implementum per exaratas semel iterumque epistolas, per sacerdotem, in cuius manibus professionem fidei emiserat, factum non negavit, sed calumniis, convitiis, contumeliis in Religionem, in Sacerdotium, ipsumque scribentem congestis, se catholicum esse nolle, nec voluisse affirmavit mordacibus verbis. Et ut vel reversalium oblationem fraudulentam et dolosam, verum autem ac reale dispensationis extorquendae studium, hypocritica hac religionis fictione fuisse, publicum et manifestum reddat, illudendique Deo, legibus omnibus, pactis et conventionibus animum plane certum et indubitatum faciat, natam ex incestuoso hoc matrimonio prolem masculam die 5 Aug. 1799 per Gutaiensem Aug. Conf. Ministrum baptisari curavit: ut adeo nihil ad fictam et dolosam extorsionem dispensationis gratiae ultra requiratur. Novissime vero ad implementum factae sponsionis canonice monitus admonentibus reposnisset, quod eatenus legitime citari, actione conveniri, et sententiam de invaliditate matrimonii sui experiri velit: eapropter sanctionibus et legibus utriusque iuris in Mandato Monitorio uberius deductis et adhuc per decursum litis inducendis insistendo, earumque vigore, siquidem omnes causae matrimoniorum vel maxime relate ad validitatem eorum utroque iure ad sacrum hoc tribunal pertinerent, ipsaque matrimonia mixtae religionis sive ita inita sive talia per successivam alterutrius partium ad fidem conversionem talia effecta Sedium Spiritualium nostrarum iudicio discutienda art. 26: 1791 reservarentur, ideo petit Egr. iun. Michaelem Berczely et con-

sortem eiusdem nob. D. Annam Hamar in ius vocari, initumque taliter per eosdem matrimoninm pro irrito et invalido, ad reliquorum etiam congenerationalium securitatem declarari, et, quod fraus et dolus nemini patrocinentur, demonstrari, atque intuitu praemissorum cum expensarum etiam refusione, poenarum legalium ac censurarum ecclesiasticarum adiudicatione ius et iustitiam administrari. Cum autem insta petenti non esset denegandus assensus: pro eo Devotionibus vestris etc. (solita forma Citationis.) — Datum ex Sessione Consistoriali Vacii die 28 Apr. 1800.

1018. Sententiae Consistoriales. a) dd. 12 Aug. 1800: Competentia fori huius ex actionalibus legibus manifesta existente, personali vero iudicatui elargitione dispensationis sen in denunciationibus sive etiam in impedimentis matrimonii, secundum usum et praxim praeiudicare nequeunte, imo fictione aut fraude in impetratione eiusmodi dispensationis eveniente, de iure, usu et consvetudine elargiens dispensationem ex nobili Iudicis officio ad invalidandum eiusmodi matrimonium, poenasque fraudis et fictionis exigendas procedere debet; iudicatu idcirco stabilito, Agentem pro RR. CC. in institnto hoc, in quo de validitate Sacramenti, quod ipse nec tale esse, nec contractum matrimonialem indissolubilem profitetur, quaestio vertitur, agere in foro hoc nonnisi cum causae longa detentione et scripturarum contra naturam causae huius accumulatione, ut acta hactenus perhibent, nequeuntem, eundem argnmento etiam art. 27: 1567 et 41: 1566 ab agendo hic removeri, — atque ideo Partes sepositis his inanibus exceptionibus procedurae fororum spiritualium incohaerentibus, ad meritorie agendum iudicialiter moneri. — b) dd. 18 Dec. 1800: Proprio suo Manuscripto RC. I ord. elicitam et sua syngrapha quoque signatam professionem fidei, vere, sincere, omnique dolo et fictione remota, elicitam fuisse, ultro agnoscente: siquidem sensu Cap. Relatum de Cler. non resid. verba accipienda sint cum effectu, et Cap. In his quae ambiguitatem continent de verbor. signif. non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire, et Cap. Intelligentia eod. tit. non sermoni res, sed rei est sermo subiectus, rectam

et sinceram manifestationem sensus I ord. RC. Fisci snbsumtionibns evertere nequenntibns, ac eo ipso dispensatione in imped. consangv. conformiter facultatibus et potestati a Sede Apostolica acceptae RR. CC-tis per dispensantem elargita in quaestionem vocari nequennte, actionem qnoqne Fisci Consistorialis ad invalidationem cessare. In quantum nihilominus vere et sincere elicita praevio modo fidei professione, per defectum implementi eorum religionis actuum, quorum exercitium et frequentationem praevie etiam spoponderat, et contrarias actiones agnitae veritati, sacrosanctam sponsionem suam I ord. RC. violasset: in horum excusationem et fundamentnm eiusmodi perfidi recessus nec professionem vere et sincere elicitam antecedentibus nec hanc consequentibus praetextuosis actis et factis, simpliciter tantum nunc adstructis et non probatis pro legitimatione ausns hniusmodi deservire valentibus; obstat quippe in specie praetensae ignorantiae totius doctrinae fidei catholicae contraria eorum coram dispensante Eppo facta eatenus oralis protestatio; obstat iam in antecessnm secundnm attestationem loci parochi a tribus et amplius mensibus divinorum officiorum in nostrate Ecclesia assidna frequentatio; obstat exceptioni ex defectu capacitationis de motivis credibilitatis fidei nostrae ad normam omninm a fide deficere volentium sine ullo fundamento adduci solita post sinceram et citra fucnm et fictionem aliquam secundnm proprium Mannscriptum recognitam professionem nunc primum ad praevaricationis suae iustificationem inducta causalitatis generalitas; obstat exceptioni, quae a violatione pacti praetensive cum dispensante conclusi de non revelanda hac sua professione usque obitum aviae adducitur, iam ante contractum hunc matrimonialem expost detectus eiusdem iam longe antea e vivis excessus; obstat praetensae revelationi per loci parochum intra triduum secutae impossibilitas, cum intra triduum praetensum illi factum realiter nec innotescere potuerit, multo minus hinc eidem significatum fuerit; atque ideo omnes praetensi sermones parochi in forma consequentiae ex secuto contractu matrimoniali illative et opinative profecti, in revelationem secreti ac una causam deficiendi a fide sincere professa perperam trahi perspicuum evadit. Quamobrem his omnibus in nul-

lam reflexionem venire quenntibus, quaestione nihilominus praevaricationis, regni publicae in art. 27: 1791 relatae Constitutionis animadversioni obnoxia, non ad forum hoc pertinente, verum Suae Maiestati SSmae reservata, eidem Maiestati Suae via Exc. Consilii Regii repraesentandum decerni: ut eadem Maiestas Sua definire dignetur, an contra, ac iure gentium et naturae datam hominibus fidem frangere, conventionesque eas, quae ab humanis legibus robur accipiunt, abrumpere nefas est, obligatum Deo secundum 'propriam agnitionem mentis propositum tendinibus et velaminibus quibusquibus irritum impune facere liceat? — Lecta et pronunciata etc. —

1019. Repraesentatio Vicarii ad Consilium Regium. 1800. Maximo cordis mei cum moerore, animique ingenti cum oppressione Reg. Cels. Vestrae Excelsoque Consilio conqueri in profunda submissione, detegereque cogor: qualiter D. iunior Michael Berczely Omnipotenti Deo, benignis Resolutionibus Regiis, adeoque ipsi Augusto terrae Principi, Constitutionibus publicis, mihi, simulque socero et coniugi suae, ui et illi clancularie idem cum eodem senserint, illudere, religionem irridere, ac iureiurando id affirmare, ad quod se nunc minime obligari contendit, non reformidaverit. Anno 1798 contractis ille qua Augustanae Confessioni adhuc addictus cum filia Anna D. Michaelis Hamar Catholici in Berczel in Comitatu Neogradiensi residentis sponsalibus, cum quarto aequali directo consangvinitatis gradu se necti apprime nossent, primum quidem medio proprii sui parochi, mox per literas praenominatus Michael Hamar suo et sponsorum nomine ad me recurrit, petens, ut tam in ternis denunciationibus, quam in impedimento consangvinitatis eosdem inter intercedentis dispensarem. Cui cum respondissem, obstante religionis disparitate me in subversante imped. cons. dispensare non posse, siquidem facultatem huiusmodi restricte ad catholicos pure coniuges a Sede Apostolica impetraverim: accepto hoc responso meo et ipse praefatus socer cum genero et filia utpote sponsis in persona isthuc comparuerunt, meque ardentissimis precibus, ut voto eorum deferrem, exorarunt, oblata

etiam scripta sponsione tam de educandis in religione catholica utriusque sexus prolibus, quam de propria etiam viri conversione ad fidem, quamprimum periculum speratae adhuc ab avia acatholica successionis amittendae remotum fuerit. Cuiusmodi cautione sive reversalibus de futuro cum me auctoritatem ad dispensandum cum illis minime consequi, utpote quae positive ad ambas contrahentium partes catholicam fidem actu profitentes, aut conversas, non autem convertendas restricta esset, iisdem reponerem, ultro illi instare: nullum mihi dolum, nullam fraudem metuendam esse; ipse sponsus asseverabat, se intrinsece omnia illa credere, et profiteri, quae credunt et profitentur catholici, solemni nihilominus fidei illius professioni unice obstare aviae suae et huius agnatorum offensam, a qua tamen notabile legatum sorti suae sublevandae perquam necessarium firmiter sperandum haberet. Anxiatis hunc in modum, et candorem ac sinceritatem egregie mentientibus tanto facilius fidem habui, quod aliunde reliquae patris sui proles e posteriori coniuge omnes catholicam fidem, patre nihil in obversum moliente, sequantur; ideoque suggessi: professionem fidei emitti posse in privato, remque totam in trium quatuorve secreti tenacium conscientia perfici tanto magis posse, quod iam aliunde a tribus et ultra mensibus, ut a parocho loci accepi, sponsus quoque constanter Ecclesiam Cath. frequentaverit, huius proinde ulteriorem frequentationem neminem ad opinionem secutae conversionis pertracturum; sacramenta autem illum saepius aliunde intrando Vacium, occulte, et illis tantum sacerdotibus consciis, qui ab initio et professioni et contractui matrimoniali adstiterint, frequentare posse; atque ad exemplum Iosephi ab Arimathaea et Nicodemi, qui erant discipuli occulti Iesu Christi propter metum Iudaeorum, usquedum vel circumstantiae variatae non fuerint, aut alia adiuncta manifestationem factae professionis fidei cath. non exegerint, clancularium fidelem remanere posse. Propositionem hanc meam amplexi sunt cum iubilo amplissimaque grati animi contestatione; unice in sacerdote, in cuius manibus et quo praesente haec praestari deberent, adhaerebant. De plurium per me propositorum secreti tenacitate dubitantes, cum ego vicissim ipse ad praecavendas omnes exceptio-

nes habendumque facti testimonium ipse id privative suscipere caverim, sed nec in concursu alterius sacerdotis, illis propter amicorum suorum ut aiebant concursum citra gravissimum damnum et ignominiam dilationem deprecantibus, inevitabile iter ingredi coactis, iisdem id praestare possem, delegerunt illi ipsi sibi pro horum instrumento et consummatore Officii Secretarium, tanto magis, quod ipse propter expeditionem necessariam dispensationis conscius eventus istius, et una ut iureiurando Officii adstrictus secreti custos certior futurus ipsis videretur. E propria proinde eorumdem animi sententia et delectu idem professionem fidei iureiurando firmatam fidefragi iam iunioris Michaelis Berczely hic in apographo sub — in praesentia soceri eiusdem Michaelis Hamar excepit; uterque tam sponsus quam socer emissam propriae manus subscriptione firmavit. Id enim ad maiorem cautelam ab utroque fieri desideravi. Neque unus aut alter eorum desiderio huic meo satisfacere detrectavit. Hac praestita processi ad elargiendam iisdem iam ut verae Cath. Religionis cultoribus dispensationem tam in denunciationibus, quam in impedimento subversante, delata etiam hac in parte ad desiderium eorum, secretique praecise ratione professionis verae fidei factae per sponsum occultationem executione Officii Secretario, erga quem semet fiducia maxime praeditos declarabant. Cuncta acta sunt, ut mihi idem Officii Secretarius in ea fide, qua obstrictus est, retulit, ea promtitudine, zelo et integritate, ut relatione illius accepta maximo incesserim gaudio, atque ad benedicendum Dominum, qui facit mirabilia magna solus, adorando infinitam Divinam Maiestatem, magnificando providentiam, et misericordiam illius, eruperim. Sperabam et confidebam cuncta eadem ratione, qua per eos acta fuerunt, ad maiorem Dei gloriam et religionis incrementum decursura. Ne autem e coniunctione hac matrimoniali apud illos saltem, qui et impedimenti cognationis, eosdem ab ineundo matrimonio prohibentis, et restrictae auctoritatis hac in parte meae dispensandi conscii erant, scandalum oriri possit, proprium parochum instruxi, ut adhaesuros hac in parte fideles capacitaret, me pro praesentibus rerum adiunctis, difficillimoque ad Sedem Apostolicam recursu obstante per epikiam legalem

impedimentum obstans abstulisse. Ceterum discretam curam, et observantiam coniugum horum illi impensius commendavi.

Pro ea, quae me relate ad coniugii istius rationem tenebat sollicitudo, cum aliunde quaestionatum sponsum nec in loco domicilii sui sacramenta frequentare novissem, sed nec ad me nec ad illum, erga quem se ceteroquin maximam fiduciam habere et verbis et facto protestatus fuerat, vel venire, multo minus de frequentandis clancularie Sacramentis sponsioni satisfacere comperissem: commendavi eidem sacerdoti, ut literis suis et socerum et generum praestitae asseveranter et cum gaudio et laetitia sponsionis reflecteret, atque ad praemissarum dispensationi et solenniter iurata etiam fide firmatarum conditionum implementum urgeret. Fecit is iussa cum ea, quam circumstantiae huiusmodi exigebant, mansvetudine et caritate; ac tam socerum quam generum officiosis literis convenit. Verum contra ac ipsi prior in se locata fiducia et propensio pollicebatur, inconveniens, priusque testato affectui et fiduciae prorsus contradicens tulit responsum. Eo tamen quasi in nullam reflexionem sumto rursus auctore me instare, obsecrare, et reflectere sponsionis utrumque perrexit. Nihilo mansvetius et convenientius priori tulit responsum. Uterque, et gener et socer, obiiciebant, non fuisse servatam secreti et silentii conditionem; parocho loci praetensive domui suae et cumprimis matrimonio huic adversario revelatam fuisse conversionem ad fidem neoconiugis eo, quod idem parochus diceret, per epikiam ablato, impedimento, coniuges hos in matrimonium convenisse. Nova adhibuit idem sacerdos studia, ut illis errorem hunc sinistramque epikiae intelligentiam e mente evelleret, et in nullo secreti promissi violationem intercessisse iisdem remonstraret. Sed frustra. Eodem stylo, eadem reprehensoria et obtrectatoria methodo, ut prius, illi responsum est. Ipse parte ex mea nihil praepropere, nihil praecipitanter agendum, sed cum omni malatia et mansvetudine curationi amborum manum admovendam rebar. Praestolatus itaque tempus illud anni istius, Paschale nimirum, quo omnis verus fidelis si non illo coelestis panis, quem manducantibus vitam aeternam Auctor divinissimi huius sacrificii, ipse Sacerdos et Victima, Iesus Christus, pollicitus est, salutaris participationis

desiderio, saltem fidei suae protestationis, debitaeque legibus Matris Ecclesiae obedientiae et observantiae causa ad mensam hanc coelestem accedere debet, — praestolatus, inquam, tempus hoc paschale, cum evoluto illo in obduratione perseverare Michaelem Berczely, nec sponsioni iurataeque fidei suae satisfacere comperissem: ipse et socerum et generum reflexoriis, exhortatoriis, et ad implementum sponsionis obsecratoriis literis conveni. Nullo a genero accepto responso, socer Michael Hamar omnem culpam, et neglectum in implemento horum in imaginariis querimoniis referta epistola in Parochum loci derivare uisus est. Sed ne ultro dubium ullum superesset ludificationis nostrae, nosque frustra adursione implementi elicitae fidei professionis fatigaremus: tandem quod non vere et sincere, sed false, fraudulenter, dolose ad extorquendam dispensationis gratiam, atque optato coniugio potiretur, cuncta haec egisse palam manifeste testatus est, dum 5 Aug. in lucem novissime editam coniugis suae prolem in possessione Guta, nulla apud loci parochum vel insinuatione facta, per Aug. Conf. Ministrum baptisari curavit. Cuiusmodi ausui cum nec socer, quorum unam eandemque domum incolunt, optime conscius illius, restiterit, non vane infertur, illum etiam illusionis admissae et conscium et commachinatorem fuisse. Hoc enimvero facto vel ficte se professionem fidei emisisse, adeoque manifeste peierasse, vel a fide, quam professus est, perfide recedendo, adversus dispositionem Regiam in art. 26: 1791 relatam luculentissime peccasse confessus est; atque ideo, si primum: cum nec ego auctoritate cum alienis etiam partialiter tantum a fide dispensandi in impedimentis matrimonii polleam, nec intentionem cum illo nisi ut catholico et praemissa praevie sponte et alacriter fidei professione dispensandi habuerim, habereve potuerim, matrimonium hoc nullum et irritum esse perspicuum est. Si alterum: reus est contemtus, et transgressionis Mandatorum Regiorum et publicarum constitutionum in praeallato articulo conditarum, reus praevaricationis divinarum, naturae, humanarumque legum, fraudem omnem et dolum a commercio humano sub gravissimo reatu excludentium. Extorta per fraudem dispensatione quantopere abusus sit, erecta eidem per Fiscum Consistorialem ad invali-

dationem matrimonii actio hic adnexa uberius perhibet. In Processu hoc die 6 Iunii anni nunc exspirantis levato comparens meris frivolis atque in foris spiritualibus locum prorsus non habentibus inhaerens exceptionibus, tempus extraxit tantum, solo iurato defensore matrimonii pro validitate matrimonii istius legaliter agente. Iteratis idcirco monitoriis sententiis, ut ab inanibus verborum accumulationibus et impertinentibus allegatis abstineret, ac sese meritorie defenderet, iudicialiter reflexus, lata tandem die 24 Nov. sub poena praeclusi ad semet in merito defendendum sententia monitus, hac per defensorem matrimonii secum communicata, advolutam epistolam ad eundem dedit. Qua per defensorem matrimonii inducta, et per Fiscum Consistorialem discussa, tandem lata est Consistorialis sententia. — Dignetur proinde Regia Ser. Vestra Excelsumque Consilium pro sua auctoritate, Divinae Maiestatis cultus et adorationis studio, removendisque quibusquibus fraudibus et dolis, commercio et societati humanae repugnantibus, scandalosae, temerariae praevaricationi divinarum humanarumque legum efficacibus mediis occurrere. Nam si datam hominibus fidem nefas est violare: qua ratione permitti dissimularique poterit, solemnem Divino Numini sub invocatione eiusdem SS. Nominis factam professionem seu ludificare seu infringere? Illam autem emisisse se effective ipse confitetur, et quod propria syngrapha superius producta demonstrat confessione propria confirmat, dum se ab implemento sponsionis violatione secreti enodare nititur. — Vacii, die 30 Dec. 1800.

1020. Intimata Consilii Regii. 1801. 1802. a) Int. de Michaele Berczely institutioni sexhebdomadali in in fide cath. subiicendo. Fraudulenta Michaelis Berczely in extorta matrimoniali dispensatione procedura, illiusque a fide R. Catholica, quam benevole amplexus est, temerario resultu Altissimo Loco demisse repraesentatis existentibus, dignabatur Sua Maj. SSma benigne resolvere: quod, esto quidem praefatus Berczely fidem R. Catholicam publice professus non sit, quum interim ad validitatem professionis fidei nec requiratur, ut actus idmodi publice fiat, ac proinde idem Berczely elicita

utut privatim tantum fidei R. Cath. professione semet Ecclesiae R. Catholicae addixerit, et reipsa pro Catholico censeri debeat, hinc idem velut a Religione hac ad sacra evangelica recedere volens sexhebdomadarum in principiis Religionis R. C. institutioni subiiciendus, et de effectu institutionis huius suo tempore relatio praestanda veniet. — Budae die 4 Aug. 1801. — b) Int. ad Comit. Neograd. 1802. Vicarius Capit. Vaciensis remonstravit horsum, Michaelem Berczely fine eo, ut Altissimo Loco praeceptam catholicam sexhebdomadarum institutionem eludere possit, eiusdem institutionis usque futurum mensem Maium aut Iunium prorogationem sollicitare; ac, licet eousque, dum expleta praeallata sex septimanarum instructione ad sacra evangelica nefors reversus fuerit, pro catholico reputandus sit, masculam attamen prolem suam 24 Ian. a. c. natam per Ministrum Guttensem baptisari curasse. Quod ipsum Praetit. D. V. nexu Intimati respectu eiusdem Berczely dd. 4. Aug. a. p. abhinc dimissi hisce eo fine notum redditur: ut id, num antelatae expositiones realitate nitantur, disquiri curent, inque casum, quo nefors pro irrealibus adinvenirentur, repetitum Berczely ad explendam sexhebdomadarum instructionem sub incurrenda secus gravi animadversione commoneant; pro casu vero comperiendae realitatis praeadductorum Michaeli Berczely terminum pro implemento altissimorum ordinum praefigant, eumque Vicario Cap. Vaciensi insinuent, una vero a repetito Berczely declarationem super eo excipiant, cur neonatam prolem suam per Ministrum baptisari curare, Ministrum vero super eo constituant, cur eandem prolem baptismo abluere praesumserit? — Budae die 2 Mart. 1802. — c) Int. de admisso transitu, et actione fiscali Michaeli Berczely erigenda. 1802. Relatione Praetit. DV. circa expletam per iuniorem Michaelem Berczely catholicam sexhebdomadarum institutionem sub dd. 9 Iul. a. c. isthuc praestita, Altissimo Loco abhinc demisse substrata, dignabatur Sua Maiestas SSma clementer resolvere: ut attacto Michaeli Berczely, desiderio suo ad sacra evangelica revertendi post expletam etiam sexhebdomadarum catholicam institutionem inhaerenti, transitus hic admittatur quidem; ob temerarium nihilominus et illusorium elicitae professionis actum repetitus

Berczely Actione Fiscali conveniatur; proles autem eiusdem masculae hactenus progenitae tam ex eo, quod hae post elicitam per patrem fidei catholicae professionem natae sint, quam quod is professionem fidei cath. deponendo ipso facto saltem implicite ad catholicam prolium suarum educationem accesserit, prout et omnes sexus feminei dehinc quoque nasciturae eiusdem proles in Religione Rom. Cath. educentur, reliquarum in futurum generandarum Michaelis Berczely mascularum prolium in evang. religione educatione eidem in salvo relicta. — Budae die 9 Nov. 1802. — Ex Tabulario D. Vaciensis.

1021.

Pius PP. VII. ad Eppum Szathmariensem de matr. mixtis. 1821.

Ex literis, quas ad nos dedisti VII kal. Septembris, animo dolenti percepimus, qua in difficultate quandoque verseris ob matrimonia, quae ab iis contrahi volunt, qui execrata haeresi in catholicam professionem secesserunt, postquam coniugia, queis adstringebantur, cum in haeresi degebant, e laicae potestatis decreto fuerant dissoluta. Id unum autem Tibi occurrere visum est remedii, facultates assequi, ut de coniugiorum idgenus vi inquiras, ac decernas absque iudicii ratione, nec iis servatis conditionibus et legibus, quae praesertim a Benedictina Constitutione ad matrimoniales causas sunt constitutae: pene enim impossibile asseris, partem, quae in haeresi perstat, velle iterum in iudicium sistere coram Ecclesiastico Iudice, ut de sancita per secularem Magistratum coniugii dissolutione quaestio iterum instituatur. Videmus quidem, quae postulationis causa sit, eamque probandam nanciscimur: ast de re agitur, quae prae ceteris quibuslibet diligentia, attentione, gravitate iudicii tute, cauteque agenda est, atque tot idcirco tantisque regularum praescriptionibus, e Canonum et Pontificiarum Constitutionum iure est definienda. Ne itaque in negotio maximi momenti plus fortassis ac par sit faciles videamur, ac novum exemplum inducamus, diligenter de tuis hisce precibus deliberandum censemus, iis omnibus accurate in exa-

men deductis, quae conferre in rem videantur. Nostram deinceps sententiam aperiemus Tibi, cui interim hanc epistolam nostrae voluntatis testem adproperavimus dare, una cum apostolica benedictione etc. Datum Romae die 27. Octobr. 1821. — Bedcsula Can. Coloc. Vita Petri Klobusiczky. Colocae. 1859. p. 56.

4. Monumentum ad Epocham IV ab a. 1825 usque eventum Colon. 1837.

1022.

Eppus Nitriensis denegat dispensationem a proclamationibus in matr. mixto, 1834.

Dum a me petitur, quod illaesa conscientia praestare possum, nihil est seu favoris, seu benevolentiae, quod non promte libenterque faciam: sed dum tale a me desideratur, quod citra eppalis offficii mei praevaricationem, et citra gravem conscientiae reatum concedere nequeo, omnem humanum respectum seponere me oportet: quia si in eo hominibus placere studerem, Dei servus non essem. Matrimonium, quod neptis Ill. Vrac cum viro Augustanae Confessionis, quem secus velut virum honesti characteris aestimo, contrahere vult, tam quam lege civili admissum, etsi illud de anima neptis, spiritualis filiae meae, coram Deo aliquando rationem redditurus, ob concomitantia tam eius quam nasciturarum prolium salutis pericula, probare nequeam, impedire quidem nuspiam possum, nec impedire volo; per concedendos tamen favores et dispensationem illud promovere, et hac ratione assentiri et concurrere, ut pars prolium ex hoc matrimonio procreandarum in religione a catholica, quam ipsa sponsa ex dogmate Ecclesiae suae pro sola salvifica agnoscere debet, aliena educetur, et conscientia et eppale pastoraleque officium meum prohibet. Essemne Catholicae Ecclesiae Episcopus et minister, si pari loco haberem, in quacunque religione proles educentur? an non indifferentismum religionarium promoverem, si facto qua-

licunque meo ad id concurrerem? Si absque meo influxu et concursu id eveniat, tolerare debeo, quod impedire non possum. Ecclesia Catholica mixta huiusmodi matrimonia, quae quidem pro validis habet, iustissimis de causis semper improbavit et improbat; cum ea non contrahantur iuxta legem Christi tamquam Sacramentum, ea pro illicitis habet, suamque illis benedictionem denegat: et ego qua primarius Ecclesiae minister approbem, dispensationem concedam, et promoveam? Id quidem sicut absque reatu conscientiae et praevaricatione officii facere nequeo, ita nullo etiam in casu facturus sum. Utinam Ill. Vra, et domina sororina, dum neptis et respective filiae per nuptias temporale bonum quaerunt, aeternae etiam salutis, quae potior est omnibus thesauris, reflexionem haberent, eoque rem agerent, ut nec illa nec nasciturae proles discrimini salutis exponantur. Quae dum ex pastorali meo officio paucis duntaxat insinuo, uberiora autem dominum loci parochum exposuisse et expositurum non dubito, distincto cum cultu maneo. Nitriae 18. Febr. 1834. — Krajcsik Ius Eccles. II. 532.

---

5. Monumenta ad Epocham V ab eventu Colon. 1837—1853.

1023.

Protocollum Conferentiae Episcoporum apud Primatem Posonii 14. Maii 1840. in re matr. mixtorum habitae.

In Conferentia apud Cels. ac Rmum D. Principem Primatem die 14. Maii 1840. per infrascriptos Eppos celebrata sequentibus in punctis coalitum est: 1. Ut, usquedum vigor articuli 26: 179$^{0}/_{1}$. perstiterit, in mixtis matrimoniis principium passivae, ut aiunt, assistentiae locum sortiatur. 2. Ut in singillativis casibus, ubi videlicet relate ad ineundum mixtum matr. quaestio per concernentem parochum Officio Dioecesano facta fuerit, iam nunc illico inviationes dentur conformes assumtis quoad passivam assistentiam principiis. 3. Ut ad Suam Sanctitatem nomine Praesulum Hungariae relatio adornetur, tenore cuius Summus Pontifex de hac Praesulum determinatione eo addito edoceatur: quod, cum in Hungaria

positiva adsit lex de mixtis matr. semper coram parocho catholico ineundis, Clerus omnem assistentiam simpliciter negare ne brevissimo quidem tempore possit, sed sub spe benignae ratihabitionis Suae Sanctitatis passivam assistentiam exemplo etiam nonnullorum aliorum Praesulum adoptaverit, rogetque hanc suam agendi rationem benigne probari. In eadem porro relatione Sua Sanctitas filiali cum fiducia edocebitur, quod Clero Hungariae longe graviora etiam intuitu mixtorum matr. immineant, quemadmodum ex proiecto legis in negotio religionario a postremis Comitiis Regiae Maiestati substrato debet collimari; idque eo fine Suae Sanctitati insinuari, ut pro re nata congruis in rem remediis subvenire dignetur. 4. Ut mox institutio solida de matrimonio ad Clerum Dioecesanum per singulum Praesulem dimittatur: tum vero ipsae Encyclicae Literae intuitu passivae assistentiae adornatae, prout illae isthic in Conferentia adoptatae fuerunt, latino idiomate conceptae dd. 2. Iulii scriptae non impressae expediantur. 5. Vice Archi-Diaconi, prout semet obtulerit occasio, coram etiam admoneantur, et informentur, quanta cum prudentia, mansuetudine et moderatione hac in parte agendum habeat Clerus Curatus. Eo porro inviandi in orali hac informatione, ut, si propter negatam benedictionem aliquis e Curato Clero urgeretur vel impeteretur: inprimis respondeant, se contra conscientiae suae dictamen agere non posse, secus autem etiam ad iussa Episcopi sui pro re nata possint provocare. — Posonii die 14. Maii 1840. Iosephus Kopácsy, AEppus Strig. et Primas Regni. — Ioannes Ladislaus Pyrker, Patr. AEppus Agriensis. — Franciscus a Paula Comes de Nádasd, Eppus Vaciensis. — Ioannes Hám, Eppus Szathmariensis. — Ioannes Scitovszky, Eppus Quinqueecclesiensis. — Emericus Palugyay, Eppus Nitriensis. — Iosephus Lonovits, Eppus Csanadiensis. — Iosephus Kukovich, Eppus Diakovariensis. — Baro Ladislaus Barkóczy, Eppus Albaregalensis. — Georgius Haulik, Eppus Zagrabiensis. — Ioannes Sztankovits, Eppus Iaurinensis. — (Ex Tabulario Strigon.)

1024—1031.

Contradictiones, quas nonnulli Hungariae Praesules adversus illegales determinationes Iurisdictionum Comitatensium in obiecto matr. mixtorum perlatas interposuerunt. 1840. 1841. *)

1024. Eppus Vaciensis dd. 1. Nov. 1840 ad Comit. Pestiensem. (extractive.) In principio repraesentationis, multa cum eruditione ac legum patriarum peritia concinnatae, ingenua fit confessio super eo, quod sicut legum, ita et determinationum Comitatus ductu art. 58: 1723. numquam non reverens ac observans e corde fuerit et sit quidem, summo tamen dolore afficiatur, quod determinatio Statui Ecclesiastico tantopere inimica perlata sit in Congregatione Comitatus de 27 Aug. 1840, officiique sui ducit, mox contra eandem solemniter protestari. Post haec potestatem Epporum, in obiectis Religionis libere disponendi, vindicat, adducendo Decr. II. S. Stephani cap. 2: ‚Eppi habeant potestatem res ecclesiasticas providere, regere, et gubernare atque dispensare secundum canonum auctoritatem. Laici eorum ministerio obediant ad regendas Ecclesias, et obedientes sint eis ad eorum christianitatem servandam;' — item Colomanni Lib. I. cap. 65: ‚Nullus Comitum (Supremorum) vel militum (nobilium) ad Comitatus pertinentium in Ecclesia praesumat sibi vindicare potestatem praeter solum Eppum;' — porro art. 16: 1550: ‚Cum nulla ratione possent Eppi munus rite exercere, nisi patienter audiantur ab iis, ad quos docendos missi sunt, ac nisi plebs subdita pareat eorum doctrinae praeceptisque, et desinant hi, qui videntur plus ceteris posse, moliri aliquid contra ipsorum pios conatus: videtur idcirco is modus adhibendus esse, ut seculares omnes, sine ulla controversia, obedientes ut par est sese praebeant eorum Eppis in his, quae ad Deum eiusque cultum spectant, neque contra eorum doctrinam quovis modo aut quavis ratione sese audeant efferre.' — In nexu harum vindiciarum subiungit: potestatem Epporum eo minus controverti posse, quod in lege 26: 179⁰/₁ §. 3 diserte edicatur: ‚in sequelam liberi religionis exercitii Evangelicis competentis

*) Contradictio Primatis Regni occurrit operis nostri T. II. 738.

hi ad nullas ceremonias et actus religioni suae contrarios ullo titulo ullisque mulctis adigantur;' §. 4 autem adiiciatur: ,in iis, quae ad religionem pertinent, unice a religionis suae superioribus dependeant;' ,ut autem haec gradualis in re religionis superioritas suo certo ordine consistat, reservat sibi Sua Maiestas SSma, tam relate ad coordinationem praedictae superioritatis, quam in reliquas disciplinae partes, intacta ceteroquin religionis libertate, eum stabilire ordinem, qui communi virorum eiusdem religionis tam secularium quam religionis ministrorum consensione maxime congruus reputabitur' etc. Potestatis Epporum virtutem ac auctoritatem pluribus adhuc rationum momentis urget et evincit. Insuper competentiam iudicii Comitatus directe impugnat tum ratione matrimoniorum, tum respectu personarum ecclesiasticarum: quoad priora cita verba memoratae legis: ,Matrimoniorum tam eorum, quae iam tempore, quo illa inita sunt, mixta erant, quam et eorum, quae per transitum alterutrius partis a sacris evangelicis ad sacra catholica mixta effecta essent, cum utrobique de veri nominis sacramento agatur, Sedibus Catholicorum spiritualibus deferantur;' quoad privilegium fori personarum eccles. commemorat S. Ladislai Lib. II. c. 13. — III. c. 5. 6. 14. Tripart. I. 12. et II. 14. — Evolvit deinceps, quod determinatio Comitatus non possit fundari in lege anni 179⁰/₁, siquidem haec diserte dicat: ,intacta religionis libertate, et conformiter eius principiis, hue tamen haud intellectis religionis obiectis, quae cuivis religioni propria manere debent etc.' Evolvit quoque, quid de sanctione legis 14: 1647 per Comitatum citata e tenore legis a. 179⁰/₁ tenendum sit, in qua quippe disertis verbis lex illa ad occupationes templorum, scholarum etc. restringitur. Denique enunciat: statutum Comitatus libertatibus ecclesiasticis adversum non subsistere, contradictionemque ac protestationem iterat. — Franc. Com. Nádasdy, Eppus Vac.

1025. Eppus Albaregalensis dd. 4 Nov. 1840. ad eundem Com. Officiose edoctus de determinatione Incl. Comitatus, vi cuius in viros ecclesiasticos, qui benedictionis in matr. mixtis solennia absque sponsione catholicae educationis prolium impertiri nolunt, tametsi matrimonia eiusmodi

legalia facere parati forent, item qui libere oblatas sponsiones post iudiciariam admonitionem reddere tergiversantur, tenore legis 14: 1647 et 26: 179⁰/₁ ex obtutu illuminationis, virium nationis adunandarum, necessariae tranquillitatis, progressus, et obedientiae erga leges civiles, poena 600 fl. per executionem mox desumenda decernitur, intimis doloribus in praecordiis meis sauciatus sum. E principiis itaque illuminationis, unionis, egibus civilibus debitae obedientiae tulerunt Incl. Status et Ordines determinationem, quae et libertatem omnis religionis perimit, et catholicae religionis independentiam subvertit. Reipsa in principio libertatis religionis ac conscientiae continentur, quae legalem variarum Confessionum consistentiam, atque ius secundum placita religionis, eiusque moralia ac ceremonialia sancita sine impedimento vivendi constituunt. Illuminatio ex obtutu religioso non aliud exprimere potest, quam fidelium in rebus fidei, morum, ac cultus externi perfectam intellectualem cognitionem; virium unio haud aliud designat, quam non intermissam erga nationem ac patriam adhaesionem; obedientia civilis ad aliud extendi nequit, quam ad exercitium earum religionis functionum, quae cum vocatione sancta hominis christiani, etiam civilis vitae relationes attinente cohaerent, non timore poenae, sed e nobiliori et certiori conscientiae stimulo, sic implendum. ut reddantur Deo quae Dei et Caesari quae Caesaris sunt. Professionis meae civilis principium est: quod constitutio civilis non habeat nec habere possit ius, sive a Catholica Ecclesia sive ab aliis legaliter receptarum confessionum asseclis exigendi, ut praeter mox datas explicationes illuminationis, unionis ac obedientiae civilis ullas alias acceptent; et, si circa fidem huicve iunctum cultus externi exercitium disponere ac poena quoque urgere ad sphaeram civilis potestatis spectaret, tunc religionis ac conscientiae libertas pulcher quidem sed eousque solum permanens sonus foret, donec e reciproce intellecta illuminatione, unione hisque superstructis votis suprema potestas legibus religionis directe adversas constitutiones ederet poenisque sancitis urgeret; quum tamen civilis potestatis iurisdictio eo tantum extendi possit, ut religio finibus societatis adversa arceatur. Si extra hanc sphaeram etiam de legibus salutem animarum attinenti-

bus sollicita sit, quam nociva exhinc consectaria gigni possint, testes sunt annales temporum. Facile iam intelligent Inclyti Status et Ordines, queis sensibus e ratione muneris pastoralis me agi oporteat, dum talismodi iurisdictionis exercitium a singulari Comitatu facto occipi adverto, quale nec ipsa suprema potestas, subditorum teneriori sensui ac convictioni conscientiae intenta unquam seu praetendet seu praetendere poterit. Inclytus Comitatus vult ecclesiasticos poenali sanctione ad tale quid cogere, quod facere e convictione conscientiae nec possunt, nec licet, id autem intermitti cupit, quod ii e convictione sua intermittere nequeunt. Ecclesia Catholica credit, matrimonium esse Sacramentum; e principio itaque religionis indifferens esse nequit, num in matrimoniis ineundis causa religionis praevie in tuto locata sit; e principio suo cupit et acceptat a sponso noncatholico promissionem. Ab hac arcere tantumdem est, ac a naturali principii religiosi consectario arcere, principium admittere et eius consectarium negare, rationem principiis conformiter agendi, in qua vera religionis libertas sita est, laedere. Si his non obstantibus potestatis civilis intentio sive e defectu favoris erga religionem catholicam seu ob alios obtutus politicos eo deflexit, ut hanc promissionem (sponsi acatholici) arcendam censeat, et tamen matrimonium in facie ecclesiae catholicae ineundum praecipiat: tunc iure impedire haud poterit, ut Ecclesia Catholica perinde e potestate sua adiunctis mutatis conformem edat dispositionem; tunc cum aequitate postulari ab ecclesia non potest, ut actum scopo sacramenti non convenientem cum solemnibus ecclesiae ritibus ratihabeat, et principiis conforme declaret id, quod iisdem adversatur; sacerdotes munere suo plene defunguntur, dum nullo posito impedimento mixtum matrimonium coram duobus vel tribus testibus legale reddunt: ideo proinde, quod ritus sacros, in quibus ceteroqnin alienae confessioni addicti nullum ponunt momentum, haud perficiant, a iurisdictione civili absque nota violentiae ad forum suum statui nequeunt; sacerdotes catholici in functionibus sui muneris e tenore legum nostrarum unice coram iurisdictione ecclesiastica iuri stare tenentur. Suapte cessant itaque ex praeadductis omnia ea consectaria, quae ex articulis 14: 1647 et 26: 179$^{0}/_{1}$ Incl.

Status et Ordines deducunt. Si enim provocatarum legum is esset sensus, quod ius de rebus fidei et ritibus religiosis in Ecclesia disponendi non Antistites, sed civilem iurisdictionem attineat, cuius membra noncatholica hoc in obiecto vocem non habent, catholica vero, donec membra ecclesiae perseverant, Antistitum pastoralem auctoritatem revereri eique obedire debent; si altaris ministros ratione muneris ecclesiastici apud civilem iudicem et non alium lite convenire liceret; si iurisdictio singularis articulum poenalem 14: 1647 iuxta literam sumendum contra praescripta legis anni 179°/₁ etiam ad casus in lege non expressos contra manifestum Ecclesiae de ritibus sacris disponendi ius applicare posset; si sub aegide articuli 26: 179°/₁, qui vetat, ut acatholici ad ritus principiis suae religionis contrarios cogantur, catholicos poena 600 fl. cogere liceret ad hoc, ut ritus principiis ecclesiae suae adversos perficiant, quamprimum iudiciaria Inclyti Comitatus vox auribus eorum insonuerit: — si, inquam, hic foret legis sensus, quem ei reipsa attribuunt Inclyti Status et Ordines: tum status Ecclesiae Catholicae in patria nostra merito compassionem provocaret. Me igitur coactum censeo, ad declarandum; quod, quamvis magnopere suspiciam legalem Inclyti Comitatus iurisdictionem, determinationis tamen praeviae executionem in mea dioecesi admittere non possim, eique, si in sequelam novae pertractationis religionis catholicae principiis ac legali libertati Ecclesiae haud conformaretur, solenniter contradicam. — Albae Regiae, die 4 Nov. 1840. Ladislaus Baro Barkóczy, Eppus.

1026. AEppus Colocensis dd. 10 Nov. 1840 ad eundem Comitatum. (extractive.) In principio epistolae aegerrime fert, determinationem poenalem contra ecclesiasticos fuisse latam. Tum ad meritum causae descendendo exponit: impedimentum matr. mixtis nullum poni, sed unice in casu illo, dum sponsus acatholicus de catholica prolium educatione solennem sponsionem denegat, benedictionem negari. Adducit porro: legem, cui determinatio superstructa est, nihil de benedictione statuere, claro indicio, ius isthoc Ecclesiae proprium esse. Observat quoque: si Comitatus legi sen-

sum indere cupit, qui ibi non continetur, legi in iisdem Comitiis art. 12 expressae adversari, leges quippe ferendi et abrogandi, pront et interpretandi potestatem nonnisi legitime coronato Principi, Statibus et Ordinibus regni ad Comitia legitime confluentibus communem esse, nec extra illam exerceri posse; idque tanto magis, quod Tabula Procerum contrarinm declaraverit, nempe benedictionem nec generatim nec in contractibus matrimonialibus legislationis anni 1790 seu alterius cuiuscunque civilis obiectum constituere posse. Examini etiam subiicit poenalem determinationis sanctionem art. 14: 1647 snperstructam, et evincit: eam ad rem non facere, sive tenor ipsius, sive collatio cum art. 26: 179⁰/₁ spectetur. Libertatem cath. religionis violatam ac ipsa Evangelicorum deteriorem redditam e mox citatae legis tenore propugnat. Cum denique in determinatione sua commemoret Comitatus, Clerum Catholicum vèrae illuminationi ac progressui adversari: exempla aliorum regnorum, qneis sua lumina detrahi nequeant, addncit, quae tamen eandem praxim teneant in mixtis matrimoniis; et, postquam enunciasset, quid officii ratio ab se postulet, orat Comitatum, nt a determinatione desistat, eique solemniter contradicit. — Colocae, 10 Nov. 1840. Petrus Klobusiczky, AEppus Col.

1027. **Idem AEppns ad Primatem** dd. 22 Nov. 1840 **qnoad novam Comitatus Pestiensis determinationem de petenda a Rege amotione Primatis.** Non sine maxima detestatione audivi ea, quae in postrema generali Congregatione Incl. Com. Pestiensis 17 et 18 curr. in obiecto nostro religionario, et respective in nexu interpositarum per nos contra nupernam eiusdem Comitatus determinationem protestationum evenerunt. Quippe non satis, qnod Status et Ordines huius Comitatus liberum religionis cath. exercitium per manifestum abusum legum patriarum violentis mediis interturbare omnibus viribus adnitantur, ad eam quoque audaciam prolabuntur, ut in religionem catholicam scommata et sarcasmos palam proferre, ecclesiasticas poenas ludibrio exponere, ab iis catholicorum animos avertere, quin et abominatione contra eas implere, ac demum summos

Ecclesiae Hungaricae Antistites, inprimis Celsitudinem Vestram proterve impetere, et poenae subiiciendos Suae Maiestati SSmae deferre non vereantur. Quod aliquod in hac violenta et tristi rerum perturbatione lenimen adfert, est illud, quod plures e rectius sentientibus catholicis Statibus sensim perspicere incipiant, quo haec omnia tandem deventura sint, aut saltem omni adhibito conatu dirigantur. Inde, prout fidedigne informatus sum, evenit, quod D. emeritus Ord. Vice-Comes Georgius Kovács die 18 nomine plurium taliter sentientium contra conclusum Congregationis protestationem interposuerit. Ne in tam arduis nostris adiunctis quidquam intermittamus, sed et ut Suae Maiestati iusta nostra aliorumque recte sentientium secularium catholicorum gravamina certius innotescant: censerem denuo ad altissimum thronum recursum esse formandum, in quo non solum nos Eppi sed etiam colligendi et subscripturi quo plures seculares querelas suas Suae Maiestati substernant, atque speciatim exponant, quantopere per novam determinationem Comitatus Pestiensis non modo Ecclesia Catholica, sed et universim Status Catholici in Celsitudine Vestra laesi et iniuriati sint; quantis item opprobriis et calumniis doctrina Ecclesiae de mixtis matr. in his Congregationibus afficiatur et cumuletur; quam denique iniuriosa omnia adhibeantur, quae ad conflandum contra Clerum Catholicum odium et vilipensionem conferre quidquam possunt. Cum spes affulgeat, quod huiusmodi recursum plures etiam e Magnatibus, aliique e Statibus Catholicis sint subscripturi, isque taliter instructus coram altissimo throno regio pondere suo cariturus haud sit, ex eo proposui mihi huius intuitu DD. quoque Eppis Vaciensi et Albaregalensi scribere. Dubium non est, quin in ea agendi ratione, quod dum nos Eppi omnes in uno eodemque sensu sumus, cunctique contumeliam pro nomine Christi pati aequaliter desideramus, adversarii tamen nostri virus suum in solam Celsitudinem Vestram effundunt, peculiaris eorum lateat et versutia et malevolentia: prout enim libenter laicos catholicos a Clero, ita forsitan anhele Celsitudinem Vestram a nobis, aut nos a Celsitudine Vestra separare vellent. — Colocae, 22 Nov. 1840.

1028. **Idem A Praesul ad eundum Primatem quoad determinationem Comitatus Weszpri miensis de Primate ab administratione Eppatus huius amovendo, dd. 12 Dec. 1840.** a) Extractus ex epistola Primatis ad AEppum Colocensem. — Si per Comitatum Weszprimiensem staret, de administratione dioecesis illius, si per Pestiensem, de ipsa Sede Primatiali forem deturbandus, nec remaneret mihi ubi caput reclinem. Sed in omnibus his non concido animo; nam causam Dei et Ecclesiae agimus. Spero etiam divinam gratiam constanter mihi adfuturam, ut adversa quaeque potius perferam, quam a catholica regula recedam. — Strigonii, 2 Dec. 1840. — b) Responsum AEppi Coloc. Animum meum intime pervasit cordialis illa declaratio, qna posteriores literas dd. 2. Dec. concludere dignabatur Celsitudo Vestra, quod nempe speret divinam gratiam constanter sibi adfuturam esse, ut adversa quaeque potius perferat, quam a catholica regula, in fidei ac sacratioris disciplinae nostrae principiis fundata, recedat. Declaratio haec quemadmodum Celsitudinis Vestrae apostolico spiritui convenientissima, ita imitatione qnam dignissima est. Sane omnes nos, qui pro muris Ierusalem excubitores constituti sumus, eodem spiritu et eadem resolutione animatos esse oportet, nisi officium, quod indigni gerimus, prodere velimus. Me quod attinet, prae oculis habeo illud II Machab. 6. descriptum 90 annorum senis Eleazari gloriosum factum, qui, dum cogitare coepisset actatis ac senectutis suae eminentiam dignam et ingenitae nobilitatis canitiem, maluit diram mortem oppetere, quàm per transgressionem legis divinae maculam atque execrationem suae senectuti conquirere; hocque expendens oro Patrem misericordiarum, ut mihi valido suae sanctissimae gratiae praesidio adesse dignetur, quo, si necessitas secum tulerit, exemplo praelaudati Eleazari quaevis acerba pro causa nostra potius perpeti valeam, quam indignationem incurram Omnipotentis, cuius manum alioquin nec vivus nec defunctus effugere possem. — Colocae, 12 Dec. 1840.

1029. **Vicarius Rosnaviensis ad Comitatum Gömöriensem dd. 1 Febr. 1841.** Literas Inclyti

Comitatus de 12 Ian. a. c. in merito mixtorum matr. ad me datas cum honore accepi. Ad notitiam meam perducta est ea Comitatus determinatio, qua in seqnelam editarum per Eppos literarnm encyclicarnm, benedictionis rituumque administrationem vetantium, enatum nt fertur gravamen ad notitiam Snae Maiestatis ceu Regis Apostolici defertur, simulque sancitur: in casum illnm, si quidam sacerdos literarum encyclicarum dispositionem pro norma assumendo matrimonia mixta contra dispositionem art. 26: 179⁰/₁ impedire praesnmeret, aut etiam ritus alias consvctos administrare tergiversaretur, Parochus hic in sensu art. 14: 1647 poenae subiaceat; provocor simul, ut argumentum huius determinationis cum Parochis quoque pro sui directione communicem. Plena cum fiducia praemittendo, qualiter literae illae encyclicae non per quosdam sed cunctos Eppos patriae iuris publici factae sint, ab unione Ecclesiae nec me ipsum, nec regimini interimali subiectos parochos separare volens, in reliquo etiam vi muneris ac obligationis impulsus, ego quoque vulgaverim memoratas encyclicas, e consessu S. Sedis hodierno Inclyto Comitatui reponendi honorem habeo: S. Sedem praeattactae determinationis tenori quoad primam partem ex integro consentire, spem firmissimam locando in Suae Maiestatis Regis Apostolici aequitatis amore; partem tamen alteram cum vivo doloris sensu accepisse. Pervidet quippe, parochos ideo, quod placita Ecclesiae Catholicae sequantur, principiisque eius adhaereant, tamquam legis violatores poenae subiici, dumque rebus spiritualibus e ratione muneris intendunt, iurisdictioni civili obnoxios reddi. Quantum S. Sedes e tenore literarum Inclyti Comitatus intelligit, id asseritur: literas encyclicas ei articuli 26: 179⁰/₁ dispositioni contravenire, qua dum ex parte una matr. mixta coram parocho catholico ineunda praecipiuntur, parte ex altera iis quodcunque impedimentum poni vetatur, sicque denegationem benedictionis esse violationem legis. Obiectum hoc ex parte utraque abunde iam versatum, gravissimisque argumentis demonstratum est, quod praevium assertum omni careat fundamento; quamobrem S. Sedes necessarium haud censet, attentionem Inclyti Comitatus ad uberiorem argumentorum illorum expositionem provocare, breves proin suas reflexiones ad

sequentia puncta restringit. Innegabile est, complures illas leges, quae ab a. 1606 in obiecto religionis pe rlatae sunt, igitur articulum quoque 26: 179⁰/₁, articulo 1: 1606 Pacificationis Viennensis superstructas esse, prout in lege postrema clare dicitur. Iamvero art. 1 Pacif. Vienn. diserte disponit: ut in Hungaria cives noncatholici religionem suam equidem libere, absque tamen praeiudicio Catholicae Romanae Religionis exercere possint; unde art. 26: 179⁰/₁ sic tantum explicari potest, ut per eius implementum privilegia Catholicae Religionis nullum detrimentum patiantur; nil autem clarius est, quam catholicam Ecclesiam Hungaricam ad talium quoque matrimoniorum benedictionem cogi, quae spiritui eius doctrinae repugnant, proinde in principiis quoque eandem graviter laedi. Dum itaque articulus ille statuit, ut matr. mixta coram parocho catholico ineantur, ab ecclesia amplius desiderare nec potest, nec desiderat, quam ut parochi catholici penes contractus matrimoniales omne id agant, quod matrimoniis absque violatione principiorum fidei legalitatem procurat; qua in re ecclesia hungarica nil intermittit; nam parochi catholici matr. mixta e cathedra ter promulgant, sicut non mixta, iuramentumque contrahentium tamquam tales, quibus e lege art. 26: 179⁰/₁ haec provincia delata est, excipiunt. Matrimonium hoc modo coram iis initum pro vero, legali, et indissolubili contractu declarant, ac in praesentia testium, pari cum reliquis ratione, protocollo parochiali inserunt. Cum igitur omnibus, quae per potestatem civilem in sensu art. 26: 1791 matrimonia coram parocho cath. incunda praecipientis ab Ecclesia postulari possunt, satisfiat, manifestum est, Clerum Catholicum hoc in puncto violationis legum onere gravari non posse. Quod autem articuli 26 eam partem attinet, qua matr. mixtis ullum impedimentum poni vetatur, sufficiat animadvertisse: quod, quum nec de una nec de altera, proin nec de diaeta anni 1791 supponi queat, eam extra sphaeram suae potestatis de rebus spiritualibus disponere voluisse, quin ex adverso merito credatur, e notione suae sphaerae nonnisi de politicis statuere voluisse, manifestum sit articulo 26, dum impedimenta poni vetat, ea tantum impedimenta intelligi, quae matrimonium qua tale respiciunt. Eiusmodi autem impedimenta Ecclesia

Hungarica ponere nec potest nec vult, cum matrimonia etiam absque benedictione inita pro veris, legalibus, ac indissolubilibus matrimoniis recognoscat ac declaret. Allegatur consvetudo quoque, vigore cuius clerus catholicus etiam huiusmodi matrimonia mixta absque discrimine benedixit, in quibus educatio prolium catholica ex utraque parte in tuto locata haud fuerat. Ast incassum. Nam negari quidem nequit, hanc consvetudinem sub spe tollendi iam per reversales usu receptas, iam libera parentum conventione vulneris principiis catholicis inflicti invaluisse, ast propterea haec consvetudo, cum e legum tenore haud profluat, nec in eo fundetur, ad explicationem deservire non potest. Cum vero Reversales iam vigore exuantur, e parte catholicorum necessarium evasit, hanc consvetudinem tollendo ad principia inalterabilia reverti. Ceterum obiecta conscientiae, convictionis et religionis praescriptioni haud subsunt; quamobrem si relate ad ritus deviationes factae sunt, e ratione unitatis ecclesiae cath. necessarium est, obligatioque incumbit, eos ad placita ecclesiae revocare. Quoad provocationem ad art. 14 : 1647 breviter tantum S. Sedes adnotat, quod hic articulus nec in eo casu, si parochi benedictionem non impertientes legem violarent, applicari possit, prout clare eius docet argumentum, in quo nulla occurrente benedictionis mentione de templorum, scholarum, et aedium parochialium violentis depraedationibus et de legum religionis eotum iam conditarum violatoribus agitur. Patet ex his, literas encyclicas nullo modo legibus contrarias, proin nec parochos benedictionem non administrantes legum violatores esse, et ob hoc factum iudicio civili subiici non posse. Res etiam notissima est, relate ad hoc obiectum Iurisdictionum Civilium obtutus binc ve promanantes determinationes non esse consentientes. Sunt etenim plures Iurisdictiones, quae in denegatione benedictionis nullam legis violationem videntes, literas Epporum legibus adversas haud tenent, atque dispositionibus Ecclesiae Cath. in sphaera sua factis acquiescunt. Clerus Hungariae Catholicus sub praesidio earundem legum constituitur, quibus sunt obnoxii omnes patriae cives; Parochos in unius Iurisdictionis territorio degentes quoad omnes actiones eaedem leges obligant, quae in aliis iurisdictionibus ipsos stringunt;

dum itaque Iurisdictio una de eo convicta, quod literae encyclicae legibus adversae non sint, Potestati Ecclesiasticae in spiritualibus independenti liberum relinquit, ut dispositioni e principiis religionis profluenti parochi catholici semet accomodare valeant, perspici nequit, qua ratione possint ob easdem actiones parochi in alia Iurisdictione sub poenalem iudicii actionem trahi. In horum nexu eo animadverso, quod Sacra Sedes in votis habuisset literarum illarum, quas Comitatus ad populum dandas disposuit, revocationem vel ideo, quod non possit non ad enervandam coram populo auctoritatem Cleri conferre, quam tamen integram conservari Potestatis Civilis vel maxime interest, simul eadem S. Sedes determinationi per Incl. Comitatum perlatae, et quidem in sphaera ecclesiasticae quoad res eccl. et spirtuales exercendae civili iurisdictioni hisce solemniter se opponit et contradicit. — Rosnaviae 1 Febr. 1841. Paulus Hegyessy, Vicarius Capitularis.

1030. Eppus Csanadiensis ad Comitatum Temesiensem dd. 20 Febr. 1841. E certis privatis relationibus intellexi in Congregatione nupera perlatam eam determinationem, ut ego ad revocandas literas in merito matrimoniorum mixtorum ad Clerum meum dimissas iudicialiter admonear; Clerus autem meus, siquidem mixta matrimonia e recepto more benedicere nollet, per iudicium hoc fine peculiariter delegatum toties quoties in poena 600 f. convincatur, quae in certis casibus ad me quoque extenderetur. Quo magis felicem me censui, intra decursum gesti in gremio nobilis provinciae Eppatus, omnem collisionem omnemve inamoenum conflictum sollicite devitando, Inclytorum Statuum fiduciam ac benevolentiam irrestricte possidendi; et quo libentius conabar quavis opportunitate demonstrare, in quanto pretio hunc affectum habere sciam: eo maiorem dolorem peperit determinationis illius acerbitas, ac ad illius notitiam perferendam delectus modus, item defectus illius considerationis, qua iurisdictio una erga aliam in relationibus mutuo observare solet; nam sacrum munus et legislatio in persona quoque mea talem iurisdictionem esse voluit. Et reipsa hoc posteriori

obtutu e ratione legalis mei status officii duco, pleno cum honore significandi: admonitionem iudicialem in sphaera mea ecclesiastica, ratione dispositionum vi pastoralis mei muneris editarum me pro legali recognoscere non posse. Supponere debeo, literas meas encyclicas in omni sua extensione ex Incl. Statibus paucos legisse: secus lubens crediderim ad tristem illum situm me haud fuisse deventurum, ut, dum revocatio earum urgetur, aut cum Incl. Statibus et Ordinibus in collisionem veniam, si votis haud detulero, aut cum propria conscientia, si cessero. Argumentum literarum mearum non est aliud, quam catholicae ecclesiae quoad mixta matrimonia generatim agnita et ab exordio constanter custodita doctrina; ab hac recentiori tempore in casibus singularibus et potissimum in quibusdam pro excusatione eius deservientibus adiunctis recessit quidem Clerus patriae: ast principium ipsum et novit et docuit. Cum autem eventus recentissimi, Supremique Ecclesiae Pastoris plures solennes et a toto orbe catholico gratanter acceptae declarationes in illo quoque rationem officii provocaverint; cumque relate ad doctrinas catholicas particularium ecclesiarum quamcunque longa praxis praeiudicium haud generet: non potest contra eam exceptio formari, si principiis innegabilibus conformiter in praxi quoque eo revertitur, unde discedere numquam oportuisset. Cum itaque argumentum literarum mearum pastoralium mere sit ecclesiasticum, proinde exclusive ad sphaeram meam spectet ceu obiectum doctrinale ac disciplinare continens; quoad haec autem Clerum meum docere, adhortari tam strictum officium mihi quam ius inalienabile incumbat, et ceteroquin in iis mixta matrimonia in obversum legum non impediam, sed dispositio mea eam copulationis formam, de qua legislatio civilis nec disposuit nec disponere potuit, respiciat: id, quin regulas catholicae religionis deseram, et ab unitate catholica recedam, revocare non possum. Etiamsi erravisset in praxi priori Clerus, sanctissimae tamen deesset obligationi scandalumque evaderet fidelium, si e quocunque respectu in errore consequens perseverare vellet. Non nova dispositio Praesulum, sed immutabilia Ecclesiae principia sunt, de quibus agitur, quorum rectitudinem illa tantum Ec-

clesia decidere potest, quae in patria nostra existentiam statum sphaeramque suam ab octo seculis per leges in tuto locatam habet. Libertas ecclesiae ac iura conscientiae tanta sunt veneratione digna, ut horum inviolabilitatem conservare etiam eorum intersit, quorum religio a mea discrepat. Si determinationem Incl. Statuum prae manibus haberem, lubens etiam rationum momenta expenderem. Suspicari interim licet, in illa Status et Ordines legem 26: 1790/1 per denegationem benedictionis matr. mixtorum violatam tenere, huicque per articulum 14: 1647 statutam poenam applicabilem censere. Non est meae intentionis hic adferre ea, quae in hoc merito tempore Comitiorum postremorum diffuse et quoad Excelsam Tabulam Procerum pro convictione fuere proposita. Unicam solum reflexionem facere intendo, quam in hac quaestione singulari attentione dignam censeo. Dum in prioribus Comitiis huiusmodi obiectum fuerat pertractatum, Excelsi Proceres provocarunt Inclytos Status et Ordines, ut quoad copulationem mixtorum matrimoniorum tale legis proiectum facerent, quo ex una parte dispositio articuli 26: 1791 impedimenta ponere vetans manuteneatur, ast ex altera parte in illis coniungendis Cleri Catholici conscientiam contra omnem violentiam in tuto locet; qui in sequelam provocationis illud fecerunt proiectum, ut declaretur, matrimonia mixta adusque sine benedictione sed coram parocho catholico inita secus etiam valida esse, pro futuro autem disponi, ut mixta matrimonia coram parocho sponsi iuxta ritus eiusdem coniungantur. Quinimo cum in responso Procerum provocati porro fuissent, ut e redactione huius proiecti voces ‚ritus ecclesiastici' exmittantur, siquidem dispositio de his non ad potestatem civilem sed ad respectivas ecclesias pertineat, in hanc exmissionem conseuserunt, proiectumque regnicolariter acceptatum Suae Maiestati propositum extitit. Dum itaque Incl. Tabula Deputatorum ad provocationem Exc. Procerum rationum momentis suffultam e redactione voces ‚ritus ecclesiastici' emittendas censuit, eo ipso non modo ius Ecclesiae hac de re disponendi, verum id etiam recognovit, quod citatus quoque articulus 26: 1791 de eadem re disponere non potuerit. Porro cum proiectum legis ea intentione eoque scopo sit factum et repraesentatum, ut

iuxta dispositionem art. 26 impedimentum mixtorum matr. prout hactenus ita et inposterum devitetur: censeo, quod, si, iuxta opinionem Statuum Regni in futurum matr. mixta coram evangelico ministro absque concursu parochi catholici et sine ceremoniis inita fuerint, id instar impedimenti considerari non possit, proin nec de parochis catholicis asseri valeat, per eos mixta matr. in observum legum vigentium impediri, posteaquam ad eadem utut sine ritibus, sed tamen sua praesentia, tam per ecclesiasticam quam civilem legem pro sufficiente declarata, concurrunt, sicve plus agunt, quam vel praevium proiectum requirat. Quod poenam attinet, cum lex 26: 1791 illam ad occupationem templorum, aedium parochialium et scholarum diserte restringat; cum lex 14: 1647 de matrimoniis mixtis, horumve coram quo aut qua ratione incundorum modo nec verbum habeat; cum porro leges poenales apud omnes cultiores nationes strictissimae sint interpretationis, ac contra earum literam omnis quamcunque parva poena sit inexcusabilis, utpote instar partus merae libidinis respicienda; cum denique nec cum libertate religionis, nec iuribus conscientiae, nec cum seculi genio componi possit, ut quispiam animarum pastor poena gravi adversus dictamen conscientiae ad talem ritum ecclesiasticum cogatur, cuius sensus et efficacia sic tantum intelligi valet, si ex intima convictione procedat, cuiusve pretium apud eos tantum esse potest, qui vim quamdam ei inesse credunt, qua tamen in matr. mixtis pars una non eget, nec iure in illam gaudet, pars vero altera, quippe parochus poenae subiiciendus iuxta convictionem se obnoxium censere nec potest, nec ordinarie pro tali se tenet: existimo hanc poenalem sanctionem eo gravioris esse momenti, quod in Comitiis Tabula Deputatorum poenam non esse urgendam tenuerit, Exc. Proceres autem nec locum esse gravamini censuerint. Eo etiam maiorem haec sanctio poenalis mihi parit dolorem, quod a chara patria remotus dilectum meum Clerum ita, ut optarem et obligarer, consilio, consolatione, defensione succolare nequeam, nec in difficillimis eius adiunctis ullo modo partem capere. Obligor interim illis mihique iuxta strictum munus eo, ut declarem, quod Incl. Statuum nuperam determinationem nec quoad me

nec quoad Clerum tamqnam legi innixam recognoscere queam, quin potius inribus Ecclesiae sub aegide Constitutionis positae illam supra modnm adversam teneo, ciquc eapropter omnibnsque illins consequentiis soleuniter contradico. — Romae, 20 Febr. 1841. Iosephns Lonovics, Eppus.

1031. Archi-Episcopus Agriensis ad Comitatnm Borsodiensem dd. 10-ae Nov. 1841. Die 2-a curr. Mensis percepi literas D. Iosephi Szathmáry-Király, primarii Vice-Comitis, in nexu determinationis, per II. Status et OO. die 2-a Augusti a. c. latae, mihi scriptas, quibns ad retractandas pastorales literas, in obiecto mixtorum matrimoniorum ad Dioecesin per me dimissas moneor; — quapropter, suadente dnmtaxat eo respectu, quo erga sublimem situm civilis Iurisdictionis ducor, duciqne desidero, sequentem II. Statibus et Ordinibus adaperire censui declarationem. Dum ego, — cointelligenter cum omnibus Catholicae Ecclesiae in Hungaria Praesulibus — notas pastorales literas die 2-a Iulii 1840 ad Clerum Dioeceseos meae dimisissem, id nonnisi disposui et vigore donavi, qnod in hoc obiecto Ecclesiae Catholicae praxin et doctrinam, — in nexu suscitatae aevo nostro controversiae, toti mundo perspicnam redditam, et per centrnm Catholicae Unitatis solemni modo manifestatam, — constituit, et cui oppositnm — post hanc solemnem enunciationem — docere, aut contrariam praxin porro dissimulare non poteram, qnin a Centro Unitatis recessissem. Itaque nonnisi errori et sinistrae interpretationi verborum meorum tribuenda est illa accusatio: vi cuius violatae legis, et signanter praevaricati Art. XXVI. A. 1790/1 insimulor. Nam hic articulus duplicem continet quoad mixta matrimonia dispositionem, 1-o ut illa coram catholico Sacerdote contrahantur 2-o ne iisdem impedimenta ponantur. — Quod ad primum attinet, tantum abest, nt haec matrimonia coram catholicis Sacerdotibus contrahi prohiberem; ut potius gubernio meo commissis animarnm curatis inomissam penes huiusmodi matrimoniorum celebrationem assistentiam iniunxerim, matrimonia, hoc modo contracta, legalia et valida declaraverim, sicqne hac mea dispositione spiritui praecitatae legis plene

satisfecerim. Quae assistentiam catholici Sacerdotis excedunt, videlicet: benedictio, — per quam catholica Ecclesia matrimonialia foedera sanctificat, — et aliae, adhiberi solitae ceremoniae: hae obiecta civilis legislationis nunquam esse potuerunt, et unice ab illius Ecclesiae dispositione dependent, quae eas originarie instituit, et cui indubitatum competit ius: suam benedictionem illis impertiendi, quos eius recipiendae capaces, dignosque noverit. Quodsi vero harum denegatio quampiam catholicam personam, principia suae religionis reverentem, et ab indifferentismo, — religioso-morali vitae, civili societati et domesticae felicitati infensissimo, immunem ab ineundo mixto matrimonio abstraxerit: hunc effectum dispositionis meae „in leges patriae impingens impedimentum" vocitare, meque eapropter, — sub praetextu praefati Articuli, — accusare, tam parum cuicunque demum civili Iurisdictioni licet; — quam parum eidem simile ius competeret in illo casu: si in sequelam praeviorum monitorum, et institutionum Curati, quamdam partem ab intento matrimonio resilire contingeret. — Praefatus legis articulus, quemadmodum clarus eiusdem contextus docet, nequaquam ad coarctanda catholicae Ecclesiae iura, sed ad tranquillandos, et securitate donandos contribules nostros evangelicos, latus est, et, — si eiusdem sensus ad spirituales res quoque protendi posset, — hoc facto ipsam vitalem vim Ecclesiae aggrederetur, supponique deberet: legislationem eodem tempore, dum sociis nostris evangelicis ius et iustitiam asserere cupivit, — constitutioni regni coaevam catholicam Ecclesiam potestate, ad eius essentiam pertinente, omnique in spiritualibus a civili Iurisdictione independentia spoliare voluisse. Praeprovocati ordines mei in quibusdam casibus praxin, a 50, et quod excedit, annis vigentem quidem immutarunt; ceterum huic immutationi praeter causam, mox ab exordio literarum mearum attactam, totamque catholicam Ecclesiam respicientem, aliae gravissimae, ex situ patriae nostrae haustae rationes suffragabantur, quae fuse exponuntur tum in saepe memoratis pastoralibus literis meis, tum in declarationibus, per plures Co-Episcopos ad nonnullos Comitatus directis; in quibus evoluta principia, argumenta et obtutus mea quoque ex parte adopto, et ad quae in hac

quaestione provocare sufficiat; — certum quippe tenere possum: haec documenta, magni momenti quaestionem de mixtis matrimoniis pertractantia, hac epocha publicatis attentionem II. Statuum et OO. neutiquam effugisse. Insuper silentio premere nequeo assertum: quasi laxati inter familias nexus reparatio, atque populi, turbari incipientis, sedatio retractationem mearum pastoralium literarum deposceret. Eteuim hac in parte ex amplissima Dioecesi mea hodiedum non tantum nullam disfavorabilem relationem percepi; imo omni e parte illam, solatii plenam nactus sum persuasionem: quod fideles mei hos praesuleos ordines ubique sereno vultu acceptaverint, principiisque et doctrinis catholicae Ecclesiae, in iisdem expressis, prompto corde, animoque subscripserint; — quamvis ex altera parte iuste praemetuere potuerim: ne quacunque demum intentione lata II. Statuum et Ordinum determinatio, — vi cuius plebi hac in materia dilucidationem praestare, catholicos Curatos vero quodam modo vigili oculo Iudicum Communitatum subiicere voluerunt, — graves dissensiones pariat, et in singularibus saltem casibus relaxet vincula reverentiae et fiduciae, quibus populum erga suos spirituales Rectores devinciri oportet, quae ut sarta tectaque maneant, quemadmodum civilis societatis plurimum interest, ita praecipuum sollicitudinis obiectum Iurisdictionum esse deberet. Non defuisse intra ambitum huius Dioeceseos quoque nonnullos, qui suam vocem ad reprobandas meas pastorales dispositiones elevarunt, atque — proh dolor — in ipsis publicis locis auditas fuisse passionum eruptiones, et amaras cavillationes, adversus meam personam, totumque catholicum ecclesiasticum Ordinem directas, probe mihi constat; sed, quaeso ubi locorum exstitit, aut existit salutare quoddam institutum, quod singulares non habuerit adversarios? Hi tamen vani sunt sermones, quos tempus, visque veritatis obmutescere faciet; nec ulla Iurisdictio sibi inde arrogaverit ius, ad ponendas actiones, legitimam eius sphaeram transcendentes, aut ad ferendas determinationes, in quibus posteritas, modernos eventus aequa lance ponderans, haud repreriet illum moderationis et aequitatis spiritum, quo tamen cunctas enunciationes et actiones publicae Iurisdictionis insigniri oporteret.

Quemnam igitur effectum sit sortitura determinationi II. Statuum et OO. superstructa, mihique submissa monitio? ipsi II. Status et OO. haud difficulter perspicient. — Per longam elapsorum meorum annorum seriem praecipua studia in id semper convertebam: ut officia, ab Ecclesia et per leges patriae mihi iniuncta rite cognoscam, pariterque adimpleam. Lubens obsequor in omni iusta causa civilibus Iurisdictionibus, quae legibus patriae invigilant. At non minore reverentia et obedientia me obstrictum sentio Romano-Catholicae Ecclesiae, non tantum qua eiusdem membrum, sed etiam qua eiusdem Episcopus; certosque facio II. Status et OO. me nec illis poenis, quae per Articulos Legum A. 1647: 14-um, et 1507: 8-um in saepefatis monitoriis literis citatos, et e sepulchro praeteritorum lugubrium temporum operose erutos, sed ad praesentem quaestionem minime applicari queuntes, statuuntur, a tramite mihi probe notae obligationis deterrendum fore; meque — exhibita inposterum quoque patriis legibus debita reverentia, — principia et doctrinam catholicae Ecclesiae nunquam non instar fundamenti habiturum, cui omnes ad Clerum, fidelesque meos dimittendas instructiones, — in omni obiecto religionis, et signanter in materia mixtorum matrimoniorum, — superstruam; ius vero civilis Iurisdictionis, meam hac in parte agendi rationem crisi subiiciendi nunquam recogniturum; — quapropter contra omnes eiusdem actus, qui in sphaeram Episcopalis meae Iurisdictionis involarent, et independentiam Ecclesiae et Religionis Romano-Catholicae adorirentur, — pro quali saepefatas monitorias literas quoque hisce declaro, — solemniter protestor. — Agriae, 10 Nov. 1841. Ioannes Ladislaus Pyrker, Patr. AEppus.

1032.

AEppus Colocensis ad ADucem Ferdinandum Gubernatorem Galiciae de relecta per ADucem accusatione contra parochum, matr. mixto active assistere recusantem 1841.

— Misericordiarum Dominus servet Seren. V. Regiam omnium coelestium carismatum ubertate cumulatissimam annis

adhuc quamplurimis pro maximo utriusque reipublicae emolumento, et intimo cunctorum recte sentientium solatio. Profecto eximia sunt Seren. V. Regiae de Ecclesia Dei merita, tam alias repetitis vicibus, quam anno mox superiore parta, dum videlicet incusationem contra sacerdotem catholicum in eo factam, quod matrimonio mixto contra finem Ecclesiae inito activam assistentiam praestare recusaverit, velut infundatum gravamen et querelam benignissime removere dignabatur. Qui casus quemadmodum per me, ita procul dubio per omnes orbis cath. Eppos cum intimo animi solatio et gratitudinis sensu e publicis ephemeridum foliis legebatur. Ut adeo inter sanctas obligationes iure reputandum habeamus, Deum ter Optimum pro omnigena Ser. V. Regiae prosperitate deprecari. — Colocae, die 8 Mart. 1841. — Bedcsula Vita Petri Klobusiczky AEppi Coloc. p. 209.

1033.

Repraesentatio Comitatus Hevesiensis ad Regem pro encyclicis Praesulum quoad mixta matr. dd. 17 Febr. 1841.

Quaestio de mixtis matrimoniis, a pluribus hucadusque Europae cultioribus populis periculosas inter disceptationes agitata, in Hungaria quoque publica evasit non modo tempore conditi articuli 26: 1790/1, et postremorum duorum Comitiorum, sed de praesenti quoque, prouti e literis plurium Iurisdictionum ad nos datis intelleximus. Literae Epporum Catholicorum disponunt, ut, nisi de catholica prolium educatione sponsio detur, benedictio sacerdotalis contrahentibus impertienda non sit. Obiectum hoc a Iurisdictionibus pertractatum, et a parte una earumdem pro violatione legum habitum fuit: unde sicut societati civili praefixum scopum, mutuam quippe fiduciam et tranquillitatem periclitari cernimus, ita viros unius ordinis nobilitaris accusari, in iuribus cardinalibus atque in lege fundatis arctari, et in vicem tranquillitatis pro patriae emolumento ac gloria convertendae, simultatis innumerabilia mala progignentis semina iaci sauciato corde experimur. Querelas has nostras homagiali cum cultu

et filiali pietate coram Maiestate Vestra effundimus, firma spe freti, Eandem pro amplissima sua sapientia et iustitiae e legum tenore promanantis amore humillimam repraesentationem nostram attentione dignaturam, et non passuram, ut sub cuius sapienti regimine receptae in patria confessiones in plena integritate conservantur ac florent, sub eiusdem aegide avita fides catholica in iuribus constitutionetenus firmatis laedatur. Cuiusvis societatis et potestatis independentis scopus defigit eiusdem sphaeram: extra dubium itaque est, quemadmodum potestatem civilem in civilibus disponere ac mandare, ita ecclesiam quoque in sua sphaera sanctiones suas perferre. Haec e conceptu relationum socialium apud quasvis Europae nationes certa sunt. Et vere non est ibi libertas, ubi singularium personarum et ipsarum ab invicem independentium corporationum facultas agendi restringitur, ita, ut non possint agere id, quod per iura socialia conceditur. Gloria Legislatoribus, qui potestatis ecclesiasticae independentiam in sua sphaera inde ab exordio regni recognoscendo in hoc sensu leges condiderunt! Iam S. Stephani Decr. l. 2. c. 2. sancitum: Eppos habere potestatem regendi et gubernandi Ecclesias secundum canonum auctoritatem. Id per ipsas Pacificationes Viennensem ac Lincensem confirmatum est: dum concesso receptis Confessionibus libero religionis exercitio, clare reservatum per legislationem fuit, ut exercitium illud absque praeiudicio cath. religionis fieret. Id denuo confirmatum est a. 1618, 1625, 1681, 1687, 1715 in Comitiis Regni. Dum autem art. 26: 1790/1 circa evangelicos concives nostros disponit, ut ad actus religioni suae contrarios nullo sub praetextu cogantur, inque iis, quae ad religionem attinent, unice a confessionis suae superioribus dependeant, in synodis suis perlati vel perferendi canones per mandata regia aut intimata immutari nequeant: penes hanc obiectorum religionis exemtionem, quae cuivis confessioni propria sunt, profecto quoad exercitium catholicae religionis minus, quam pro acatholicis, concessum fuisse nullatenus censeri potest. Cum huiusmodi legalia privilegia in patria nostra constanter existant, cum ritus ecclesiastici et signanter benedictio, quae in elevatione mentis ad Deum ac manifestatione per signa externa consistit,

sit res pure spiritualis, annon dispositio eius intuitu unice ad ecclesiae pertinet legislationem? an rituale catholicorum potestas civilis aliqnando authenticum enunciavit? Matrimonia mixta omni charactere catholico exuere et tamen id velle ut ritu catholico probentur, annon manifestam involvit contradictionem? Sane si potestas civilis relate ad ritus principiis religionis cath. innixos libere disponere posset, periclitaretur imo ex toto periret inabalienabilis nullique potestati subiecta conscientiae libertas. Cum igitur legislatio nonnisi in priore sensu dispositionem fecerit: clarus est tenor articuli 26: 1791, ut matr. mixta coram parochis catholicis ineantur, nec benedictionem praecipit; clarum est porro, per denegationem benedictionis nullum poni impedimentum, idque eo minus, quod talia matrimonia sine benedictione inita tum ecclesiastico tum civili respectu sint veri nominis matrimonia. Hunc quaestionis statum rite noverunt etiam Comitia a. 1840, in quibus dum adversus Epporum Magno-Varadiuensis et Rosnaviensis literas encyclicas, benedictionis denegationem praecipientes, per plures Comitatus querelae motae fuissent, instar gravaminis res considerata non fuit, quinimo testantibus Actis Comitiorum e Sessione 148 die 7 Maii 1840 dimissa fuit ad Suam Maiestatem in obiecto religionis repraesentatio, in qua per proiecti legis formam enunciatur: matr. mixta, quae coram parocho catholico sine benedictione fuere inita, robur habent, prolesque ex iis natae aut nasciturae pro legitimis habentur. Ex his proin perspici nequit, eccur Eppi encyclicas suas literas dimittere non potuissent; aut annon laudabilem moderationem praesefert ea circumstantia, quod Eppi exitum Comitiorum praestolando ac gravamen propositum pro tali haud agnosci experiundo iuris publici fecerint religionarias suas sanctiones? Quod ab a. 1791 usque moderna tempora benedixerint matr. mixta, id nec ideo fecerunt, quasi lex praeceperit, nec sibi contradicunt. Lex non praecepit, quia sphaeram eius excedit, scopum autem lex civilis etiam sine benedictione assequitur. Non contradicunt sibi, quia in matr. mixtis hactenus contractis partim vigore reversalium, partim sine his educationem catholicam prolium sperare poterant: nunc vero, dum abolitio reversalium in con-

clusum diaetale abiit, imo et omnes proles ad sequendam patris evangelici religionem obligari posse videntur, Eppis incumbit obligatio, principiis ecclesiae strictius inhaerendi. Haec sunt, quae coram Maiestate Vestra e plena convictione expromimus, humillime supplicantes, ut Maiestas Vestra tamquam Rex Apostolicus fidem Romano-Catholicam, sub praesidio legum patriarum constitutam contra quasvis laesiones ac offensiones porro quoque protegere, et iuxta amplissimam sapientiam e regia potestate pro alma pace restabilienda salutares ac efficaces dispositiones facere dignetur. — Agriae e Congregatione Generali 17 Febr. 1841. Universitas Comit. Hevesiensis.

1034.

Repraesentatio Comitatus Sárossiensis in eodem merito. 1841.

Dum in postremis Comitiis Maiestas Vestra proprii animi nutu e paterna erga gentem Hungaram sollicitudine, Nationis intima desideria anticipando, e politicis nexibus enatas tristiores dissensiones benignissime sufferre, legesque nationalem culturam, industriam, et publicam fidem attinentes, proinde ad spirituale aeque ac materiale emolumentum directas regia approbatione sancire dignata est, sortis felicioris praesagia Nationi observabantur, ac in testimonium grati erga Regem animi unitis viribus modificationes internas ad systema progressui aevi accomodatum reducendo, effectui dari posse censebat. Mutua filiorum patriae consensio, unione inter thronum et nationem fota, crescebat, atque animi etiam dissidentes iungebantur; tranquillitas interna successit perplexis quaestionibus, patriaque integra ad morem familiae singularis deliciis affluebat, interresse Nationis ex aequo prae oculis habens. Attamen inter amplissimas in sphaera vitae politicae etiam maxime sedatas mentes gravis excitata disceptatio, tranquillitati civium inimica, mutuam quoque filiorum patriae unionem ad bonum patriae undique intentam haud parum rescidit. Dolore complentur praecordia nostra, dum literarum a Praesulibus relate ad ritus matr. mixtorum

editarum analysim a pluribus Comitatibus factam advertimus, ac in dies magis experimur, religionem esse donum illud, quod praecipui instar thesauri mortales habent, illam esse tranquillitatis publicae fundamentum, illudve vinculum, quo coelum terrae iungitur, Deus mortalibus copulatur. Quaevis religio sua habet principia, quorum complexum religio efficit; iuxta haec quaevis sibi praescribit regulas, quaevis externa signa seu ritus ordinat. Vel ex hoc fundamentali obtutu libera est a quovis extraneo influxu, sibi ipsi est iurisdictio, et circa ritus iudicium stricte Ecclesiam attinet; ac in tantum nonnisi civili potestati subesse potest, in quantum principia ac ritus cum scopo Status publici collidereut. Independentia haec Ecclesiae Catholicae tum ratione principiorum tum rituum, et propria iurisdictio Constitutioni nostrae politicao coaeva est, eam fideliter tuebantur maiores nostri in omnibus temporum vicissitudinibus, in adversitatibus patriae tristissimis, ac in ipsis quoque religionis simultatibus pleni sunt annales nostri exemplis ac dispositionibus securitatem pollicentibus. Haec cum sit convictio nostra, principiis Ecclesiae Cath. conformis, instar veritatis habemus: ritus ecclesiasticos, proin et benedictionem pro contractibus matrim. praescriptam, sicut ex parte una directe et exclusive ad iurisdictionem Ecclesiae per leges quoque nostras agnitam spectare, ita ex parte altera quin potestas civilis sphaeram suam transgrediatur, nullo sub praetextu sub dispositionem civilem revocari posse; cumque literas per Dignitarios Ecclesiasticos in merito mixtorum matr. ad parochos datas tamquam e principiis certissimis superius stabilitis profluentes agnoscamus, eas iurisdictionis civilis investigationi nequaquam subesse confiteri cogimur. Nec sollicitudinem e literis his in quibusdam provinciis regni nostri excitatam et nobiscum quoque communicatam fovere possumus; cum enim per dispositiones stricte in sphaera potestatis ecclesiasticae factas lex organica 26: 1791 violari haud potuerit, per exercitium iuris huius in ipsa religionis natura fundati prout et dispositionibus ex officio vigilantiae incumbentibus eo minus gravamen quodpiam formari posse recognoscimus, quo certius est, parochis in iisdem literis praesentiam tum ad matrimonii sacramentum necessariam, tum

per leges patrias praescriptam praecipi. His ducti sensibus non possumus coram Maj. Vestra dolorem celare inde ortum, quod in pluribus patriae provinciis ex dispositionibus ecclesiasticis ad independentiam Ecclesiae vellicandam, ad accusationes contra Dignitarios ecclesiasticos tametsi iure suo utentes denuo suscitandas ausa sumta fuerit, imo contra parochos e dictamine conscientiae superiori ecclesiastico obedientes lex, manifeste ad veteres simultates spectans nempe art. 14: 1647, sanctionem poenalem continens, in usum deducenda prolata sit, modusque hic agendi cives in pace ac tranquillitate viventes haud parum commoverit, affectus concitaverit, et progressus in dies factos, per iacta simultatum semina stiterit. In praesenti religionis ac Status civilis nexu e ratione futurae tranquillitatis ad officium nostrum pertinere existimavimus ad thronum Maj. Vestrae vocem nostram attollere, Regisque Apostolici legalem auctoritatem provocare, ut e iure protectionis Ecclesiae Cath. independentiam porro quoque potenti praesidio regio tueri, accusationes contra Praesules parochosve suscitatas ac nulli legi superstrui queuntes poenales sanctiones irritare, sicque tantopere necessariam patriae tranquillitatem accomodis dispositionibus legalibus sapienter stabilire, mutuamque fiduciam velut conditionem prosperitatis patriae nostrae pro omni tempore in tuto locare dignetur. — Eperiessini e Congr. Gener. 8 Mart. 1841. Universitas Comitatus Sárossiensis.

1035.

Sensa Primatis Regni occasione ea depromta, dum de pastorali instructione quoad matr. mixta ad fideles lingva vernacula dimittenda eidem ab AEppo Agriensi quaestio posita fuisset. 1841.

Pastorali officio nostro consentaneum, fideli autem populo utile esse posset, in his temporum adiunctis, dum Encyclicarum nostrarum quaevis ferme verba detorquentur, atque in devium sensum, tantum ut exosi reddamur, trahuntur; dum omnis Ecclesiae Cath. doctrina effroeni licentia apud plebem ipsam prosciuditur: accomodam ad fideles adhortationem

dimittere; sed ut ab intento salutari effectu non aberretur, duo prae oculis habenda censerem: modum videlicet et momentum temporis, quo haec pastoralis institutio ad fideles dirigeretur. Quod modum attinet, existimo non esse directe impetenda illa, quae adversarii nostri tam in Comitatuum Congregationibus, quam et extra illas contra nos et sanctam causam nostram agunt: id enim absque fructu graviores irritationes ipsorum provocare posset; sed indirecte potius ad scopum illum tendendum esse videretur; ita e. g. ut assumendo iustisque laudibus prosequendo in genere catholicam fidem et Ecclesiam, tum recensendo salutis media in illius gremio deposita, et dum inter haec ad Matrimonii Sacramentum veniretur, totam illam catholicam doctrinam, de qua nunc controversiae vertuntur, clare et succincte enucleando, tandem ad Ecclesiam, quae doctrinam et salutis media conservat, et custodit, ipsumque ministerium sacrum, quod in illa Christus fine dispensationis Sacrorum perenne esse voluit, progrediendo et catholicos obtutus de his quoque succincte explanando, finaliter fideles, ut fidei et ecclesiae catholicae ac huius ministris indivulse adhaereant, serio commonerentur. Quod autem momentum temporis, quo haec ad populum dirigantur, attinet: arbitror, adexspectandum esse tempus, quo passiones et adfectus nunc adhuc nimiopere ferventes aliquantum sedentur, atque hoc pacto animi, forte etiam aliqua a nobis alienatione affecti, ad recipiendas sanas suggessiones proniores reddantur. Praeterea optime id fieret, dum alia etiam occasio sua sponte quasi ad hoc se offerret, uti hoc de secunda Dominica post Pascha ob ipsum Evangelii argumentum non abs re statui potest. — Interim sive fiant haec, sive non fiant: casu in omni duo non esse negligenda puto: et quidem 1. ut dum in humanis nullum suppetit auxilium, ad Deum maxima qua possumus fiducia et assiduitate preces nostras dirigamus quotidie, diebus ferialibus quidem per collectas intra Missae celebrationem hoc scopo sumendas, diebus autem dominicis et festivis post concionem per orationem pro simili necessitate praescriptam, idemque sub pomeridianis devotionibus per preces Lytaniae OO. SS. subnexas faciamus, populum etiam apte praemonendo de adversitatibus, quibus

Ecclesia premitur; 2. ut in sacris sermonibus institutiones accomodae de fidei necessitate, de Ecclesia, de visibili eius Capite, de notis verae Ecclesiae, de ministerio sacro per Christum instituto, de successione Episcoporum et Presbyterorum ab Apostolis et discipulis Christi derivata, de praeparationibus ad Sacramenta digne suscipienda necessariis etc. frequentius ac hactenus populo proponantur, ac tum in sacris sermonibus, tum in colloquiis et quibusvis opportunis occasionibus axiomata illa, quae latius patent et ad firmandam catholicam rem egregie subserviunt, frequenter in memoriam fidelium revocentur; veluti sequentia sunt: Oportet Deo magis obedire quam hominibus — anima plus est quam corpus — non civili potestati sed Apostolis commissum est Ecclesiae regimen — Christus ipse et Apostoli ignominiose sunt tractati — non est discipulus maior magistro etc. Sperare sane licet, fidelem populum pro sano suo iudicio, quo pollet, in apophtegmatibus similibus, dummodo haec institutionibus accomodis, ut praemissum est, solerter dilucidentur, et exemplari Sacrorum Ministrorum vita fulciantur, munimen quasi et fomentum catholici sui sensus habiturum esse. — Strigonii 11 Mart. 1841. Iosephus Kopácsy, AEppus Strig. et Regni Primas. — (Ex Tabul. Strig. et Agr.)

1036.

Protocollum Conferentiae Praesulum Hungariae 1848. Posonii asservatae de casu mixti matrimonii, cuius pars acatholica a vinculo prioris coniugii per forum protestanticum divortiata fuit, altero coniuge actu vivente.

Anno 1843. die 27. Maii Posonii sub praesidio Cels. Principis Primatis Iosephi Kopácsy, considentibus Exc. Ill. ac RR. DD. Ioanne Ladislao Pyrker Patriarcha AEppo Agriensi, Francisco C. de Nádasd Vaciensi, Ioanne Hám Szathmariensi, Ioanne Scitovszky Quinqueecclesiensi, Emerico Osegovich Seguiensi, Iosepho Lonovits Csanadiensi, Iosepho Kukovich Diakovariensi, Ladislao L. B. Barkóczy Albaregalensi, Georgio Haulik Zagrabiensi, Antonio Ócskay Casso-

viensi Eppis, nec non Michaele Rimely O. S. B. de S. Monte Pannoniae Archiabbate celebratae sunt Conferentiae, in qnibus Sua Celsitudo Primatialis proposuit pro communi deliberatione statnendisqne generalibns principiis, quae etiam in futuris similibus casibus per omnes observanda essent, preces Comitis Francisci Trann Catholici Posonii nunc in Regni Comitiis, nt aiebat, commorationem figere, et Comitissam Barbaram Bethlen Helv. Conf. addictam, viduam Kendefyanam, quae a primo suo marito hucdum vivente Adamo Com. Bethlen aeqne Helv. Conf. profitente per Protestantinm Synodum Transsilvaniensem quoad vinculum separata fuit, ducere volentis, atqne hoc in proposito a ponendis obstacnlis immnnem semet praestare petentis, eo etiam ex respectu, quod coram Consistorio Eppali Transsilvaniensi declaratum sit, dictam Helv. Conf. sponsam nnptiarum etiam cum viro catholico celebrandarum capacem esse.

Quibus propositis quaestio orta est: an deliberatio haec Consistorii Albacarolinensis sic snfficiat, ut ei praevio in merito plene insisti possit, vel vero priusquam dicti Comitis precibus deferretur, actornm, qnae ad rem faciunt, nberior discussio reqniratur? Ad quam quaestionem debite expediendam primum adducebantur per coassidentes Eppos complures similes casns, modusque, quo illi hactenus coram Consistoriis Catholicis pertractati fuerunt; dein lectae sunt nonnnllae Constitutiones Summorum Pontificum hoc in merito editae, ac in specie a) illa Benedicti XIV. dd. 25. Maii 1754. qua matrimoninm inter Christinam Macskásy et Stephanum Várady cnm adiecta conditione ‚donec in honestate et puritate permanseris' apnd Calvinianos in Transsilvania contractum sedulo perpensis omnibus tum inris tnm facti circumstantiis irritum et nullum, illud vero, quod dicta iam conversa mulier cum Catholico Michaele Dósa contraxit, pro valido declaratnm fuit; b) Apostolicnm Breve Gregorii XVI. dd. 27. Maii 1832. ad Eppos Bavariae dimissum, quo in casibus matrimonii inter catholicos et haereticos contrahendi, dum pars acatholica habet viventem adhuc priorem coningem, a quo divortio seiuncta fuit, praecipitur: nt novum ipsum matrimonium non permittatur, nisi postquam causa primi matrimonii ab haeretica

parte iam antea initi cognita fuerit ecclesiastico iudicio ad canonum normam exacto, quo connubium idem fuerit irritum declaratum. Cuiusmodi Pontificiae Constitutionis, ut quippe causa talis coram eccles. iudicio praevie cognoscatur, rationem in eo sitam esse, quod acatholici faciliores sint in divortiis adinveniendis, ideoque etiam probae leniores per eosdem ad plenas probas eleventur, postquam omnes praesentes recognovissent; cum insuper indubium esset, Ordinarios etiam sensu patriae legis, Articuli quippe 26: 1791. §. 11. et relate ad Magnum Principatum Transsilvaniae Decreti Aug. M. Theresiae ad eiatem Eppum dd 31. Maii 1763. emanati, ad agnoscendam vinculi matrimonialis nullitatem coram Consistorio Acatholicorum adinventam non obligari, et, ut praemissum est, iuxta Constitutiones Summorum Pontificum requiri, ut in huiusmodi casu acta ipsa et motiva, quae Consistorium Acatholicorum ad pronunciandam matrimonii nullitatem permoverunt, ab Episcopo iuridice discentiantur, num ve illa apud nos etiam pro sufficientibus haberi possint, ordine iuris cognoscatur; postquam igitur ex extractu Protocolli Consistorii Eppalis Albacarolinensis de 9 Febr. a. c. observatum fuisset, coram eodem Consistorio praeter dictae Comitissae Barbarae Bethlen recursum, duplicem item deliberationem Synodi Helv. Conf. addictorum, et quidem partialis Synodi dd. 4. Maii 1827. et generalis Synodi dd. 2. Iul. e. a. nulla alia acta coram dictis Synodis interventa in Consistorialem discussionem assumta fuisse, eo etiam ex incidenti, quod dicta Comitissa Barbara Bethlen ab antelato Comite Adamo Bethlen in vivis agente filiam susceperit, a quo tamen ex defectu consensus vinculariter divortiata est: communi omnium praesentium DD. Epporum consensu conclusum est: priusquam recurrentis Francisci C. Traun precibus deferri posset, eundem inviandum esse, ad illa acta, quae memoratas binas Helv. Conf. addictorum Synodos permoverunt ad pronunciandam matrimonii inter saepe dietam Comitissam Barb. Bethlen et C. Adamum Bethlen nullitatem, pro necessaria discussione Metr. S. Sedi Strigoniensi exhibenda, inde vero praetermissa partium citatione, absque omni mora iurisque strepitu ad Sedem Primatialem scopo instituendae revisionis

iudiciariae promovenda, sed et Consistorium Albacarolinense nua provocandnm fore, nt pariter dicto Metrop. Consistorio mox communicet acta, quae praeter ea, quorum in eius Protocolli extractu mentio fit, hoc in merito nefors in pertractationem assnmsisset, insnper nt idem Consistorinm indaget et de compertis referat: an non qnaepiam forte in remotiori gradu (ac proin apnd Protestantes nil impediens) cognatio intercedat inter toties dictam C. Barbaram Bethlen et eius primnm maritnm C. Adamnm Bethlen, propter qnam cognationem eorum matrimoninm apnd Catholicos nullnm esset.

Principia autem in similibus casibus pro cynosnra deservitura, in quibus praesentes DD. Archi- et Eppi Dioecesani coalnernnt, snnt sequentia: 1. Qnod sententiae acatho'icorum in causis vincularibns matrim. latae non praebeant normam, in qua Eppi Catbolici conqniescere possint; adeoqne 2. integrum sit his hac in re nlteriora adminicula deposcere; nihilominus tamen 3. ad evitandam hoc in merito publicam attentionem oporteat idgenus obiectum placida modalitate, et in quantnm fieri potest, praetermissis in Processibus observari solitis minus essentialibns formalitatibus, intra brevissimum tempus tractari; penes id tamen 4. debeant praeattacta adminicnla eo modo subiici discussioni, qnem hac in re essentialis observantia reqnirit. Signatum Posonii, die et anno ut snpra — per I. Bapt. Podobny, Secret. Primatialem.

1037.

Protocollum Conferentiarum sub Comitiis 1843. per Praesules Regni Hungariae in negotio religionis, signanter de matr. mixtis celebratarum.

Sub praesidio Primatis, praesentibus AEppis et Eppis: Agriensi, Nitriensi, Csanadiensi, Diakovariensi, Munkacsiensi, Zagrabiensi, Iaurinensi, et Cassoviensi: diebns 19. et 21. Octobr. 1843.

Proposuit Princeps Primas: negotium religionariarum differentiarum proxime praecedentibns ac his qnoque actu defluis Regni Comitiis tam fervidis agitatum studiis,

posteaquam Status et Ordines diaetaliter congregati in obversum Resolutionis R. de 5. Iul. a. c. editae adornassent remonstrationem, actu, ut cunctis notum foret, sub pertractatione constitui, ac ab ulteriori altissima Suae Maj. SS. decisione pendere. Evenire facile posse, quo unus alterve aut plures etiam e DD. Eppis in ea incidant rerum adiuncta, ut sua intuitu eiusdem negotii religionarii relate ad praesens, in quo illud constituitur, stadium sensa manifestare cogantur; intersit autem quamplurimum, ut ne in diversa diversorum tendant sententiae, sed consona potius omnium in re tanti momenti sit mens Praesulum et opinio. Itaque e re futurum, ut quid proprie in praesenti rerum situ tenendum, et pro re nata ex parte Praesulum manifestandum etiam foret, mutuis consultationibus elucubretur, et subin cynosurae instar stabiliatur.

. Subversantibus adiunctis partem in omnem discussis, in sequentibus fuit coalitum: Iam a. 1791. Eppos et magnam Statuum Catholicorum partem contra artic. 26. eiusdem anni propterea potissimum, quod is proles matris catholicae masculas in mixto matrimonio progenitas in aliena a fide catholica confessione educari posse statueret, contradictionem interposuisse; quippe id principio catholico haud statis congruere existimantes, licet eotum Reversales adhuc suo vigore gavisae fuerint. Itaque de praesenti, ubi Reversales pro futuro simpliciter abrogandae utriusque Tabulae consensione proponuntur, et memorata Ecclesiae doctrina per totum cath. orbem in plenam lucem collocata ac Visibilis Ecclesiae Capitis oraculo expresse ac identidem declarata est, Praesules Hungariae minus adhuc quam a. 1791. vel illi articuli 26. dispositioni posse acquiescere, minime autem in ulteriores Confessionibus a Fide Cath. alienis hac in parte tribuendas concessiones voto et assensu suo concedere. Et ideo seu publice seu privatim de mente Epporum quaesitum fuerit, principium hoc aperte esse enunciandum. Quodsi tamen de eo quaestio formaretur, quidnam in casum ulteriorum concessionum in obversum voti Cleri Catholici faciendarum e diversis, quae nunc agitantur, legis proiectis minus videretur principio catholico repugnans et Ecclesiae Cath. rationibus minus

damnosum? coalitum fuit: maxime praeiudiciosum videri, si id in legem cooptaretur, quod Status et Ordines postrema sua — repraesentatione proponunt, cum hac ratione lex nulla sponsis mixtae religionis de prolium suarum educatione vel paciscendi concessa facultate positive decerneret, ut cunctae matris catholicae proles extra gremium Ecclesiae Cath. debeant educari, id quod catholico principio manifeste et e diametro est oppositum. Quae quidem res eo esset pro Ecclesia Cath. perniciosior, quod, dato semel legis catholico principio positive et aperte repugnantis exemplo, nulla unquam amplius praeiudicia ab Ecclesia Catholica eo praeverti possent argumento, quo hucdum praeverti et poterant et solebant; quippe non posse in legem hungaram cooptari, quod in manifesta sit cum principiis catholicis oppositione. Hocque semel lege enunciato Clerus Catholicus in manifestam inter religionis suae principia et legem civilem pugnam coniectus infinitis Iurisdictionum, Magistratuumque publicorum expositus foret vexationibus, nunquam fortasse finem sortituris. Grave pariter opinione Conferentiae in rem catholicam maneret praeiudicium, si memorata Resolutio dd. 5. Iul. legis obtineret sanctionem: quia dura illa et praeceptiva de prolibus matris catholicae in aliena Confessione educandis dispositio hic quoque conditionate maneret, et praeterea patri catholico facultas tribueretur, eaque lege proclamaretur, educationem prolium suarum in aliena a fide catholica confessione stipulandi. Haec tamen provisio comparate ad priorem lenior aliquantum esset, mitigaretur enim adversa principio catholico legis dispositio per facultatem sponsis aut coniugibus de prolium suarum catholica educatione paciscendi tributam. Cederet haec mitigatio indubie in bonum Ecclesiae vel propterea, quia sperare liceret in multis saltem casibus illam partem, quae salvis religionis suae principiis et absque conscientiae laesione a legis vigore recedere potest, protestanticam quippe, cessuram potius, quam illam, quae dispositioni legis obtemperare non potest, quin suam temeret fidem et conscientiam, id est, catholicam. Tum vere non penitus intercluderetur campus animarum curatoribus intra sphaeram muneris sui enitendi, quo pars catholica suae fidelis persistat religionis praescripto. Hoc

etiam tolerabilius minusque catholicae rei praeindiciosum fore arbitratur Conferentia, si insistendo de cetero circa prolium religiosam educationem dispositioni art. 26 : 1791. id solum lege enunciaretur: dehinc non masculas tantum patris evangelici, sed et femellas atque adeo cunctas ex matre catholica progenitas proles in patris a sacris catholicis alieni confessione posse, non tamen debere educari. Sed et hac provisione lenius catholicoque principio minus repugnans, quamvis necdum plene consonum, iudicaret Conferentia, si ab Altissimo Loco enunciaretur: Statibus et OO. postremam Resolutionem R. non acceptantibus, imo declarantibus facultatem paciscendi de educatione religiosa prolium conscientiae libertati protestantium non congruere, neque eosdem hac facultate usuros esse, parte vero ab altera Sua Maiestate SS. parti catholicae coactivam in obversum principii catholici tendentem dispositonem absolute et citra vel paciscendi facultatem imponere haud queunte, non aliud superesse, quam ut res penes pristinum suum statum, id est, penes dispositionem art. 26 : 1791. permaneat; quibus addi possent modificationes quoad copulationem in sensu Instructionis Lambruschinianae.

Proposita fuit per Primatem quaestio: quid censendum videatur de ea, in quam nonnulli altiori etiam loco positi propendere observantur, Resolutionis memoratae modificatione, ut nempe cynosurae instar enuncietur, proles e mixtis matr. progenitas in patris religione esse educandas, ac tum nonnisi subiiciatur: nisi parentes aliter de earum educatione convenirent? Mutationem idgenus non modo nil commodi adlaturam censuit Conferentia, sed potius asperius adhuc in principium catholicum incursuram: namque in Resolutione R. dd. 5. Iul. mutae Conventiones pro regula generali praestabiliuntur, ac tunc solum, ubi tales non succederent, quasi imperiosa urgente necessitate statuitur, proles in patris religione esse educandas; in proiecto autem memorato lex directe regulae instar enunciaret illam catholico principio adeo et absolute repugnantem dispositionem, proles catholicae matris debere in confessione a fide catholica aliena educari, et nonnisi per modum exceptionis contrarias admitteret stipulationes, quae quidem

legis oeconomia ipsis etiam his stipulationibus non raro nec parva positura foret impedimenta.

Et haec quantum ad ipsum rei meritum. Sed vero cum non tantum ex dispositione, sed etiam ex textura ipsa styloque legis, imo et Resolutionis Regiae, ex qua lex coalescet, damnosae in rem catholicam dimanare possent sequelae, summopere exoptandum existimavit Conferentia, ut edenda in nexu postremae Statuum et OO. repraesentationis altissima Resolutio, quaecunque illa dispositiva sui parte complexa fuerit, adminus eo spiritu et stylo concinnetur, qui catholico Principe Regeque Apostolico dignus sit, neque ansam suppeditet Catholicis suspicandi, quasi Regimen ipsum erga Religionis Cath. principia indifferenti sit animo, et eorumdem in sua puritate conservandorum haud magna cura teneatur. Hinc ex parte Praesulum pro re nata eo foret elaborandum, ut cuncta, quae suspicioni huiusmodi ansam cum piorum catholicorum scandalo possent suppeditare, solerter in edenda Resolutione evitentur, isque adhibeatur stylus, qui rei congruit, quemve antehac in summe etiam criticis throni ac rei catholicae adiunctis adhibebant Reges nostri Apostolici. Sic e. c. si iam ineluctabilis videretur necessitatis lege decernere, ut partis catholicae proles in confessione a fide cath. aliena educentur, attingendum adminus foret: partem quidem catholicam id agendo principiis religionis suae adversari, quia tamen iuxta Resolutionem R. praesalvandae libertatis conscientiae ratio haberi debeat, eandem partem catholicam ab hoc suo proposito coactivis mediis impediri non posse etc. Multarum quoque sinistrarum in rem catholicam sequelarum fontem futurum sibi persvadet Conferentia illam in Resolutione R. contentam declarationem: pacta huiusmodi de religiosa prolium educatione privatorum contractuum naturam habitura. Cum enim ea infelicia vivamus tempora, quibus parte ab una a Fide Catholica alienae Confessiones rem suam summis animis sustinent, parte vero ab altera perquam multi Catholici erga religionem suam nedum frigidi sed inimico plane spiritu animati communem cum illis causam agunt, quippe liberali, ut vocant, aevi spiritu et quaevis agendi licentiae illiciis abrepti: facile praevideri potest, quod contractus idgenus coram Iuris-

dictionibus et Magistratibus publicis, dum Protestanticae faverint Confessioni, plerumque omni cum rigore sustentandi sint: contra dum Catholicae faverint Ecclesiae, parum sint praesidii, saepe positiva etiam impedimenta reperturi. Metum hunc neququam esse fundamento destitutum, sat superque docet tristis sane recentiorum praesertim temporum experientia. Desideraret itaque Conferentia, pacta huiusmodi conscientiae potius paciscentium relinquenda, atque ab omni Magistratuum et Iurisdictionum influxu eximenda esse; atque ex eadem ratione multo expedientius videri, tum quoque, dum conventiones idgenus ineuntur, tales non coram legali testimonio, sed coram aliis secus honestae conditionis et disinteressatis testibus ineundas venire. —

1038.

Protocollum Conferentiarum per Praesules Hungariae sub Comitiis Regni die 13. Nov. 1844. Posonii in obiecto religionario, signanter de matr. mixtis celebratarum.

Sub praesidio Primatis, praesentibus AEppis et Eppis: Agriensi, Vaciensi, Quinque-Ecclesiensi, Csanadiensi, Albaregalensi, Iauriuensi, Cassoviensi, Weszprimiensi, MVaradinensi L. R. et G. R. item Archiabbate Montis Pannoniae.

— In discussionem sumta est Principis Primatis propositio de novae religionariae legis in materia Reversalium et copulatione mixtorum matr. interpretatione, practicaque medio Curatorum animarum executione. Visum est ante omnia diiudicandum esse, quid novissime condita lex, articulus 3: 1844., quoad haec puncta disponat, quid item e praehabita art. 26: 1791. provisione relate ad haec obiecta Catholicae Religioni inalteratum relictum sit? Cum altissima Resolutio R. dd. 25 Martii 1844. dispositionem circa religiosam prolium educationem in basi perfectae libertatis conscientiae mixta matrimonia contrahere volentibus e toto reliquerit, quae tamen dispositio per Status et OO. diaetaliter congregatos acceptata non est; sed et art. 3: 1844. nullam circa religiosam prolium e mixtis matr. progignendarum educationem praestituat normam: ut

dispositio articuli 26: 1791. expost etiam in praehabito legali vigore et usu maneat, est necesse; scilicet si pater sit catholicus, omnes proles indiscriminatim in religione patris catholica, si autem mater sit catholica, sexus feminei proles in matris religione educari debent. Porro quamvis concluso regnicolari anni 1844 Reversales in futurum pro abolitis declaratae essent, quin etiam Sua Maiestas SS. dd. 25 Mart. 1844. Resolutione Regia propter expromtum et a se adoptatum principium libertatis conscientiae edendarum expost Reversalium valorem nec politica nec iuridica via persequi posse declararet: cum tamen mixta matrimonia in futurum perinde, ne ineantur, impedire art. 26: 1791. vetaretur, salva Ecclesiae Cath. libertate, quae suum in haec consensum tunc solum largiri valet, si de educatione prolium in fide catholica cautio per sponsum acatholicum praestaretur, Reversalium usui renunciari haud posse, tametsi praevidere sit, has expost ob contraria Iurisdictionum studia fere in foro duntaxat Ecclesiae suum habere pretium; hoc namque medio unice fit id, ut tam fungenti circa talia matr. mixta parocho proprio, quam et respectivae catholicae sponsae sub obtenta sponsione valida de catholica omnium prolium suarum in fide educatione nubenti adsit maior certitudo. Insuper hoc in sensu et nec secus ipse Summus Pontifex in suo Brevi Apostolico ante triennium ad Clerum Hungariae edito se enunciavit: ut cautio talis, quae in patria ista compellatione Reversalium exprimitur, semper a mixta matr. inire volentibus per expressum desideretur. Hae proin in futurum de regula desiderandae erunt, non quidem per parochos ipsos, ut a sacerdote odium omne, coactionisque suspicio avertatur, verum per sponsas harumque parentes, quorum alioquin vel maxime interest salutis propriae et nasciturarum suarum prolium studiosos esse. Attentos igitur reddendos esse parochos, ut in tempore opportuno priusquam sponsalia similia vel inirentur, hoc in passu rei catholicae et suis conscientiis subvenire satagant, prout et solida ac frequentissima de materia hac institutione parentes ad partes muneris sui circa elocationes filiarum conscientiose explendas commonefaciant. Si tamen quandoque ille semet offerret casus, quod sponsus evangelicae confessioni addictus, de cuius cha-

ractere firmo et honesto parochus plene persvasus est, praeter firmam pollicitationem nasciturarum prolium catholicam educationem stantibus suis extraordinariis adiunctis, v. g. ne parentes et propinquos offendat, se haereditatis sperativae expertem reddat, — sponsae suae huiusque parentibus scriptis solennibus Reversalibus se deobligare posse haud crederet: in huiusmodi casu an talis per exceptionem absque Reversalibus etiam ad ineundum mixtum matr. in facie Ecclesiae admitti possit? id praevie semper Officio Dioecesano tempestive insinuandum erit, ut abiude agendorum norma et facultas emanare possit. Adnotatur insuper, in comperto esse, nomenclationem Reversalium in Hungaria non solum coram Evangelicae Confessionis asseclis, sed et Catholicis plurimis in errorem inductis adeo odiosam redditam esse, ut vel memoria expressionis huius, si per sacerdotem ore vel scripto circumferretur, sufficiat ad odium et aversionem rei bonae conciliandam. Quandoquidem autem non obstantibus quibusvis adiunctis Ecclesia Catholica mixta matrimonia in genere non secus quam penes cautiones principiis catholicis conformes toleraret, prout parte ab una his porro etiam desumendis insistit, ita parte ab alia ad exemplum Summi Pontificis, qui non expressione Reversalium, sed solummodo ‚Cautionis' expressione utitur, quae hungarico vocabulo ‚biztositás' comprehenditur, consultius futurum iudicatur, si amodo in posterum Reversalium expressio extra omnem ponatur usum.

Quantum patriae legis de copulatione mixtorum matr. novissimam dispositionem attinet, haec ab ea, quae fundamento art. 26: 1791. antehac viguit, nempe ut matrimonia semper coram parocho catholico ineantur, abludit; nam art. 3: 1844. §. 3. lex permissiva id continet: quod in futurum matr. mixta etiam coram alterutro evangelicae confessionis ministrorum contrahi possint, sique contraherentur, ea legalia sint. Notum est praeterea, quod Sua Sanctitas Summus Pontifex in citato Brevi Apostolico haec pro validis declaraverit. Advertendum est igitur, quod haec nova dispositio nequaquam relinquat arbitrio sponsorum delectum ministri, coram quo connubio necti velint: siquidem catholica sponsa e principio suae religionis et ex ordinatione Concilii Tridentini matrimonii li-

gamen solum coram proprio parocho ineundum habet; ast unice dum sponsus cautionibus per Ecclesiam praescriptis ore vel scripto satisfacere detrectat, neque in talibus adiunctis desponsi penes passivam assistentiam coram catholico parocho matrimonium suum legalisare vellent, in sensu Brevis Pontificii testimonium de peractis promulgationibus nulloque subversante impedimento praeter Ecclesiae prohibitionem obtinendo, ne absoluta voluntate in ineundo matrimonio coactive impediantur, in sensu art. 3: 1844. ministrum evang. conf. adire, illicque legale ac validum matr. inire, neque in hoc impediri possunt. Legi proin patriae hunc solum neque alium sensum tribuendum venire ex praemissis clarum fit. — (Ex Actis Tabul. Strigon.)

1039.

Patentales Imperatoris Austriae dd. 29. Nov. 1852. de Codice Civili Austriaco etiam in Hungaria introducendo: ac in eo de matr. mixtis.

— Art. IV. Auf alle nichtkatholischen christlichen Religionsgenossen in den bezeichneten Kronländern, mit Ausnahme der nichtunirten Griechen, finden die Vorschriften des II Hauptstückes über das Eherecht im Allgemeinen zwar volle Anwendung. Doch hat es hinsichtlich der Eingehung der gemischten Ehen zwischen kath. und nichtkath. Personen der christl. Religion bei den bisher bestehenden Gesetzen, insbesondere bei der gesetzlichen Bestimmung zu bleiben, nach welcher im Falle in den obgenannten Kronländern eine katholische und eine nichtkath. Person der christl. Religion sich verehelichen wollen, die Einwilligung hierzu, abweichend von der Vorschrift des §. 77. des allg. bürg. G. B. *) auch vor dem ordentlichen Seelsorger des nichtkath. Theiles

*) §. 77. Codicis sic sonat: „Wenn eine katholische und eine nichtkatholische Person sich verehelichen, so muss die Einwilligung vor dem kath. Pfarrer in Gegenwart zweier Zeugen erklärt werden; doch kann auf Verlangen des andern Theiles auch der nichtkath. Seelsorger bei dieser feierlichen Handlung erscheinen.“

abgegeben, und von diesem auch die Trauung vorgenommen werden kann. — Allgem. bürg. Ges.-Buch kundgemacht in Ungarn. Wien. 1853.

1040.

Eppus Vaciensis (nostra humilitas) de mixtis matrimoniis uberiorem impertitur Clero suo instructionem, a. 1852.

Quamquam ea, quae quoad mixta matrimonia ductu principiorum Ecclesiae Catholicae tenenda et in praxi observanda sunt, ope triplicis ordinis circularium literarum, utpote dd. 2. Iul. 1840, dd. 8. Dec. 1841, et dd. 30. Ianuar. 1845.*) animarum curatoribus ubertim proposita fuerint; eaque animo meo inhaereat persvasio, DD. Curatos parte ex sua nil intermittere, quo et sanctionibus Ecclesiae in ineundis mixtis connubiis sua constet firmitas, et populus fidelis frequentiori cum publica tum privata institutione ad doctrinam et leges Ecclesiae circa eadem coniugia sancte custodiendas reflectatur. Cum tamen res haec summi momenti peculiarem sollicitudinum mearum episcopalium partem non constituere non possit: et pastorali meo ministerio, quod Dei miseratione licet indignus gero, et monitis S. Sedis Apostolicae in obiecto mixtorum matr. ad Praesules Regni istius directis consentaneum iudicavi, Honor. Clerum Curatum dioecesis meae paterne eo reflectere, ut pari ac hactenus, imo et flagrantiori adhuc zelo doctrinam et leges sanctissimae matris nostrae Ecclesiae Catholicae ad mixta connubia pertinentes fidelibus suis frequentius commemorare, accuratam earumdem custodiam iniungere, eoque adlaborare satagat, ne Canonum matrimonia mixta detestantium, et curae constantissimae, qua S. Mater Ecclesia filios suos ab illis in suarum animarum iacturam contrahendis avertere studet, memoria extenuetur. In his profecto adiunctis temporum, dum omnis Ecclesiae Cath. doctrina effreni licentia apud ple-

---

*) Circulares has exhibet operis nostri de matr. mixtis Tomus II. p. 720 824. et T. III. p. 525.

bem ipsam proscinditur, fideli populo summe utile erit, frequentiori accomoda adhortatione doctrinam et leges Ecclesiae praevio in merito omni cum energia et zelo proponere, et in huiusmodi adhortationibus, ne ab intento salutari effectu aberretur, cum pro ratione peculiarium circumstantiarum modum tenere, ut non semper quasi directe impetantur ea, quae adversarii nostri contra nos et sanctam causam nostram proferunt aguntque, sed indirecte nonnumquam, e. g. ut assumendo, iustisque laudibus prosequendo in genere catholicam fidem et ecclesiam, tum recensendo salutis media in illius gremio deposita, et, dum inter haec ad matrimonii sacramentum veniretur, totam de eò catholicam doctrinam clare et succincte enucleando, tandem ad Ecclesiam, quae doctrinam et salutis media conservat et custodit, ipsumque ministerium sacrum, quod in illa Christus fine dispensationis sacrorum perenne esse voluit, progrediendo, et catholicos obtutus de his quoque succincte explanando, postremo fideles, ut fidei et ecclesiae catholicae ac huius ministris indivulse adhaereant, serio commonerentur. In sacris item sermonibus accomodae institutiones de fidei necessitate, de Ecclesia eiusque visibili Capite, de notis verae Ecclesiae, de ministerio sacro per Christum instituto, de successione Epporum et Presbyterorum ab Apostolis et discipulis Christi derivata, de praeparationibus ad Sacramenta digne suscipienda necessariis, etc. frequentius populo proponendae, ac tum in sacris sermonibus tum in colloquiis et quibusvis opportunis occasionibus axiomata illa, quae latius patent, et ad firmandam catholicam rem egregie subserviunt, frequenter in memoriam fidelium revocanda erunt, veluti est illud: anima plus est quam corpus; Apostolis eorumque successoribus commissum esse Ecclesiae regimen; oportet Deo magis obedire quam hominibus etc. Sperare licet, fidelem populum pro sano suo iudicio, quo pollet, in axiomatibus similibus, dummodo haec institutionibus opportunis solerter dilucidentur, et exemplari sacrorum ministrorum vita fulciantur, munimen quasi et fomentum catholici sui sensus habiturum esse.

Cum porro et muneris nostri natura, et temporum, in quae incidimus, ratio id deposcant, ut uno animo, concordibus studiis id ipsum invicem sentientes opus nostrum perficiamus,

unitatem autem hanc non solum in fidelium quam solertissima institutione, verum et in administratione Sacramentorum ac rituum sacrorum uniformi ad unam eandemque normam exigenda dispensatione fideliter non minus ac zelose curare oporteat: evidens est, hoc ipsum uniformitatis studium in pertractatione mixtorum matr. et signanter in eo, quod est ad ritus sacros ea occasione adhiberi solitos, consectandum venire. Utut igitur lubenter mihi persvadeam, Honor. Clerum Curatum meae Dioecesis in hoc quoque puncto ita in genere versari, ut decet fideles Ecclesiae ministros et dispensatores mysteriorum Dei: quum nihilominus inspectis Tabularii Dioecesani Actis plures mox post vulgatas a. 1840. Encyclicas Praesulum Regni in re mixtorum matr. literas, partim ex Congregationibus Districtualibus, partim per singulares Curatos Ordinariatui propositas fuisse quaestiones, in memoratis Encyclicis clare et explicite haud definitas intelligam, nullam vero in earum sequelam generalem inviationem pro cynosura deservituram ad dioecesim dimissam inveniam: talem diutius differendam eo minus iudico, quo ardentius optare debeo, ut praxis quoad illas etiam, quae pro resolutione propositae fuere quaestiones uniformis et sanctissimis Ecclesiae regulis apprime consona sit. Prout autem quaestiones Ordinariatui propositae ad haec potissimum duo revocantur: ‚Qualiter sponsa catholica, quae sciens masculas proles suas in acatholica confessione educandas esse, viro acatholico nubit, in tribunali Poenitentiae tractanda sit?‘ tum: ‚an mulieri catholicae ita, ut praemissum est, viro acatholico nubenti benedictio postnuptialis, ubi haec in usu est, item introductio in Ecclesiam post puerperium administranda sit?‘: ita responsa quoque, quae pro cynosura strictaque observantia edere volo, ad duas has quaestiones restringuntur, suntque et inviationibus ac responsis, quae pie denatus Regni Primas, ipsoque praeeunte alii Regni Praesules ad easdem quaestiones a. 1840 et ss. ad Clerum suarum dioecesium ediderunt, penitus conformia, et orthodoxis principiis consona.

Quantum ad primam quaestionem: dum sponsa catholica mixtas nuptias absque cautelis Ecclesiae auctoritate praescriptis, iisque indispensabiliter necessariis, illa praesertim,

quae est de universa sobole in Religione Catholica educanda, init, et in hoc suo proposito non obstante institutione et adhortatione pastorali firma et pertinax subsistit: illud naturalis divinaeque legis praeceptum, quo non solum peccata, sed ipsa etiam pericula ad peccata proxime inducentia vitare iubetur, quemadmodum etiam aliud eiusdem legis praeceptum, quo parentibus iniungitur liberos educare in disciplina et correptione Domini, ideoque eos manuducere ad verum Dei cultum, qui unice in Catholica Religione invenitur, violat, Ecclesiae auctoritatem, canonicas sanctiones nihili pendens contemnit, taliterque graviter peccat: hinc prono deducitur alveo, huic sponsae ceu evidenter indispositae sacramentalem absolutionem in tribunali Poenitentiae negandam esse. Prudentia tamen pastoralis deposcit, sponsam sic comparatam occasione impertiendae praescriptae institutionis edocendam venire, ut ad praevertendum, quod occasione confessionis palam et publice peragendae e denegata sacramentali absolutione oriri posset, offendiculum in hoc animae suae statu nec ad tribunal Poenitentiae, multo minus ad S. Synaxim accedat. Nihilominus si matrimonio iuncta pastoris in conversione huius deviae oviculae irremisse desudantis opera, iugiter afflante divina gratia, compuncta sincere resipuerit, et, quantum in se est, peccati sequelas tollere, pericula perversionis tum a se, tum a prolibus suis avertere ex animo adlaboraverit, quamvis propter subversantia obstacula ea ex integro tollere non valuerit, absolvenda est. Nam sancta et benigna mater Ecclesia quacunque culpa gravatis, dummodo vere poenitentibus, viscera misericordiae numquam praecludit, nec unquam secundam post naufragium tabulam subtrahit.

Quoad alteram quaestionem: Introductio seu benedictio postnuptialis tam parum coniugi absque cautelis viro acatholico nuptae adhibenda est, quam parum adhiberi potuit benedictio tempore celebrati matrimonii; cum enim huiusmodi benedictionis ritus ex Ecclesiae auctoritate profluat, et huius nomine per ministrum dispensetur: suapte consequitur, quod utroque in casu benedictio indignae et peccato gravi implexae impertita non solum fructu spirituali vacua foret, sed et positivam Ecclesiae approbationem portenderet cum maximo inconsequentiae vitio et haud exiguo indifferentiae religiosae

nutrimento. Relate ad introductionem mulieris post partum duo casus distingvendi sunt: aut enim expetit introductionem puerpera cum prole, quae apud Catholicos baptisata est, et Ecclesiae Catholicae succrescit, eiusque membrum futura est; et haec quidem voti compos reddenda, precesque pro hoc actu praescriptae absolvi possunt; hic etenim ritus ipsam matrimonii approbationem non importat, neque reatum positivae cooperationis a parte ministri Ecclesiae includit, sed ad prolem eiusque matrem, quae ambae Ecclesiae Cath. membra sunt, Deo commendandam refertur; praeterea e re salutis est, ut huiuscemodi catholicis matribus occasiones suppetant, queis ad illa, quae ipsis qua catholicis matribus incumbunt, explenda reflectantur, et consummato introductionis ritu gravi non minus ac concinna oratione ad officiorum implementum commoneantur. Ast alio in casu, quo proles apud acatholicos baptisari debet et ab Ecclesia Cath. abstrahitur, puerperae consvetus introductionis ritus negandus est. Cum enim puerpera catholica ad imitationem BMV. templum Dei ideo adeat, ut illic Deo pro felici partu gratiis actis prolem ceu coelestis benedictionis pignus eidem praesentet et offerat, hunceve in finem ad fores templi consistat, ut per hunc actum humilitatis ab omnibus in matrimonio contractis e fragilitate humana levioribus culpis et reatibus purgata auctoritate Ecclesiae in coetum Sanctorum introducatur; insuper ardentem cereum in manu teneat in significationem ardentis fidei et puritatis cordis; Ecclesia denique pro sic disposita puerpera novum spiritualium auxiliorum affluxum fusis ad Deum precibus exoret, eidemque precetur, ut foecunditate uteri soboles nova succrescat, quae in sinu Ecclesiae censeatur: quis non videt, puerperam in proposito casu actionis huius religiosae et significandae et efficiendae minime idoneam esse? Dum enim prolem adfert, quae ad Ecclesiam Cath. non spectat, hanc in huius gremium religioso ritu introduci et praesentari non posse, res ipsa loquitur. Idem tenendum quoad puerperas ante instaurationem disciplinae absque praestitis cautelis matrimonio per benedictionem ex errore iunctas: depulso enim errore, et auctoritate Praesulum disciplina antiqua restabilita eiusque observantia instantius inculcata, nullo proin amplius excusationis suppetente obtentu,

abnormitas foret, puerperam cum prole alibi baptisata et educationi religiosae extra Ecclesiam dicata solemni et religiosa ratione introducere in domum Dei et precibus Ecclesiae implorare foecunditatem uteri. Interim ne catholicae matres hoc in casu repulsam ferendo confusioni publicae exponantur, indeque ab Ecclesia Catholica magis alienae reddantur: ipsas praevie de hoc disciplinae momento omni cum discretione admonere eoque instruere et disponere oportebit, ut hunc religiosum solemnis introductionis ritum, cuius cum proventu spirituali suscipiendi idoneae haud sunt, non expetant.

Cum denique ii, qui nobis ex adverso stant, omnem moveant lapidem, quo cautionem sive sponsionem quoad catholicam omnium prolium educationem in odium et invidiam trahant, solemneque sit, Reversales praetensive iuri naturae ac positivo repugnantes atro calculo notare, casque quantumvis e plena libertate et spontaneo consensu profectas ceu vi, motu, sinistris persvasionibus, diversis artibus et illicitis machinationibus extortas vocitare, impugnare, earumque effectum omni modo impedire: manifestum fit, nostrarum partium esse, solida institutione naturam, salutarem finem, et necessitatis rationem cautionum lege Ecclesiae praescriptarum, et cum dispositionibus utriusque iuris tum naturalis tum positivi compatibilium fidelibus opportuna occasione enucleare et demonstrare, praeiudicia et infesta dicteria confutare, omni vero meliore modo id agere, ut cautionum sive reversalium huiusmodi et materia et forma sic redigatur, quo Ecclesiae desiderata procuretur certitudo, proles omnino catholice fore educandas. Cautum quidem sit animarum curatoribus de sponsione quoad catholicam omnium prolium educationem cum sponso acatholico velut extra iurisdictionem sacerdotis catholici posito tractare; potius hoc simpliciter, etiamsi non vocatus ultro et benevole semet sisteret, excluso, dum matrimonium insinuatur, nonnisi sponsa catholica edoceatur, quod, nisi cum acatholico sponso suo ita convenerit, ut proles omnes in catholica fide educentur, cum precibus et benedictione copulari non possit, simul autem motivis religiosis eo permoveatur, et adaequata informatione instruatur, ut apud sponsum suum efficere satagat, quo is requisitam illam cautionem, si hanc libere et spontanee edere

non refugit, scripto comprehensam, et pro re nata coram testibus eliciendam ac per hos quoque subsignandam, ad manus suas, nempe sponsae, tradat, ab hac ad parochum, quin hunc intervenire sit necesse, perferendam. Hanc in negotio reversalium circumspectionem et exactitudinem desidero, quod reversales huiusmodi seu cautio de educatione prolium omnium catholica praecipua sit earum conditionum, quibus stantibus benedictionis sacrae ritum mixtae religionis desponsis administrare licet, et S. Sedes Apostolica erga quaestionem: quid significet accurata et strictissime sumta cautio opportuna? ope Rescripti S. Congregationis Officii paucos ante annos resolverit: talem promissionem intelligi, quae in pactum deducta praebeat morale fundamentum de veritate executionis, ita, ut prudenter eiusmodi executio exspectari possit. Unde iam apparet, quam exacte confici debeat scripta ea cautio, quae a sponso acatholico praebetur. Quapropter etiam vigore praesentium dispono: ut dehinc quivis casus mixti matrimonii cum reversalibus sponsi acatholici ineundi mox ac insinuatus apud parochum fuerit, isthuc referatur, ipsaeque reversales in origine exhibeantur. — Vacii, 4 April. 1852.

1041.

Extractus Protocolli Conferentiarum per A. Praesules Strigoniensem, Coloccensem et Zagrabiensem in obiecto Concordati per Regimen Civile cum Sede Apostolica ineundi habitarum, circa positam de matr. mixtis quaestionem. 1853.

— Tristis experientia docet, quod concessio Summi Pontificis Gregorii PP. XVI. circa passivam matrimoniorum assistentiam a. 1841. intuitu Hungariae partiumque eidem antehac adnexarum facta gravibus abusibus, ansam suppeditet, magna sane iam adusque damna in Ecclesiam inducentibus, ac, nisi malo efficax adlata fuerit medela, ampliora etiam inducturis. Inprimis namque multi iam evenerunt casus, in quibus sponsae catholicae in gratiam sponsi noncatholici Reversales de cunctis prolibus in religione cath. educandis dare detrectantis, passivamque parochi catholici assistentiam dedi-

gnantis, per ministrum noncatholicum omni quandoque etiam solemnitate adhibita se curant copulari. Quae res siquidem principiis catholicis prorsus adversa sit, non tantum conscientias idgenus catholicarum personarum in tristem statum coniicere ac indifferentismi pestem propagare debet, sed ipsam quoque earumdem personarum proliumque illarum etiam, quae in sensu legum catholice forent educandae, fidem manifesto exponit discrimini. Porro non tantum illa matr. mixta, in quibus sponsa quidem catholica est, sponsus autem a cath. fide alienus, sed illa etiam, in quibus sponsus est catholicus, et sponsa noncatholica, haud raro coram Ministris Protestantibus ineuntur, quod adhuc maiora in populis catholicis parit scandala, maioraque Ecclesiae praeiudicia, quam quando sponsa est catholica et sponsus a fide cath. alienus. Ingentem hunc esse memoratae Pontificiae concessionis abusum, vel inde facile colligitur, quod concessio assistentiae passivae unice ad casum, quo sponsa catholica sponsum suum noncatholicum ad dandas de cunctis prolibus reversales permovere nullo pacto potest, restricta fuisse intelligatur. Ne videlicet in tali rei situ matrimonium prorsus impossibile evadat, benigne concessit Sedes Apostolica, ut illud per passivam etiam assistentiam valide iniri possit, quamvis idgenus sponsae catholicae factum in hoc quoque casu tamquam illicitum et gravem conscientiae reatum inducens per eandem Apost. Sedem declaretur. Est itaque magna sane impietas, si pars catholica et hanc extremam sibi concessam gratiam contemnat, et malit ad ministrum accedere noncatholicum, quam ad proprium suum pastorem animarum. Tanto autem gravior est eius reatus, quod nulla prorsus ad irreligiosum eiusmodi passum stringatur necessitate, cum validum coram suo parocho iniri possit coniugium. Sed minime omnium potest excusari vir catholicus, si copulationis causa ad ministrum protestanticum aut graeci nonuniti ritus sacerdotem accedat; cum enim si pater sit catholicus, iuxta claros legis tenores omnes proles in religione catholica sint educandae, adeoque in tali casu ipsa solennis in Ecclesia Catholica nuptiarum celebratio locum sortiri possit, plane nulla assignari potest ratio, cur potius ad ministrum noncatholicum accedat, cum manifesto propriae suae religionis contemtu.

Vehementer itaque cupiunt infrascripti, ut huic malo, quoad fieri possit, per Suam Sanctitatem Summum Pontificem in radice consulatur, et catholici Hungariae, partiumque antehac eidem adnexarum hac etiam in parte ad candem cum ceteris Suae Maj. ditionibus categoriam reponantur; quod quidem ipsa uniformitatis ratio ac arctissimus ille nexus, qui ex eiusdem religionis vinculis in omnes dimanat, deposcere videtur, pro communi utriusque reipublicae emolumento. Quodsi tamen id fieri nequiret, humillimis precibus infrascripti exorant Suam Maj. ut copulationem in mixtis matrimoniis, dum talia penes passivam parochi catholici assistentiam iniri possunt, praesuscipiendam ministris confessionum a fide cath. alienarum semel pro semper ac statuta etiam legali sanctione poenaque transgressores mansura inhibere dignetur. Pro hac inhibitione gravissima sane pugnant momenta rationum, quae paucis attingere iuvat. Quippe 1. matr. mixta, ut iam altius est attactum, penes passivam etiam parochi catholici assistentiam valida sunt, nulla proinde sufficiens subversatur ratio, idgenus passivam assistentiam declinandi aut contemnendi. 2. Licet Sedes Pontificia temporum calamitatibus pressa matr. mixta coram ministris noncatholicis celebranda pro concubinatibus haud censenda declaraverit, sed pro validis habenda enunciaverit, talia tamen pro illicitis et peccaminosis habuit semper et habenda pronunciavit; nec proinde indulgeri potest, in Imperio praesertim, cuius longe maior incolarum pars catholicam profitetur fidem, ut huiusmodi praevaricationes nulla praesertim urgente necessitate, dumque nulla libertati matrimoniorum ponuntur impedimenta, licite fieri queant. 3. Nisi huic malo succursum fuerit, infinitos huiusmodi casus locum sortituros prospiciunt infrascripti, ingensque inde in Ecclesiam Catholicam, in religiosum populi sensum, inque eam, quae cum hoc pari passu solet ambulare, morum probitatem detrimentum dimanaturum pro certo tenent; cui pro posse occurrere utique ad civilem quoque pertinet potestatem. — (Ex Tabul. Strigon.)

6. Monumenta ad continuatam historiam matr. mixt. ab a. 1854—1868.

1042.

Primas Regni ad Supremum Forum Cassatorium repraesentat contra sententiam de vinculo matrimonii mixti per fora secularia incompetenter pronunciatam, 1854.

Durch die in beglaubigter Abschrift beigeschlossene Sentenz hat das k. k. Distr. Obergericht von Pesth, dem von dem k. k. Gerichtsstuhle des Pester Komitats gefällten Urtheile beipflichtend, die zwischen Joseph Gál und Maria Mayerffy bestehende Ehe für gesetzlich aufgehoben erklärt, und beiden Theilen die Ermächtigung, eine neue Ehe zu schliessen, zuerkannt. Es ist zwar, wie aus derselben Sentenz ersichtlich, durch den Ehevertheidiger die Verwahrung gegen den Gerichtshof als incompetent eingelegt worden: doch glaubten beide Gerichte hierüber hinweggehen zu können, und zwar desshalb, weil dieser Process bereits am 13. April 1853. anhängig gemacht wurde, und nach dem Wortlaute des Art. 12. §. 1. des allerh. k. k. Patentes, wodurch das allg. österr. bürg. Gesetzbuch auch für Ungarn vorgeschrieben wird, die am 1. Mai 1853. bereits im Zuge begriffenen Streitsachen nach den früher bestandenen Gesetzen zu entscheiden seien, dieselben Gesetze aber, namentlich Art. 3: 1844. und die durch das Dekret von 1790. sanktionirten auf die Ehen von Protestanten bezüglichen k. k. Verordnungen die Eheprocesse derselben dem weltlichen Forum zuweisen. Indem jedoch a) Maria Mayerffy zur Zeit der mit Joseph Gál geschlossenen Ehe zur kathol. Kirche gehörte, und, wie aus dem beigelegten Matrikel-Auszuge erhellt, in der kath. Kirche kopulirt wurde; ferner b) der für die Competenz der Civilgerichte angeführte Art. 3: 1844. nichts anderes besagt, als dass die vor einem protest. Prediger geschlossenen Mischehen giltig seien, und über die Zuständigkeit der hierauf bezüglichen Gerichtsbarkeit keine neuen Bestimmungen enthält, somit die früher bestandenen Gesetze bekräftigt; endlich c) die von dem Gerichtshofe zu Gunsten seiner Competenz angeführten allerh.

Verordnungen blos reinprotestantische und keineswegs gemischte Ehen betreffen, hinsichtlich der letzteren aber im Dekrete 1790. Art. 26. §. 16. gesagt wird: ‚Causae matrimoniorum tam eorum, quae iam tempore, quo illa inita sunt, mixta erant, quam et eorum, quae per transitum alterutrius partis a sacris evangelicis ad sacra catholica mixta effecta sunt, cum utrobique de veri nominis sacramento agatur, Sedibus Catholicorum Spiritualibus deferuntur,‘ somit alle zur Zeit der Schliessung gemischt gewesene Ehen als wahre Sacramente den katholischen geistlichen Gorichtsstühlen zugewiesen werden: finde ich mich veranlasst, mit Rücksicht auf die Heiligkeit der Ehe als Sacrament und den klaren Wortlaut der Gesetze, Einen hoh. k. k. Obersten Gerichts- und Kassationshof zu ersuchen, dass die ofterwähnte Sentenz beider Gerichte, als von incompetenter Instanz gefällt, aufgehoben, und beide processführenden Theile angewiesen werden, ihre Streitsache bei dem gebührenden kathol. geistlichen Gerichtsstuhle anhängig zu machen. Auch glaube ich erwähnen zu müssen, und bitte es den betreffenden Theilen zu eröffnen, dass so lange die Nichtigkeit der in Frage stehenden Ehe nicht von einem geistlichen Gerichte ausgesprochen und ungiltig erklärt wird, ich eine von den ungesetzlich geschiedenen Ehegatten neu zu schliessende Ehe als Concubinat und strafbare Bigamie betrachten, und dagegen pflichtgemäss einschreiten werde. Gran, am 12. März 1854. Johann, Cardinal.

1043.

Supremum Forum Cassatorium dictam sententiam annullat, et hoc ipsum Praeses Fori supremi Primati significat.

Auf die Eingabe Ew. Eminenz vom 12. März d. J. gebe ich mir die Ehre hiemit zu eröffnen, dass der oberste Gerichts und Kassationshof das Verfahren des Pesther k. k. Landes und Districtual-Obergerichtes in der Ehesache des Joseph Gál wider seine Gattin Maria Mayerffy auf Grund des Art 3. und 12. §. 1. des kais. Patentes vom 29. Nov. 1852. über Einführung des allg. bürg. Gesetzbuches wegen Incompetenz der

weltlichen Gerichte aufzuheben, und den Kläger an die zuständigen geistlichen Gerichte zu verweisen befunden habe. Wien, am 16. Mai 1854. Taafe. — (Ex Tabul. Strigon.)

1044.

Instructio Cleri Sabariensis, de matr. mixtis, 1855.

Parte II. cap. 14. art. 2. de matr. mixtis. Matrimonia mixta Ecclesia Catholica damnavit semper et detestata fuit. Hinc Curati omni, quo licet opportuno institutionis praesidio fideles suos contra illa praemuniant. Cum tamen evenire possit, ut quis fidelium in talis matrimonii vota transire paret, atque non obstantibus Curati dehortationibus in proposito suo perseveret: ideo quid pastores animarum in hoc negotio agere, ac quomodo procedere oporteat, paucis indicabimus. Primo quidem statuimus: ut singuli matr. mixtorum contrahendorum casus per concernentes Curatos Consistorio nostro praevie referantur. Dein vero, quia matrimonia haec subinde cum Reversalibus contrahuntur, quantum ad has, sequentia monemus: a) Reversales tunc solum exiguntur, si sponsus est acatholicus, quia hoc in casu iuxta legem 1791. art. 26. §. 15. proles masculae in religione patris acatholici educari possent. b) Curatus caveat cum sponso acatholico intuitu Reversalium immediate tractare, sed c) sponsam catholicam, de natura, salutari fine et necessitate Reversalium, quum sine his in hoc, uti assumitur, casu, cum precibus et benedictione copulari non possint, edoctam permoveat, ut apud sponsum suum impetrare satagat Reversales libere et spontanee edendas super catholice educandis masculis quoque prolibus. d) Reversales in charta stigmatisata 15 xf. in tribus exemplaribus concipi, per sponsum acatholicum subscribi, per duos testes, quorum fides nulli suspicioni subiaceat, scribendi peritos subsignari, item per C. R. Indicem processualem authenticari oportet. Quibus praemissis iam nunc seorsim de singulis matr. mixtorum casibus. (Casus hi, quotquot sunt, iuxta Breve Apostolicae Sedis ad Praesules Hungariae a. 1841. editum, resolvuntur, Brevique huic conformis datur instructio. Tum sic

continuat eadem Instructio:) Posset quis quaerere: an in tribunali Poenitentiae sacramentaliter absolvi possit sponsa catholica, quae sciens proles suas in acatholica religione educandas esse, viro acatholico nubit? In Instructione Card. Lambruschini ad Primatem, AEppos et Eppos in Hungariae Regno edita Romae die 30 April. 1841. haec habentur: ‚Ceterum quocunque demum modo mixta haec matrimonia citra Ecclesiae dispensationem et necessarias cautiones, sive per passivam catholici parochi praesentiam, sive coram acatholico ministro contracta fuerint: illud Eppis et Parochis Sanctitas Sua magnopere commendat, ut omni pastorali sollicitudine catholicum coniugem ad patratae culpae detestationem, congruamque poenitentiam opportune conentur excitare, eumque solerter adducant ad obligationes implendas, quibus gravissime tenetur, illam praesertim, quae est de catholica universae prolis educatione impense curanda. Quae si ex voto contingant, adeoque constet, eum revera resipuisse, paratumque esse ad opportunam, quoad valuerit, reparationem scandali, tunc sane poterit ipse sacramentorum Ecclesiae particeps fieri.‘ Cum igitur sub expressione ‚citra Ecclesiae dispensationem et necessarias cautiones‘ Reversales intelligi debeant: mulier catholica, quae absque impetratis a sponso acatholico Reversalibus sive sub assistentia parochi cath. passiva, sive coram acatholico ministro matr. mixtum initura culpam patrare intendit, nec sacramentaliter absolvi, nec ad sacram communionem admitti poterit. Si tamen post aliquod ab inito matrimonio tempus per parochum catholicum officiorum suorum, inprimis procurandae catholicae utriusque sexus prolium educationis admonita in se redeat, et sincera admissae culpae poenitentia tangatur, et malum a se causatum pro viribus reparare studeat, licet omnia impedimenta superare nequeat, absolvenda est. — Instructio Cleri Dioecesis Sabariensis. Edit. auctior. Sabariae. 1855.

1045.

Praesules Hungariae ex Conferentiis suis Viennensibus negotium matr. mixtorum Summo Pontifici repraesentant. 1856.

Episcopi Hungariae partiumque antehac adnexarum sub dato 10-ae Iunii 1840 Sacrae Sedi Apostolicae, preces suas eatenus substraverunt: ut ad avertendas ab ipsis Eppis Clero item Curato gravissimas impetitiones, ad coniuges catholicos praesentissimo a fide ipsa deficiendi discrimini eripiendos, denique ad vigentem etiam legem patriam, quae mixta Matrimonia semper coram parocho catholico iniri praecipiebat, inoffense servandam et sustentandam, sequentia, constanti Dioecesium Hungariae usu recepta, ratihabere, et respective admittere, dignetur; quippe a) Ut ea Matrimonia mixta, quorum Sponsus est catholicus, adeoque omnium utriusque sexus prolium catholica educatio lege Regni asserta habetur, adhibita benedictione porro quoque concilientur; imo b) illa etiam Matrimonia mixta, in quibus Sponsus est quidem acatholicus, ast catholicam omnium utriusque sexus prolium educationem scripto promittit, spondetque se nec libero sponsae catholicae Religionis exercitio ulla impedimenta positurum, solito ritu ac benedictione cohonestentur; ast c) mixta Matrimonia illa, ubi sponsus est acatholicus, et de catholica prolium utriusque sexus educatione cavere non vult, imposterum quoque coram parocho Catholico, absque consveto tamen Ecclesiae ritu, sola passiva eiusdem assistentia concilientur. Ad supplices suas Sacrae Sedi Apostolicae exhibendas, precesque iis complexas oretenus etiam proponendas iidem Episcopi Venerabilem Fratrem suum Iosephum Episcopum tunc temporis Csanadiensem Romam expediverunt; in cuius legationis sequelam beatae memoriae Gregorius XVI. Pontifex Maximus, datis ad Primatem et AEppos Hungariae Litteris Apostolicis ddo 30-ae Aprilis 1841. signatis, tam vigentem in casibus praeexpositis Matrimonia mixta cum benedictione conciliandi praxim ratihabuit, quam propositioni illi puncto tertio expressae, ut ubi Sponsus acatholicus de catholica prolium omnium educatione cavere nollet, Matrimonium huiusmodi, excluso quidem quovis ecclesiastico ritu, coram catholico parocho tamen potius, quam coram Ministro haeretico celebre-

tur, ipsis his verbis assensum praebuit. Ast sub eodem cum Litteris his Apostolicis dato 30-ae Aprilis 1841. emanavit etiam Instructio Cardinalis Lambruschini ad Primatem, Archi-Episcopos et Episcopos in Hungariae Regno directa, qua iisdem Pontificio nomine significabatur: quod, siquidem Litteris Apostolicis expressa providentiae forma regionum necessitati haud satis mederetur, nec Episcoporum Clerique anxietatum causae anferrentur, habita praesertim ratione nuptiarum, quas ob denegatam etiam ex defectu cautionum catholici parochi benedictionem coram acatholico Ministro iniri contingat, — pati ipsi ulterius possint, 'ut si pars catholica a tanti scandali turpitudine nullis monitis ac hortamentis absterreri posset, talia Connubia coram acatholico Ministro, seu non servata Concilii Tridentini forma celebrentur; hac ratione vero inita Matrimonia ab iisdem Episcopis parochisve eorum prudenter dissimulanda, et quamvis illicita, pro validis habenda sint, nisi canonicum aliunde officiat dirimens impedimentum. Humillime infrascripti Hungariae partiumque antehac adnexarum Episcopi minime addubitant, quod quemadmodum implorandae ita etiam elargiendae indulgentiae huic, dispensationique a lege tridentina unice studium saluti fidelium consulendi, et maiores ab Ecclesia Cleroque hungarico perplexitates calamitatesque amoliendi argumento fuerit; nec diffitentur spes aliquorum eas fuisse, quod parentes catholici filias suas ad talia Matrimonia mixta admissuri haud sint, quae absque solita Ecclesiae benedictione cum sola tantum passiva parochi catholici assistentia concilianda permittantur; eo vero minus in id consensuri, ut proles suae per Ministrum acatholicum matrimonialiter copulentur; et hoc ipso etiam casus mixtorum Matrimoniorum ineundorum rariores futuri sint. Interim spebus, expectationique non respondit eventus! Tristi trium lustrorum experientia teste numerus mixtorum Matrimoniorum in sequelam indulgentiae huius non tantum imminitus non fuit, sed e contra auctus est. Imo in Civitatibus praesertim, in quibus indifferentismi spiritus passim facilius diffunditur, plane eo res devenit, ut facultatis huius Matrimonium coram acatholico Ministro conciliandi enunciationem perperam interpretati plures etiam

Sponsi catholici, qui absque ulla difficultate benedictionis participes redditi fuissent, hac vilipensa, ad captandam sponsae suae gratiam per Ministrum acatholicum aut parochum schismaticum copulari praeelegerint praeeligantque, vicissim vero sponsae catholicae, quamvis sponsus acatholicus vel schismaticus catholicam prolium utriusque sexus educationem assecuraverit, in gratiam huius ad Ministrum acatholicum aut parochum schismaticum pro copulatione discesserint discedantque. Quocirca malo indifferentismi religiosi hac ratione in dies increscenti, et in perniciem non singulorum tantum fidelium, sed totius etiam rei catholicae in oris his vergenti pro munere suo occurrere cupientes, demisse subscripti Episcopi Sanctitati Vestrae de genu supplices fieri coguntur: ut ad praepedienda maiora Ecclesiae Catholicae in Hungaria partibusque antea adnexis imminentia mala oraculo Apostolico declarare dignetur, quod indulgentia illa, ad casum nonnisi eum extensa censeri debeat, quando sponsus est acatholicus aut schismaticus et is nec Reversales de prolibus utriusque sexus catholice educandis, sponsae catholicae dare, nec passiva parochi catholici assistentia contentare vult, sed per Ministrum Confessionis suae copulari desiderat. Hoc eo fidentius audent iidem Episcopi exorare, quia ipsam indulgentiam praedesignata Instructione expressam eo sensu concessam fuisse e tenoribus eiusdem sumserunt et sumunt, et matrimonia alia coram Ministro acatholico aut parocho schismatico inita pro invalidis in conscientia habent; imo iam tam dcnati Primatis, quam reliquorum Episcoporum Hungariae litteris pastoralibus Matrimonium coram Ministro acatholico initum unice tantum in praexposito casu pro valido habendum esse declaratum fuerit. Non possunt tamen iidem Episcopi hac vice coram Sanctitate Vestra et id reticere, quod ad radicitus medendum malo consultius adhuc censent, si ea legis tridentinae dispositio, vi cuius Matrimonia solum coram parocho proprio legitime et valide iniri possunt, etiam pro Regno hoc Mariano, tamquam debita Fidei catholicae adhaesione, et promtissimo erga Canonicas Sanctiones, Summorumque Pontificum decreta obsequio nulli secundo, vigori pristino reddita, et hoc ipso concessa pro aliis temporum adiunctis in eadem dispen-

satio revocata clementer declararetur, eo a fortiori, quod dispensatio haec, quamvis pro Transylvania quoque concessa, ibidem nec adusque in usum effectumque deducta existat, in ulla alia Monarchiae Austriacae provincia — praeter Hungariam — vigeat; in quorum nonnullis id tantum usitari et tolerari solet, ut in casu conciliati cum assistentia passiva Matrimonii, si id sponsus acatholicus desideret, coniuges tales postliminio Ministrum quoque acatholicum accedant. Ceterum meriti huius decisionem Apostolicae Sanctitatis Vestrae auctoritati plena cum fiducia subiicientes, Apostolicamque pro se, Clero item et populo curae suae concredito Benedictionem de genu efflagitantes etc. Viennae, die 31 Maii 1856. Ex Tabul. Strigon. 2762/1856.

1046.

Eppi Csanadiensis instructio de sponsa catholica, quae citra cautiones praescriptas mixtum init matrimonium, in S. Tribunali qualiter tractanda, 1856.

Perlata ad nos ex occurrente casu fine recipiendae congruae inviationis quaestione, de eo: num sponsa catholica, in procinctu constituta cum viro noncatholico absque data reversalibus scriptis vel alio modo de prolium catholica educatione requisita cautione matrimonium penes passivam parochi cath. assistentiam ineundi, ad Confessionis sacramentalis tribunal admittenda sit, auve permanente talismodi proposito sacramentaliter absolvi valeat, si quoad reliqua rite disposita dignoscatur?, generalem hanc duximus edendam instructionem normae instar in huiusmodi casibus observandam. Generalem inquam: monitum enim volumus, instructionem talem, quae in unoquoque casu occursuro ad literam applicari valeat, edi vel ex eo haud quire, quod circa ineunda talismodi matrimonia ea aliquando possint concurrere peculiaria adiuncta, quae peculiarem deposcant pastoris animarum cautam agendi rationem prudentia potissimum pastorali dignoscendam. Quare praesens instructio non instar praeceptivae ad singulos quosque casus, sed instar normativae in genere habenda et emergente dubio agendi sententia Ordinariatus erit

requirenda. Ne vero in re tam gravi aliquid ex arbitrio statnisse videamur, apponimns tenores Instrnctionis Cardinalis Lambrnschini ad Primatem, AEppos et Eppos in regno Hnngariae editae Romae 30 April. 1841, quae ita legitur: ‚Ceterum quocunque demum modo mixta haec matrimonia citra Ecclesiae dispensationem et necessarias cautiones sive per passivam catholici parochi praesentiam sive eoram acatholico ministro contracta fuerint, illud Eppis et Parochis Sanctitas Sna magnopere commendat, nt omni pastorali sollicitndine catholicnm coniugem ad patratae culpae detestationem congruamque poenitentiam opportune excitare conentur, eumque solerter addncant ad obligationes implendas, qnibus gravissime tenetnr, illam praesertim, qnae est de catholica nniversae prolis educatione impense curanda. Quae si ex voto contingat, adeoqne constet eum revera resipnisse, paratnmque esse ad opportunam, quoad valuerit, reparationem scandali, tunc sane poterit ipse sacramentorum Ecclesiae particeps fieri.‘ Ex his verbis patet: 1. Coningem catholicum, qui non praestita necessaria cautione cum acatholico matrimoninm inivit, tum solum sacramentorum Ecclesiae — Poenitentiae et SS. Encharistiae — posse fieri participem, cum praeexpositis conditionibns satisfecerit; his vero non impletis, sed ipso coninge patrata in cnlpa permanente eundem non posse ad dictorum sacramentorum participationem admitti. Hoc itaqne generalis regula esto pro iis coningibus catholicis tractandis, qui praeexposito modo matr. mixtum contraxerunt. 2. Etsi porro Instructio haec loqnatnr non de sponsa sed de coninge, non de patranda, sed iam patrata culpa, non de ineundo sed iam inito matrimonio: cum tamen celebratio matrimonii sit actus, qui scienter, libere et congrua temporis interposita mora, adeoque animo plene deliberato ponitur, firmum huiusmodi actus ponendi propositum iam ante consummationem maxime in procinctu consummationis, dum nempe Sacramenta peti solent, actus ipsius talem indncit in animam culpae reatnm et respective indispositionem, qnae ab usu Sacramentorum salutari prohibet. Unde sequitur, neque sponsam catholicam ante celebrationem matrimonii dentralis posse admitti ad sacramenta Ecclesiae, quae sine necessaria

cautione animum ad mixtum matr. ineundum adiecit, dummodo de firmo eiusdem proposito talismodi matrimonium non attenta necessaria cautione ineundi constet, id quod parochi est dignoscere et diiudicare. 3. Quodsi vero certa tutaque adsint indicia fore, ut remoto, quod sub ipsa celebratione matrimonii adhuc subversatur, impedimento necessariis cautionibus circa catholicam universae prolis educationem satisfiat, sponsa catholica a Sacramentis non est absolute repellenda, sed potest ad illa admitti; an tamen et quando reipsa admittenda sit, caute omnino circumspiciendum, et ne error subrepat, casus eiusmodi expositis diligenter omnibus ad rem facientibus adiunctis ad Ordinariatum pro recipienda congrua instructione referendus est. Illud vero suapte intelligitur, sponsam neutralem de negandis sibi Sacramentis, nisi saepefatas cautiones praestiterit, esse praemonendam, prout etiam de eo, quod pari sorte usura sit, etiam in matrimonio constituta, ac nonnisi tunc, dum praeexpositis in memorata Instructione conditionibus satisfecerit, ad Sacramenta esse admittendam, eique benedictionem post partum, quam passim introductionem vocant, esse impertiendam. Porro ad sigillum sacramentale custodiendum sequentem cum tali persona catholica, quae in procinctu est non praestitis necessariis cautionibus matrimonium cum acatholico ineundi, dum se ad confessionem peccatorum faciendam insinuaverit, agendi rationem observabit pastor animarum: Ad tribunal confessionis admitti petenti eum in casum, ubi nullam ex adiunctis et e cognita personae indole spem fundatam conciperet, illam a proposito mixtum penes passivam assistentiam ineundi matrimonium dimovendi, declaret, quod ipsa velut notorie nondisposita et absolutionis incapax ad peragendam S. Confessionem admitti non possit. Quodsi tamen zelosus animarum pastor non vanam spem concipere posset, fore, ut in S. Poenitentiae tribunali sibi succedat animum Sacramenta Ecclesiae petentis ad saniora consilia reducendi, et vel a proposito penitus avertendi, vel ad producendas cautiones necessarias disponendi: hoc in casu sponsa catholica, de eo tamen, antequam ad ipsam Confessionem admittatur, praemonita, quod ipsa supponatur esse indisposita adeoque absolutionis incapax,

si institerit petito, ad Sacrum Poenitentiae tribunal admittenda, et pro eventu rei absolvenda est vel non absolvenda, prout nempe postulatis Ecclesiae efficaciter satisfacere parata fuerit vel minus. Possibilis etenim est, quamvis non passim obvia, talis animi repentina conversio, dum in confessionali efficaciter operante gratia divina Dei minister gladio verbi divini pertingit ad divisionem animae et medullarum. Si tamen monitis, precibus, aliisve genuinum animarum zelum decentibus conversionis mediis obstinacem a praeconcepto proposito dimovere non succederet, atque sacramentali absolutione tali personae simpliciter denegata, eaque de non petenda SS. Communione a Confessario praemonita, ipsa sanctissimam Communionem nihilominus publice, vel etiam tantum per aedituum, a sacerdote petierit, hic nullam contrahet culpam, si impium petentem alioquin de sacrilega hac temeritate in sacro tribunali praemonitum sacrilegae huiuscemodi communionis reddiderit participem, ratio enim custodiendi sigilli sacramentalis praevalet. Temesvarini die 28. Febr. 1856. — (Ordines Circulares ad Clerum D. Csanad. Temesvarini. 1856. p. 61.)

1047—1053.

Rescripta C. R. Ministerii-Cultus de mixtis matrimoniis in Hungaria. 1857—1860.

1. Ad Locumtenentiam Budensem de testimonio Parochi Cath. super institutis promulgationibus. 1857. Nach Inhalt des Berichtes vom 12 Mai 1856 Z. 12448 hat der Pfarrer — Anstand genommen, den Ehewerbern — helv. Conf. und — kath. Religion, das von ihnen über den Vollzug der Eheaufgebote geforderte pfarramtliche Zeugniss auszufolgen, weil dieselben die Absicht hatten, die Ehe vor dem akatholischen Seelsorger des Bräutigams, ohngeachtet des Reverses, einzugehen, welcher von diesem über die Erziehung aller Kinder in dem kath. Glauben ausgestellt wurde. Diese Angelegenheit soll nach einer anher gemachten Mittheilung bereits dadurch erledigt worden sein,

dass die kath. Braut zur helv. Conf. übergetreten ist und sich hiedurch jedem Einflusse des kath. Pfarrers entzogen hat. Die Ursache dieses bedauerlichen Falles liegt darin, dass von dem gedachten Pfarrer die Bestimmung der von dem Apost. Stuhle am 30 April 1841 hinsichtlich der gemischten Ehen erlassenen Anweisung nicht befolgt wurde. Nach dieser hat der kath. Pfarrer nicht nur das Aufgebot der gemischten Ehen stets vorzunehmen, sondern er ist auch verpflichtet, darüber das Zeugniss auch dann auszustellen, wenn die betreffenden Ehewerber die Ehe nicht vor ihm oder einem andern kath. Priester, sondern vor dem akath. Seelsorger einzugehen gesonnen sind. In dem hier vorliegenden Erlasse des Primas und Erzbischofs Joseph von Kopácsy vom 18 Nov. 1841 wurden die Pfarrer der Graner Erzdiöcese unter Mittheilung der in Rede stehenden päpstlichen Instruction angewiesen, in allen Fällen, wo die Brautleute mit der passiven Assistenz des kath. Seelsorgers sich nicht begnügen und die Ehe vor dem akath. Seelsorger eingehen wollten, wegen Verhaltungsregeln sich stets an das Ordinariat zu wenden. Wenn dieser Erlass noch in Kraft steht, so war der Pfarrer verbunden, bezüglich der Forderung der fraglichen Ehewerber von dem fürsterzbischöflichen Ordinariate in Gran sich die Weisung zu erbitten; das Ordinariat konnte und durfte die Ausstellung des Zeugnisses nicht hindern, vielmehr wäre es seine Pflicht gewesen, den Pfarrer hiezu zu verhalten. Aber auch für den Fall, als der erwähnte Erlass aufgehoben oder abgeändert würde, dürfte die Ausstellung des verlangten Zeugnisses durchaus nicht verweigert werden, denn die oben berührte Bestimmung der päpstlichen Instruction ist diesfalls als massgebend anzusehen, sowohl für die Pfarrer, als auch für die bischöflichen Ordinariate. In künftigen ähnlichen Fällen ist sich hienach zu halten, und die k. k. Statthalterei wird überdies aufgefordert, dem Graner fürsterzb. Ordinariate das unstatthafte und gesetzwidrige Vorgehen des Pfarrers vorzuhalten, und demselben zu bedeuten, dass künftighin ein solches Vorgehen durchaus nicht geduldet werden könne. Wien, 21 Jänner 1857.

2. Ad Eppum Csanádiensem de assistentia parochi, vel ministri acatholici in matr. mixt. 1857. Die k. k. serbisch-banater Statthalterei hat die erste diesjährige gedruckte Currende Ew. Hochw. an die Pfarrgeistlichkeit anher vorgelegt. Die in derselben enthaltene Weisung, die praktische Anwendung des Ehegesetzes betreffend, aus welcher ich mit Befriedigung ersehe, wie sehr Ew. es sich angelegen sein lassen, die Durchführung dieses wichtigen Gesetzes zu fördern, veranlasst mich gleichwohl zu den nachstehenden Bemerkungen: — Nach Punkt 31 soll nicht erlaubt sein, die gemischte Ehe auf eine andere Weise als unter activer Mitwirkung des kath. Seelsorgers dann einzugehen, wenn ein Revers über die Erziehung sämmtlicher Kinder in der kath. Religion ertheilt wurde.*) Es ist allerdings nicht in Abrede zu stellen, dass in dem gegebenen Falle die gemischte Ehe den Charakter einer rein katholischen annimmt, und von dem kath. Seelsorger eingesegnet werden kann, dass daher auch kein hinlänglicher Grund obwalte, die Ehe nicht in der kath. Kirche einzugehen. Nachdem jedoch in Folge der Anweisung vom 30 Apr. 1841 eine jede gemischte Ehe ohne Rücksicht auf den Revers auch vor dem Seelsorger des nichtkath. Theiles geschlossen werden kann, so wird die Staatsgewalt vorkommenden Falles mit Rücksicht auf den §. 19 des bürgerlichen Ehegesetzes nicht umhin können, das den Brautleuten gemischter Religion durch die erwähnte Anweisung eingeräumte Recht zu schützen, wornach dieselben ermächtigt sind, die Ehe auch mit Vermeidung jeder Mitwirkung des kath. Seelsorgers lediglich vor

---

*) In Circularibus Eppi Csanádiensis dd. 30 Januar. 1857 memorato puncto haec habentur: ‚31. Circa matr. mixta coram quo ineunda nihil innovatum est per leges novellares. Si sponsa catholica consentiat in copulationem coram ministro noncatholico, nihil reliquum est quod agatur, quam ut dehortationes energicae adhibeantur. Sponsus acatholicus, si non dedit Reversales, cogi non potest ad acceptandam assistentiam passivam, nisi forte eatenus subin nova dispositio emanaverit. Si vero datae sunt Reversales, utique assistentia activa locum habet, quam declinare non licet.'

dem Seelsorger des akath. Theiles giltig einzugehen. Wien, 5 März 1857.

3. Ad Eppum Scepusiensem de non neganda mixtorum matr. promulgatione et copulatione. 1858. Der Vicepräsident der Statthalterei-Abtheilung von Kaschau hat mir die Anstände zur Kenntniss gebracht, in Ansehung derer von dem — Pfarrer mit Gutheissung Ew. die Verkündigung der von dem — und von dem — beabsichtigten gemischten Ehe verschoben worden ist. Ich würdige im vollen Maasse die aus der Berücksichtigung des Wohles der Kinder, welche N. N. aus seiner früheren Ehe hat, und die aus beiden erwähnten ehelichen Verbindungen angehofft werden können, hergeholten Bedenken, welche diese Verbindungen nicht wünschenswerth erscheinen lassen. Dessen ungeachtet aber hege ich die Überzeugung, dass den erwähnten Eheschliessungen nur durch moralische Einwirkung auf die genannten Männer entgegengetreten werden könne, die Verweigerung oder Verschiebung des Aufgebotes aber Angesichts des kirchlichen und bürgerlichen Gesetzes sich nicht rechtfertigen lasse. Im Sinne dieses Gesetzes sind Brautleute, deren ehelicher Verbindung ein gesetzliches Hinderniss nicht im Wege steht, berechtiget zu verlangen, dass ihre beabsichtigte Ehe verkündiget werde; dass aus einer solchen Ehe traurige Folgen für die Ehewerber und ihre Kinder mit grösserer oder minderer Wahrscheinlichkeit vorhergesehen werden, kann an jener Berechtigung nichts ändern. Selbst was die Trauung anbelangt, so gestattet §. 70 der Anweisung für die geistlichen Gerichte nur, dass zu derselben jene Ehewerber nicht zugelassen werden, deren Verbindung ein Hinderniss im Wege steht, und die nicht Alles geleistet haben, was zur Fernhaltung von ungültigen oder unerlaubten Ehen gesetzlich vorgeschrieben ist. Zwar erklärt §. 67 derselben Anweisung, dass, wenn die Besorgniss obwaltet, dass die Verehelichung der Ehewerber zu grossen Zwistigkeiten und Ärgernissen oder anderem Unheile Anlass geben werde, dem Bischofe das Recht zustehe und beziehungsweise die Pflicht obliege, die Eingehung der Ehe zu verbieten, in welchem

Falle, so lange er das Verbot nicht aufgehoben hat, die Eingehung der Ehe unerlaubt bleibt. Da aber diese Bestimmung offenbar nicht dahin zielen konnte, die Eingehung jeder Ehe von der Willkür des Bischofes abhängig zu machen, so kann damit nur gemeint sein, dass das zeitweilige bischöfliche Verbot der Eheschliessung dann zulässig sei, wenn die befürchteten Zwistigkeiten und Ärgernisse oder das bevorstehende Unheil daraus hervorgehen, dass einer oder der andere Ehewerber durch Eingehung der Ehe sich über eine der kirchlichen Ehegesetzgebung fremde Vorschrift hinwegsetzen würde. Der Fall würde eintreten, wenn Minderjährige oder Militärpersonen, die der durch das bürgerliche Ehegesetz vorgezeichneten Zustimmung entbehren, die Ehe schliessen wollten. Unter solchen Umständen soll durch die Anweisung für die geistl. Gerichte den Bischöfen durch die Berechtigung zum Erlasse eines zeitweiligen kirchlichen Verbotes der Eingehung der Ehe ein Mittel an die Hand gegeben werden, die nach dem bürg. Gesetze strafbare Verbindung, deren Zugeständniss zu grossen Übelständen führen würde, auch kirchlicher Seits zu hindern. In den Eingangs angedeuteten Fällen steht mit Rückblick auf das päpstliche Breve und auf die Instruction vom 30 April 1841 der Verbindung der Ehewerber kein gesetzliches Hinderniss im Wege; sie können demnach auf die von dem §. 67 der Anweisung f. d. g. G. nicht berührte Verkündigung ihrer Ehe Anspruch machen. Auch die Trauung dieser Ehewerber mit den akath. Frauenspersonen darf, wenn hiebei die Gränzen des bezogenen Breve's und der damit in Verbindung stehenden Instruction eingehalten werden, nicht gehindert und verboten werden, weil die Bedingungen der Anwendung des §. 67 der Anweisung f. d. g. G. nicht nachgewiesen erscheinen. Bei dieser Sachlage glaube ich erwarten zu können, dass Ew. den Pfarrer zur anstandslosen Vornahme der Verkündigung der in Rede stehenden Ehen anweisen und bezüglich der Trauung diesem Pfarrer die Beobachtung der Instruction vom 30 April 1841 vorzeichnen werden, wenn es ihm nicht gelingt, die mehrgenannten Katholiken zur freiwilligen Verzichtleistung auf ihr Ehevorhaben zu vermögen. Wien, 22 Jänner 1858.

4. Ad Eppum Szathmariensem de conciliatione matr. mixti coram ministro acatholico. 1859. Ans den über die Eheschliessung des — helv. Conf. mit der katholischen — abgeheischten Auskünften hat man entnommen, dass hiebei insoferne ungesetzlich vorgegangen wurde, als die k. k. Comitatsbehörde von Szathmár die Nachsicht von der zweiten nnd dritten Verkündigung ertheilt hat, ohne auf den Nachweis der erlangten kirchlichen Aufgebotsdispens zu dringen, dass ferner die Einwilligung in die Ehe nicht vor dem ordentlichen Seelsorger des nichtkath. Ehewerbers erklärt wnrde, der es überdies unterlassen hat, von den Verlobten das schriftliche Zeugniss der ordnungsmässig vollzogenen Verkündignng in Anspruch zu nehmen. Indem wegen diesen vorgefallenen Übertretungen der bestehenden gesetzlichen Vorschriften unter Einem das Entsprechende im geeigneten Wege veranlasst wird, kann man nicht umhin, Ew. daranf aufmerksam zu machen, dass nach Massgabe des §. 19 des bürg. Ehegesetzes vom J. 1856 in Ungarn mit Rückblick anf die Anweisnng des heil. Stnhles vom 30 April 1841 eine Einwilligung, welche von Ehewerbern gemischten Religionsbekenntnisses vor dem ordentlichen Seelsorger des nichtkath. Theiles oder vor einem von diesem auctorisirten Stellvertreter und in Abwesenheit des kath. Pfarrers gegeben wird, als gesetzmässig zu gelten hat, gleichwie eine in dieser Weise geschlossene Ehe nach den Andeutungen der erwähnten Anweisnng als eine kirchlich giltige Verbindnng anzusehen ist. Eine Entlassnng des kath. Ehewerbers an den ordentlichen Seelsorger des nichtkath. Theiles ist nicht erforderlich, auch dürfte dieselbe vom Standpuncte des Kirchengesetzes unstatthaft erscheinen. Indem man hiemit die Eingabe Ew. vom 17 April 1659 Z. 479 erlediget, wird unter Einem der Grosswardeiner k. k. Statthaltereiabtheilung bedeutet, dass in Hinkunft die Bestimmungen des §. 35. des erwähnten bürg. Ehegesetzes in Anwendung zu kommen haben, wenn ein nichtkath. Seelsorger zur Eheschliessung eines Brautpaares gemischten Religionsbekenntnisses mitwirken sollte, ohne dass vorher die Verlobten die im §. 21 des in Rede stehenden

Ehegesetzes bezeichneten Nachweise geliefert haben. Wien, 19 Nov. 1859.

5. Ad Eppum Szathmariensem de illegalibus actibus ministrorum acatholicorum circa mixta matr. 1860. Ich habe nicht unterlassen, den von Ew. in der Eingabe vom 22 Dec. 1859. Z. 2196. angedeuteten gesetzwidrigen Vorgängen einzelner evang. Seelsorger bezüglich der Trauung von Brautleuten gemischten Religionsbekenntnisses, auf den Grund zu sehen, und bin nunmehr in der Lage, Ew. über diese Angelegenheit im Allgemeinen und hinsichtlich der einzelnen zur Sprache gebrachten Fälle Nachstehendes eröffnen zu können: Der Erlass der Statthalterei für Ungarn vom 19 Febr. 1852 erklärt allerdings, dass im Geiste des Gesetzartikels 3: 1844 für die Trauung gemischter Ehen nur dann der Seelsorger des nichtkath. Theiles zuständig ist, wenn die Brautleute wegen Verweigerung der Erfüllung der von der kath. Kirche verlangten Bedingungen zur erlaubten Eingehung einer gemischten Ehe der Trauung in der kath. Kirche nicht theilhaftig werden können. Allein abgesehen davon, dass dieser Erlass in Folge eines speciellen Falles nur an den damaligen Obergespan des Grosswardeiner Districtes gerichtet war, darf nicht übersehen werden, dass nach dem Wortlaute der im §. 19 des Gesetzes vom J. 1856 über die Ehen der Katholiken im Kaiserthume Oesterreich bezogenen Anweisung des heil. Stuhles vom 30 April 1841 eine jede gemischte Ehe, ohne Rücksicht auf die religiöse Erziehung der aus derselben gewärtigten Kinder, giltig vor dem Seelsorger des nichtkath. Ehewerbers geschlossen werden könne, wesshalb auch der bezogene §. 19 des Gesetzes vom J. 1856 die ganz allgemeine Bestimmung enthält, dass in jenen Theilen des Kaiserthumes, für welche der heil. Stuhl die Anweisung vom 30 April 1841 erlassen hat, eine Einwilligung, welche von den Ehewerbern vor dem Seelsorger des nichtkath. Theiles in Abwesenheit des kath. Pfarrers gegeben wird, als gesetzmässig zu gelten habe. Hiernach kann die Regierung nicht hindern, dass in Ungarn gemischte Ehen vor dem Seelsorger des nichtkath. Theiles geschlossen werden.

Mit Rückblick auf §. 21 des Ehegesetzes vom J. 1856 darf dieser Seelsorger bei schwerer Strafe die Trauung der Brautleute nicht vornehmen, wenn nicht das schriftliche Zeugniss der in der Pfarrkirche des kath. Theiles ordnungsmässig vollzogenen Verkündigung beigebracht ist. Es geht durchaus nicht an, dass dieses von dem Pfarrer des kath. Theiles auszustellende Zeugniss durch Aussagen von Zeugen über die wirklich geschehene Verkündigung ersetzt werde, weil es sich nicht blos um die Thatsache der Verkündigung, sondern um die nur dem Pfarrer des kath. Theiles mögliche Bezeugung dessen handelt, dass in Folge der Verkündigung ein Hinderniss erlaubter und giltiger Eheschliessung nicht rege gemacht worden sei. Wenn demnach der Pfarrer des kath. Theiles die Verabfolgung des Verkündigungsscheines verweigern sollte, so wird es dem dadurch gekränkt erachtenden Ehewerber frei stehen, bei der competenten Behörde für seine Beschwerde Abhülfe zu suchen, keineswegs aber wird der Seelsorger des nichtkath. Theiles aus einer solchen Weigerung Anlass nehmen dürfen, sich über die gesetzlich angeordnete Beibringung des Verkündigungsscheines hinwegzusetzen. Was aber den Taufschein des kath. Theiles anbelangt, so ist es Sache des kath. Pfarrers, vor Einleitung der Verkündigung auf dessen Beibringung zu dringen, und entfällt somit jeder Grund, diese Urkunde dem die Trauung vornehmenden Seelsorger des nichtkath. Theiles vorzuweisen, weil für die Amtshandlung dieses Seelsorgers, in wieferne sie den kath. Theil berührt, der beigebrachte Verkündigungsschein ausreicht, dessen Inhalt dafür bürgt, dass in Folge der Verkündigung ein Hinderniss erlaubter und giltiger Eheschliessung nicht zu Tage gekommen sei. Diess vorausgesetzt, hat der reformirte Seelsorger von — gesetzwidrig gehandelt, indem er die katholische — mit dem evangelischen — ohne die Vorweisung des Zeugnisses über die von dem kath. Pfarrer ordnungsmässig vollzogenen Verkündigung der bevorstehenden Eheschliessung in Anspruch zu nehmen, traute. Es unterliegt auch keinem Zweifel, dass der erwähnte Seelsorger wegen dieses Vorganges auf Grund des §. 35 des kath. Ehe-

gesetzes vom J. 1856 strafgerichtlich hätte behandelt werden sollen. Nachdem aber seit der diessfälligen am 15 Febr. 1859 stattgehabten Trauung bereits mehr als anderthalb Jahre verstrichen sind, und das obergerichtlich bestätigte Erkenntniss des Stuhlrichteramtes längst in Rechtskraft erwachsen ist, so erscheint es zumal unter den obwaltenden Verhältnissen nicht mehr zulässig, hierwegen eine neue behördliche Verhandlung anzubahnen, und muss es Ew. anheimgestellt bleiben, dafür zu sorgen, dass in künftigen Fällen dieser Art auf Grund der §§. 21 und 35 des kath. Ehegesetzes rechtzeitig die strafgerichtliche Amtshandlung eingeleitet werde. — Wien, 19 Aug. 1860.

6. Ad Locumtenentiam Budensem de educatione prolium ex illegitimo thoro progenitarum sed subseque per matr. (mixtum) legitimatarum. 1860. Nach Lage der vorgelegten Verhandlungsacten hat die ledige kath. — am 31 Jänner 1850 einen Sohn geboren, welcher durch die von der genannten Frauensperson mit dem ausserehelichen Vater derselben helv. Conf. am 21 Mai 1850 geschlossenen Ehe legitimirt worden ist. Carl M— hat am 8 Mai 1850 vor dem kath. Pfarrer seiner Braut die Erklärung abgegeben, dass er im Falle, als ihn Gott während der mit ihr beabsichtigten Ehe mit Kindern segnen sollte, dieselben ohne Unterschied des Geschlechts in dem kath. Glauben erziehen oder erziehen lassen werde. Überdies sind die genannten Brautleute zufolge ihres Heirathscontractes vom 20 Mai 1850 behufs der zweckmässigen Erziehung der Kinder übereingekommen, dass dieselben ohne Unterschied des Geschlechtes der Confession der Mutter, nämlich der katholischen, folgen sollen. Die mit nichts erwiesene Angabe des Carl M — dass der bezogene Revers ihm abgedrungen worden sei, wird von dem kath. Pfarrer, der diesen Revers entgegengenommen hat, in Abrede gestellt. Dies vorausgesetzt, findet man mit Rückblick auf die Bestimmung des allerh. Cabinetsschreibens vom 18 Juli 1838, zufolge dessen die durch die nachgefolgte Ehe legitimirten Kinder, welche zur Zeit ihrer Legitimation das siebente Jahr ihres Lebens noch nicht überschritten ha-

ben, in Absicht auf religiöse Erziehung so behandelt werden sollen, als wären sie ehelich geboren worden, dem Recurse des Carl M— gegen das auf die kath. Erziehung seines ausser der Ehe erzeugten Sohnes lautende Erkenntniss der Ödenburger Statthaltereiabtheilung vom 23 Sept. 1857 insoferne keine Folge zu geben, als dieser Sohn als ein Glied der kath. Kirche anzusehen und zu behandeln, sohin zu dem kath. Schul- und Religionsunterrichte zu verhalten und zu den gottesdienstlichen Übungen einer andern Confession nicht zuzulassen sein wird. Wien, 13 Febr. 1860.

7. Ad Locumtenentiam Budensem de educatione prolis ex illegitimo thoro, (mixtae relig.) patre noto catholico, natae 1860. In Erledigung des Berichtes — findet man zu eröffnen, dass zufolge des allerh. Cabinetsschreibens vom 18 Jul. 1838 uneheliche Kinder in der Religion ihrer Mutter erzogen werden sollen. Dadurch ist aber die Bestimmung des Hofrescriptes vom 1 März 1816 nicht berührt worden, welcher dem bekannten kath. Vater des mit einer nichtkath. Person ausser der Ehe erzeugten Kindes das Recht einräumt, dasselbe in der kath. Kirche taufen und katholisch erziehen zu lassen. Damit aber den Schwierigkeiten vorgebeugt werde, welche durch die Geltendmachung dieser Bestimmung herbeigeführt werden könnten, ist darauf zu sehen, dass dieselbe wider den Willen der nichtkath. Mutter nur dann zur Ausführung gebracht werde, wenn der aussereheliche Vater bei dem betreffenden kath. Seelsorger vor zwei Zeugen die in dem Taufbuche anzumerkende Erklärung abgibt, dass er der Vater des unehelichen Kindes sei und dasselbe nach Massgabe des bezogenen Hofrescriptes in der kath. Kirche getauft und erzogen wissen wolle. Wien, 3 August 1860: — Omnia haec Rescripta vulgabantur in: Moy Archiv für kath. Kirchenrecht. Mainz. 1863. X. 123. ss.

1054.

Eppus laurinensis de necessitate petendae dispensationis in mixtis matr. 1857.

— Frequentiores sunt in patria nostra atque etiam in hac dioecesi casus, quorum §§. 66. et 79. Instructionis meminerunt: posterior quidem his verbis; ,In impedimentis dirimentibus proprio iure dispensare solius Apost. Sedis est, cui reservatum quoque — in disparitate cultus inter Catholicos et Christianos noncatholicos dispensationem indulgere.' Iuxta hunc Instructionis § disparitas cultus inter Catholicos et Christianos noncatholicos impedit, quominus absque dispensatione a Sede Apost. impetranda matrimonium licite contrahi possit, seu, quod idem est, quodvis matr. mixtum est, ut §. 66. Instructionis innuitur, illicitum, fit vero licitum per dispensationem Apostolicam. Ad uberiorem huius rei intelligentiam iuvat casus, qui recurrere possunt et solent, adferre; sunt autem tres: vel nempe sponsus est acatholicus et sponsa catholica, quae nubere vult eo non obstante, quod a sponso acatholico Reversales aut sponsionem de prolium etiam masculorum educatione impetrare nequeat, quae proinde proles iuxta art. 26 de anno 1790/1 in acatholica patris religione educabuntur. In hoc casu sponsa catholica peccat, exponit enim discrimini salutem prolium suarum, ac ideo cum illa procedi debet secundum inviationes DD. Curatis datas tunc, dum tenores Instructionis a Card. Lambruschini iussu s. m. Gregorii XVI ad AEppos et Eppos Hungariae de a. 1841. dimissae promulgabantur. In hoc casu matr. mixtum valide quidem contrahi posse, sed esse illicitum apud omnes in confesso est, neque matr. mixtum in hoc casu unquam licitum reddi poterit per dispensationem, quam Summus Pontifex nullo pacto concederet, etiamsi eatenus interpellaretur. Hic proinde casus § 79. Instructionis pro Iudiciis Eccles. minime comprehenditur. Talia enim matrimonia Ecclesia Catholica tolerat tantum velut malum minus ad declinanda mala maiora, et sponsa catholica, quae in filiorum suorum educationem in aliena religione consentit, sicut benedictione

nuptiali ita etiam gratia dispensationis se prorsus indignam reddidit. Praecitatus § 79. Instructionis intelligendus est de matr. mixtis, quae ita contrahuntur, ut omnium prolium ex illis progenerandarum catholica educatio in tuto posita sit. Fit hoc in duobus casibus, quando nimirum pater est catholicus et mater acatholica, quo in casu ad exigentiam art. 26: 179°/₁ omnes proles absque discrimine sexus catholicam religionem patris sequi debent, vel quando pater quidem acatholicus est, sed per Reversales in omnium prolium adeoque etiam filiorum educationem in catholica fide consentit, qui secus secundum tenores eiusdem art. 26: 179°/₁ in acatholica patris religione educari possunt sed non debent. Hos duos casus respicit §. 79. Instructionis. Matrimonium mixtum quidem in his etiam duobus casibus est iure positivo eccles. illicitum, verumtamen licitum fieri potest per dispensationem, quam concedendi ius reservatum est Sedi Apostolicae ita, ut nonnisi ab illa, vel illius tantum nomine et auctoritate concedi possit ab Eppo requisitis eatenus facultatibus instructo. Matrimonia mixta etiam in modo expositis duobus casibus esse illicita, illaque per dispensationem Apostolicam tantum reddi licita, res est adeo extra omnem dubitationis aleam posita, ut vix explicari queat, quomodo apud nos opinio invalescere potuerit, mixta matrimonia, dummodo omnium prolium educatio catholica secura sit, characterem prorsus catholicum induere; cuius opinionis consectarium fuit, quod dispensatio intuitu matr. mixtorum numquam peteretur. Nimirum matr. mixta pro illicitis declarata sunt, ut alias SS. Canonum sanctiones taceam, lege 14 gen. Conc. Chalcedonensis, quae universam Ecclesiam obligat, et quam nulla contraria lege, nec ulla pontificia constitutione sublatam esse Summorum PP. Bonifacii 8, Urbani 8, Clementis 11, Benedicti 14, Pii 6, Pii 7, Gregorii 16 decreta testantur. Sufficiat attulisse, quae in celeberrimo opere de Syn. Dioec. scribit Benedictus 14 l. 9. c. 3. n. 2. 3: „At vero, inquit, si interdictum, quo fit, ut matr. haec illicita sint, ex C. Gen. Chalcedonensis lege aliisque contrariis ss. canonum sanctionibus originem habet: iis insistendo regulis, quas supra posuimus, facili negotio perspicere est, huiuscemodi matrimonia licita aliter evadere non posse, praeterquam

in vim dispensationis a Romano Pontifice obtentae, exclusis Episcopis, nisi a Pontifice facultatem acceperint, ut super iisdem dispensare possint. Pontificiae ergo auctoritati iniuria fit ab iis, qui illius interventu opus non esse contendunt, ut matrimonia inter partes alteram catholicam et alteram haereticam licite contrahantur.' Quae cum ita esse non dubitaverim, — SSmo Dno nostro pro facultate in vetito mixtae religionis — dispensandi supplices exhibui. Petitioni meae delatum fuisse, e S. Congr. negotiis Eccl. extraordinariis praepositae decreto liquet. — Notent DD. Curati, nec §. 79 Instructionis pro Ind. Eccles. Imperii Austr. quoad causas matr. nec S. Congr. decreto ulla ratione affici superius attactam Instructionem Lambruschinianam, ac proinde mixta matr. quae non coram proprio catholicae partis parocho, sed coram acatholicae partis ministro contrahentur, erunt illicita quidem sed tamen valida, dummodo iisdem non obstet aliud imped. canonicum. Notent porro, dispensationi in impedimento mixtae religionis sponsorum tunc solummodo locum esse, quando educatio omnium prolium in cath. religione sive vi legis sive vi reversalium in tuto posita est, ac ideo DD. Curati in hoc solummodo casu nec secus pro dispensatione in vetito sive imped. mixtae religionis sponsorum apud me supplices fiant, quam dispensationem pro re nata nomine et potestate mihi a SSmo Dno nostro delegata semper gratis sive absque cuiuscunque demum taxae solutione concedam. Nihil proinde §. 79. Instructionis, et haece, quam in eiusdem consequentiam facio, dispositione ratione mixtorum connubiorum intenditur aliud, quam ut sua legi ecclesiasticae conservetur auctoritas, e cuius praescripto mixta matr. semper prohibita sunt atque illicita, ut porro illicitorum huiusmodi matrimoniorum numerus mediante dispensatione inminuatur, cuius participes fieri volent omnes, quibus leges Ecclesiae sanctae sunt, quive illas violare metuunt, memores illius effati divini ad Apostolos horumque legitimos successores directi: qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. — Iaurini, mense Sept. 1857. — (Circulares D. Iaurinensis. 1857.)

1055.

Eppus Csanadiensis de dispensatione in matr. mixtis petenda, 1857.

Cultus disparitatem ad impedimenta matrimonii, quae dirimentia vocamus, in Ecclesia Catholica nullo non tempore relatam fuisse, apud omnes Catholicos exploratum est; quam in rem ita scribit Benedictus XIV: ‚Omnes sentiunt ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse non quidem iure SS. Canonum, sed generali Ecclesiae more, qui pluribus abhinc seculis viget ac vim legis obtinet.' (Epist. ‚Singulari nobis consolationi.') At vero diversa est huius impedimenti vis pro diversitate cultus seu religionis, quae disparitatem inducit. Vim abs dubio plenam exerit hoc impedimentum, si agatur de disparitate cultus, quae inter baptisatos et nonbaptisatos intercedit. Huc pertinet §. 25. Instructionis pro Iudiciis Eccles. Imp. Austr. quoad causas matr. in haec verba: ‚Inter baptisatos et eos, qui regenerationis Sacramentum haud susceperunt, matrimonium consistere nequit.' Minori efficacia pollet hoc impedimentum, si una pars patrato tetro apostasiae a christiana Religione crimine, retento tamen utique charactere indelebili, quem Sacramentum Baptismi animae inprimit, cultu dispar existeret. De hoc namque casu sonat §. 66. Instructionis praecitatae hoc tenore: ‚Ecclesia detestatur fidelium cum apostatis coniugia.' In hoc nempe casu cultus disparitas per se non iam irritat matrimonium, sed reddit illud illicitum et abominabile pro Ecclesia. Pari fere modo agit hoc impedimentum, si Catholicus cum Christiano noncatholico matrimonium ineat, quo spectant verba eiusdem § posteriora: ‚Improbat quoque matrimonia inter Catholicos et Christianos noncatholicos, et ab iis ineundis suos dehortatur.' Talia proinde matrimonia perinde valida quidem sunt, ast per Ecclesiam improbantur, seu sunt illicita. Benedictus XIV docet huiuscemodi matrimonia aliter non posse licita evadere, praeterquam in vim dispensationis a Romano Pontifice obtentae exclusis Eppis, nisi a Pontifice facultatem acceperint, ut super iisdem dispensare possint. (Syn. Dioec. l. 9. c. 3. n. 2.) In impedimento cultus disparitatis sensu stricto sumto, quod irritat matrimonium, nullam dari

dispensationem, apud omnes in confesso est. Quaeritur igitur, an et quibus in casibus, qualibus item sub cautionibus per Pontifices Romanos detur dispensatio in matrimoniis inter Catholicos et Christianos noncatholicos? Ut ad quaesitum hocce adaequatum dari possit responsum, triplex matr. mixtorum, uti vulgo vocantur, classis est distingvenda: a) vel sponsus est noncatholicus, sponsa vero catholica et sponsus nullam praestat cautionem ratione educationis prolium in religione catholica; b) vel sponsus est quidem noncatholicus, sed medio reversalium praestat depostas ab Ecclesia cautiones; vel denique c) sponsus est catholicus, sponsa vero noncatholica. Iam in primo casu nulla datur dispensatio, neque benedicitur matrimonium, sed valent Instructiones pro hoc casu 1841 editae, de quibus agit §. 38. Instructionis praecitatae, quaeve in pleno suo vigore remanent. In secundo et tertio casu, quoniam omne matrimonium catholici cum christiano noncatholico est lege Ecclesiae prohibitum, ut connubia talismodi licite inire queant, necessaria est dispensatio pontificia. Omne enim matr. mixtum absque ullo ad sponsum catholicum vel cautiones praestitas respectu in omni casu illicitum habuit et iam in Concilio Chalcedonensi oecumenico a. 451. declaravit Ecclesia; Sedes vero Apostolica sibi ius dispensationis reservavit. Quam in rem plures prostant Pontificiae Constitutiones inde a Bonifacio 8 usque ad recentissima tempora editae; ut adeo prorsus nihil novi habeat Instructio saepefata, dum §. 79. de dispensatione in his matrimoniis hoc ipsum ius Sedi Romanae assertum recognoscit et praescribit. In horum conformitate de genu supplex apud Beatissimum Patrem nostrum Pium IX extiti per literas, quibus facultatem dispensandi in illis matr. mixtis, quae supra sub b) et c) distinxeram, mihi de plenitudine Apostolicae potestatis clementissime concedendam, respective delegandam efflagitabam. Effectus huiusmodi precum mearum erat benignus indultus, cuius tenores subnectuntur: „SSmus Dnus noster — benigne annuit, ut Eppus orator dispensare valeat intra fines suae dioeceseos, iustis gravibusque accedentibus causis super impedimento mixtae religionis, dummodo tamen cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis, ac praesertim de amovendo a catholico coniuge perversionis pe-

riculo, deque conversione coniugis acatholici ab ipso pro viribus curanda, ac de universa prole utriusque sexus in catholicae Religionis sanctitate omnino educanda, ac demum si alter ex coniugibus ex graecis schismaticis fuerit, de eadem universa prole per catholicum parochum baptisanda. — Romae die 5. April. 1857." — Ex his ultro assequimini, omnia illa vobis ipsis legem esse debere, quae intuitu connubiorum, de quibus agitur, qualiter abhinc ineundorum mihi ipsi observanda praescribuntur. Itaque nulli dehinc mixto matrimonio, etiamsi sponsus catholicus foret, assistetis, antequam a nobis necessariam ad licite ineundum matrimonium huiusmodi dispensationem impetraveritis. Cum vero tenore praeveneratí indultus pontificii dispensatio a nobis sine ,iustis, gravibusque accedentibus causis, dummodo tamen cautum omnino sit omnibus conditionibus ab Ecclesia praescriptis,' haud sit concedenda: vestras in eo conscientias appellamus et oneramus, ut in casibus, in quibus praedictis conditionibus non sit iam satisfactum per reversales, aut ut satisfiat, tuto sperandum eo, quod sponsus sit catholicus, dispensationis beneficium nequidem expetere attentetis, alioquin in irritum laboraturi. Cum vero casus huiusmodi matrimoniorum evenerit, coniugem catholicum praesentibus duobus testibus, qui catholici sint, de tenoribus indultus pontificii diligenter edocebitis, sponsionemque ab eo recipietis, quod conditionibus praescriptis etiam de baptismo prolium satisfacere omnino sit adlaboraturus. Hac morali certitudine primum obtenta procedetis ad exquirenda motiva, quae valeant ad beneficium dispensationis impetrandum; praemissae enim conditiones sunt absolute quidem necessariae ad hoc, ut obtineri possit dispensatio, neutiquam vero una etiam motiva continent ad eandem elargiendam. Haec proinde aliunde petenda erunt, ex illis nempe adiunctis, ex quibus in matrimoniis puris alias repeti solent momenta rationum, quae exceptionem a communi lege fieri posse svadeant. — Temesvarini 3. Nov. 1857. — (Ordines Circul. Csanad. 1857. p. 169.)

1056.

Syn. Strigoniensis provincialis decretum de matr. mixtis, 1858.

Tit. III. De Sacramentis. — 8. de Matr. Mixtis. Primum, quod in matrimonio quaeritur, iuxta S. Ambrosium est religio. Hinc prout lege Mosaica Hebraeis matrimonia cum exteris, praesertim Chananaeis propter periculum perversionis severe interdicta fuerunt, ita Ecclesia quoque nostra omni tempore prohibuit, ne Catholici cum Acatholicis hoc sacro foedere iungerentur. Praesertim Sedes Apostolica coniugia mixta seu cum acatholicis inita vehementer semper improbavit, neque illa indulgenda existimavit, nisi ex gravissimis causis, et sub certis conditionibus, inprimis ne coniux catholicus ab haeretico perverti possit, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum; tum etiam ut proles utriusque sexus ex eo matrimonio procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. (Ben. XIV. ‚Magnae nobis.') Certe coniugium iam e sua institutione postulat, ut qui hoc vinculo iunguntur, non solum coniugii nexu, sed etiam religionis sensu sint una caro, unum cor, et una quasi anima. Intima haec animorum coniunctio inter eos sperari non potest, qui in re gravissima et sacerrima dissentiunt, ita, ut quod alter summa veneratione colit ac frequentat, alteri ridiculum, superstitiosum, vel omnino idololatricum videatur. Unde saepissime evenire consvevit, ut coniuges ea, quam intima inter eos vitae societas exigit, fiducia destituti aut tristem inter continua dissidia vitam ducant, aut pars catholica ad indifferentismum vel plane defectionem a fide delapsa salutis periculum subeat, atque sic magnum hoc Sacramentum omni sua dignitate et sanctitate exuatur. Tum vero quam pronum, ut in educanda prole quod una pars aedificat, altera si non directe, saltem indirecte destruat, ipsaque proles arbitretur parum referre, quam religionem quisque teneat; quotidiana experientia id sat superque docet. Denique qua ratione coniuges diversae religionis se mutuo aedificare possent, inter quos nec precum, nec sacramentorum communio obtinet: verum potius dum v. g. uxor catholica s. Sacramenta frequentat, id

quasi clam et furtive facere debet, ne maritum ad impia dicteria provocet. (Tertull. ad uxor. 2. c. 3. 5.)

Hinc quantacunque sit caritas, qua dissentientes a nobis in rebus religionis concives nostros prosequimur, non possumus tamen non vehementius dolere, mixta matrimonia adeo invaluisse, ut exinde religioni catholicae multiplicia, eaque atrocissima vulnera inflicta cernamus. Quia vero de animabus, quae ancipiti hoc commercio pereunt, coram iusto Iudice stricta a nobis olim reddenda erit ratio, catholicos parentes per viscera misericordiae Dei, per prolis suae salutem oramus et obtestamur, imo qua Episcopi animarum mandamus etiam, ut omni meliori modo prolem suam ab ineundis mixtis matr. avocare et arcere studeant. Hunc in finem implorato Spiritus S. auxilio in se ipsis sensum vivae fidei resuscitare studeant, ac intime sibi persvadeant, non esse in alio aliquo salutem, quam in Iesu Christo eiusque sancta Ecclesia. Hunc vivae fidei sensum proli etiam suae iam in tenera aetate tum verbo tum exemplo instillare allaborent. Adolescentulas praecipue vigili oculo comitentur, neque permittant cum huiusmodi familiarius versari, quibus vitae coniugalis vinculo aliquando consociari nefas est. Nec decipiantur earumdem teneriori aetate, nam experientia docet, nisum nubendi in aliquibus maturius excitari. Eo magis intendant pubescentibus puellis, periculosa enim et difficilis est animorum violenta separatio, si longiori consvetudine sibi invicem quasi adglutinati sunt. Alioquin advertere potuerunt pluribus in casibus non tam coningem quam potius coniugis vires et facultates temporales, vel saltem divitem haereditatem ambiri. Parochi vero et omnes, quibus animarum cura commissa est, tam publicis quam privatis sermonibus, omni tamen cum discretione, caritate et mansvetudine doctrinam Ecclesiae de mixtis connubiis opportune proponant, dumque caritatis christianae universalem characterem explicabunt, simul eiusdem limites divinis legibus defixos clare edisserant. Tum vero assiduis Deum exorent precibus, quo fidem in mentibus fidelium suorum augere, eosdemque ab omni fidei naufragio praeservare misericorditer dignetur. Vita praeterea moribusque suis Ecclesiam Iesu Christi amabilem personamque suam venerandam reddant, ut

emergente mixti matrimonii casu verba et adhortationes ipsorum non in irritum cadant. Si qni tamen e fidelibus ab huinsmodi matrimonio incundo prorsus desistere nollent, eo conatus suos dirigant, ut pars acatholica legalem cautionem praestet de catholica omnis prolis educatione, simulque dispiciant, nnm fides catholicae partis ab omni perversionis periculo immunis futnra censeri possit. Tantum his praehabitis adornent recursum ad Ordinariatum pro obtinenda in impedimento vetiti mixtae religionis dispensatione Sedis Apostolicae, sine qua ne denunciare quidem audeant huiusmodi matrimonia. Si autem postulata securitas non praebeatur, cum in casu hoc magnopere intersit, ut uniformis in procedendo modus, isque activam sacerdotis cooperationem, quantnm possibile est, excludens observetur, scopo hoc seqnentes statuimus regulas:

1. Matrimonio huiusmodi trinae promnlgationes praemittantur, inter promulgandum tamen religionis, cui partes addictae sunt, mentio non fiat.

2. Tam ante quam praeprimis intermedio promnlgationnm tempore institutio omni cum mansvetudine et sollicitudine impertienda parti catholicae non solum non snbtrahatur, quin potius illa, qua licet, diligentia tribuatur.

3. Cum pars catholica in proposito casu non tantum in canonicas sanctiones, sed etiam in legem naturalem et divinam gravissime peccet: in tribunali poenitentiae sacramentaliter absolvi non potest. Si tamen in matrimonio iam constituta in cor snnm redeat, sincera reatus sui poenitudine ducatur, et, quantnm in se est, malum ab se causatum reparare studeat, absolvenda est, cum S. Mater Ecclesia viscera misericordiae nnmqnam praecludat vere poenitentibns.

4. Matrimoninm huiusmodi non qnidem in loco sacro, loco tamen decente, in aedibns v. g. parochialibus ineatur, et parochns, vel cum eius licentia alius sacerdos, nnllis qnidem sacris vestibns, adeoque non stola, non rocheto, habitu tamen ecclesiastico indutus, et ad modestam gravitatem compositus citra faciendnm libri ritualis, vel precum sacrarum, aut ritus sacri nsum, coram duobus aut tribus testibns declarationem mutui in matrimonium consensus excipiat.

5. Ut haec mutui consensus declaratio nulli exceptioni

obnoxia sit, eam vir his aut similibus verbis exprimat: ‚Ego — in coniugem accipio — honestam personam, non ipsam deseram usque meam et illius mortem in quacunque vicissitudine. Sic me Deus adiuvet.' Deinde consensum suum sponsa catholica sic enunciabit: ‚Ego — in maritum accipio — honestum iuvenem vel virum, etc. Sic me Deus adiuvet, Beata Virgo, et omnes Sancti.'

6. Postquam haec peracta sunt, parochus matrimonium hoc eadem, qua in aliis matr. inserendis oportet, solertia libro copulatorum inserat. Forma immatriculationis aliis praescriptis rubricis plene conformis tenenda est, unice in rubricam ‚Copulans', inserenda erunt haec verba: Mutuum in matr. consensum declararunt coram parocho proprio NN. vel delegato sacerdote NN. in aedibus parochialibus NN.

7. Moneat coniuges, quod matrimonio valido coniuncti sint, cuius indissolubilitas aliique legitimi effectus non secus ac in aliis matrimoniis extra omne dubium positi sint.

8. Si vero sponsi mixtae religionis ab assistentia passiva acceptanda prorsus alieni forent, et ad illam declinandam non obstantibus parochi monitis et hortamentis ministrum acatholicum fine contrahendi coram ipso matrimonii adire mallent, in hoc proposito impediri non possunt, concedendaeque sunt ipsis testimoniales literae id solum enunciantes, quod peractis tribus denunciationibus nullum tale impedimentum, ob quod matrimonium inter hos sponsos valide contrahi non posset, detectum sit; nihil ultro addendo, unde consensus vel adprobatio sacerdotis testimonium dantis subinferri posset.

9. Introductio seu benedictio huiusmodi mulieris post nuptias tam parum adhibenda est, quam parum adhiberi potuit benedictio tempore initi matrimonii; haec enim utrobique approbationem auctoritate Ecclesiae factam indicat. Introductio autem puerperae cum prole, quae apud Catholicos baptisata est, et Ecclesiae Cath. succrescit, fieri potest. In casu nihilominus, quo proles apud Acatholicos baptisatur, et ab Ecclesia Cath. abstrahitur, introductio fieri non potest. — Decreta et Acta Conc. Prov. Strigon. Pestini. 1859. p. 41. ss.

1057—1059.

Facultas dispensandi in impedimento mixtae religionis per S. Sedem Ap. Eppo Nitriensi concessa. 1859. ss.

1. A. 1859. Ex S. Rom. et Univ. Inquis. Feria IV. die 10 Aug. 1859. SSmus Dnus noster D. Pius div. provid. Papa IX in solita audientia Pro-Assessori S. Officii impertita, audita relatione suprascripti supplicis libelli una cum Emin. ac RR. DD. S. R. E. Cardinalium Generalium Inquisitorum suffragiis, attentis expositis, et peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus, benigne annuit, ut R. P. D. Eppus Nitriensis dispensare valeat intra fines suae Dioeceseos iustis gravibusque accedentibus causis super impedimento mixtae religionis, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis, ac praesertim de amovendo a catholico coniuge perversionis periculo, de conversione coniugis acatholici ab ipso pro viribus curanda, ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino educanda. Hanc autem facultatem decrevit Sanctitas Sua valituram ad triennium pro casibus urgentioribus, in quibus nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec tempus adsit adeundi S. Sedem, iudicio ipsius Eppi, super quo eius conscientia graviter oneratur. Insuper mandavit Sanctitas Sua, in singulis dispensationibus expressam Apostolicae delegationis mentionem esse faciendam. In matrimoniis, in quibus praecessit commercium carnale, si fieri possit sine gravi damno, ante matrimonium coniuges separentur per aliquod tempus arbitrio Eppi, ut pars catholica rite disponatur ad recipiendam gratiam Dei. In reliquis stetur adnexae Instructioni. (dd. 15 Nov. 1858.) Angelus Argenti, S. R. et Univ. I. Notarius.

2. A. 1862. Ex S. R. et Un. Inquis. Feria IV die 6 Aug. 1862. SSmus etc. ut supra. — dummodo neque ante neque post matrimonium coram parocho catholico initum adeant (coniuges) ministrum acatholicum; — praevia semper absolutione a censuris, et impositis poenitentiis salutaribus, si matrimonium contractum fuerit coram ministro acatholico. —

Pro D. Angelo Argenti S. R. et Univ. Inquis. Notario: Invenalis Palarni, Substitntns.

3. A. 1865. Ex S. R. et Univ. Inquis. Feria VI die 25 Aug. 1865. SSmus etc. ut supra. — dispensare valeat intra fines suae dioeceseos, exceptis Italis, de quibus non constet, Italicnm domicilinm omnino deseruisse, etc. — Angelus Argenti, S. R. et Univ. Inqnis. Notarius. — Ex Tabulario Dioec. Nitriensi.

1060.

Eppus Csanadiensis in memoriam revocat strictas Ecclesiae conditiones, sub quibus unice tolerari possint mixta matr. 1859.

Cum Ecclesia Catholica mixta matrimonia in universum, sen patre seu matre catholicis ineantur, detestata semper fnerit, adeo, ut numqnam nisi ex gravissimis causis, et ad evitanda maiora mala, adiectis insuper quae vobis sat snperque notae sunt, cautionibus et conditionibns ad omne tum partis catholicae pervertendae, tum edncationis omnium utriusque sexns prolinm catholicae qnoquo modo impediendae periculum avertendum comparatis, toleraverit toleratque tantum invita: ut his Ecclesiae Cath. postulatis, qno fieri potest, exactius pleniusque satisfiat, populns vero fidelis nullo modo in eum errorem inducatur, quasi connubia huiusmodi, sen patre seu matre catholicis existentibus, ab Ecclesia probarentur eo, qnod in singularibns casibus erga praestitas cantiones dispensationem in cultus disparitate non prorsus deneget, necessarinm dnximns zelnm vestrum identidem in Domino excitare, et onns responsionis coram Principe Pastorum, qno nos ipsi in conscientia premimnr, in vos qnoqne reclinando ordinare et mandare, prout praesentium tenore ordinamns mandamnsqne, nt quoties casns emerserit ineundi mixti connubii, seqnentia religiosissime observetis adimpleatisque: 1. Quae de institntione sponsorum in capitibns fidei et mornm solertissime procuranda alias identidem inculcabamus, haec ipsa ratione sponsi vel sponsae cath. indispensabiliter valere et effectum nanciscei vo-

lumus iubemusque adeo, ut primam conditionem impetrandae dispensationis in cultus disparitate, debitam planamque partis catholicae non in rudimentis tantum, sed fundamentis plenoquę doctrinae catholicae complexu institutionem hisce declaremus, cum eo, ut institutionem hanc ipse parochus proprius peragere et super eo testimonium catecheticum recursui pro dispensatione accludere noverit. Alioquin dispensatione frustrabuntur oratores. 2. Reversales non diverso stylo et tenore, sed iuxta formulam praescriptam ab utraque parte, sponso quippe et sponsa, pro ratione obligationis, quae cuique ex diversitate religionis exurgit, omni in casu expetendae et isthuc exhibendae sunt. Stylo diverso exaratae Reversales velut invigorosae dehinc reinviabuntur. 3. Cum vel assistentia, quam activam vocant, universim toleretur tantum per Ecclesiam, minime vero probetur aut commendetur, prout idipsum praxis Ecclesiarum in Gallia et pluribus Germaniae dioecesibus, ubi non alia quam passiva assistentia etiam patre catholico generatim viget: cavendum omnino cautumque sit, ne matrimonia huiusmodi per Missam pro sponsis celebrari svetam, aut quovis alio ecclesiasticae cohonestationis argumento speciem cuiusdam aequiparationis cum puris matrimoniis obtineant. Itaque Missa pro sponsis mixtae religionis numqnam celebretur fine solennisandi mixti matrimonii. Temesvarini, die 31. Dec. 1859. — (Ordines Circul. D. Csanad. 1859. p. 175.)

1061.

Conc. Dioec. Strigoniense, a. 1860.

Stat. 17. Mixta matrimonia sunt universim magnum pro Ecclesia Catholica malum, quia ipsa eorum existentia indifferentismum religiosum spargit, in parte catholica zelum et spiritum, obligationes hominis catholici fideliter implendi, multum minuunt, frequenter suffocant, prolium deniqne vere catholicam educationem impediunt. Si tamen sub praescriptis per Ecclesiam conditionibus ineantur, possunt pro Ecclesia Dei quaedam spiritualia emolumenta parare, tam per omnium

prolium catbolicam educationem, quam et interdum per acatholicae partis conversionem. Proinde sicut universim reprobanda sunt, ita, dum declinari non possunt, Ecclesiae innoxia aut proficua quoque reddi debent. Ex boc munus velut maxime conscientiosum est pastorum animarum, quibus Dominus inclamat per Ezechielem dicens: Animam eius de manu tua requiram. Ezech. 3, 8. Eapropter parochorum gravissimum officium est: 1. In locis mixtae religionis quovis anno de periculis e mixtis nuptiis orituris prò concione loqui. 2. Consignationem idmodi connubiorum constanter prae oculis babere, et quamvis circumstantiam ad eadem se referentem notare. 3. In consignationem (ad finem anni civilis) omne matr. mixtum una cum prolibus earumque aetate inferre; de prolibus sextum annum excedentibus, num scholas catholicas frequentent, et divina catholica adeant, in rubrica observationum notare; de prolibus autem 9, 10 annum agentibus, num Sacramenta suscipiant, adiicere; et baec cousque notanda sunt, donec vel 18 annum aetatis superaverint, vel ad matrimonium convolaverint, et tunc nomina eorum e consignatione exmittenda sunt; quodlibet autem mixtum matr. consignationi inferendum erit etiam post mortem alterutrius partis, si vivant proles 18 aetatis annum necdum superantes. 4. Si educationi catholicae prolium impedimenta ponantur, et ad coniugis noncatholici sacra alliciantur, pastor animarum remedium apud civilem iurisdictionem, et eo bic non obtento apud Ordinariatum sollicitet; universim mixtis matrimoniis omnem exhibeat caritatem, inprimis parvulos omni sollicitudine foveat et protegat. 5. Denique dum idmodi coniuges habitationem suam ad aliam transferunt parochiam, id ipsum parochus plenaria cum informatione insinuet alteri parocho, et boc ipsum consignationi in rubrica observationum inscribatur. Si bonus pastor debet dare animam suam pro ovibus suis, lubenter impendat, oportet, negotio huic omnem sollicitudinem, qua suam et multorum salvabit animam. — Statuta Syn. Dioec. Strigon. Pestini. 1860. p. 24.

1062.

Conc. Prov. Colocense, a. 1863.

Tit. III. Cap. 12. — Quo magis optat haec Synodus, ut Sacramentum matrimonii fideles nonnisi animo, mente, piis moribus et sanctis desideriis sibi similes contrahant: eo magis veretur omnem talem coniunctionem fidelium, in qua externis solum considerationibus pro fundamento sumtis, felix vitae coniugalis consortium expectari nequit. Huc inprimis refert Synodus mixtae religionis impedimentum, dum catholici cum acatholicis matrimonium ineunt. Reprobat haec Synodus in Deo congregata coniunctionem partium in statum vitae, dum haec coniunctio non in unione animorum, non in una vera religione sua fundamenta quaerit. Praecipua proinde conditio, quae ad prosperum et sanctum matrimonium requiritur, in mixtis matrimoniis manifeste deest. Quam quidem veritatem tristis experientia probat, qua teste inter coniuges religionis principiis dispares altercatio, aegritudo, et aversio animorum frequenter obtinet; si vero coniuges erga omnem religionem adeo indifferentes sint, ut nec de sua nec de sui consortis religione curent, tunc et coniugum et prolium salus temporalis ac aeterna in praesentissimum adducitur discrimen. Horret proin Ecclesia, haec felicitatis aeternae non secus ac temporalis custos, inter personas diversae religionis vitae consortium, nec aliter patitur, nisi ex dispensatione Apostolica praemissis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed insuper ut proles utriusque sexus ex hisce coniugiis procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Si has cautiones pars acatholica non serio promittat, nec quidem pro dispensatione in impedimento mixtae religionis recurrere licebit. Quapropter parentes saepissime de tristibus sequelis monendi erunt, quae e mixtis matrimoniis originem habent, ut proles suas indifferentiam erga religionem dedoceant. Quodsi sponsa catholica non obstante eo, quod sponsus acatholicus requisitam ab Ecclesia cautionem non praestiterit, mixtum matrimonium inire paret, in trina promul-

gatione nulla fiat religionis sponsi mentio, institutione tamen consveta privari non debet, imo omni cum caritate et mansvetudine pro more instruenda est; in hac vero erga Ecclesiam inobedienti dispositione et salutis incuria constituta, cum ante contractum matrimonium ad confitendum accesserit, gratia absolutionis indigna censebitur, ast si contracto matrimonio de hoc suo facto sincere doleat, malumque pro viribus reparare et Ecclesiae reconciliari studeat, absolutio illi deneganda haud erit. Tali matrimonio Parochus passive assistat, partium consensum congruis verbis significatum in loco privato, attamen decenti praesentibus duobus vel tribus testibus sine omni ritu apparatuque ecclesiastico excipiat, et huiusmodi matrimonium Matriculae copulatorum praescripta cum observatione inserat, sponsosque hac ratione copulatos de matrimonii huius quantumvis ope passivae duntaxat assistentiae contracti indissolubili vinculo edoceat. Si talis sponsa spreta parochi admonitione ad nuptias coram alterius confessionis ministro contrahendas dimitti petat, monenda erit de censuris quas incurrit, et non dimissoriales, sed testimoniales duntaxat literae de praemissis tribus promulgationibus eidem dandae erunt. Sponsam vero de obligatione circa suam sponsique necnon generandarum vel maxime prolium salutem opportune edocere, parochus ad praecipuas officii partes referat. Neonupta, quae sine reversalibus mixtum matrimonium iniit, non introducitur, ast puerpera post partum prolis, quae apud catholicos baptisata est, introduci debet, quia proles Ecclesiae nascitur.

Ceterum quo maius est in connubiis mixtis defectionis a fide et amittendae salutis periculum, eo magis intendendum erit, ne id, quod praemetuitur, reapse subsequatur. Quare Curatores animarum data quavis opportunitate reflectant concernentes coniuges ad officia, quae ipsis ceu catholicae Ecclesiae fidelibus incumbunt, eisque serio inculcent, ne cultum divinum aliaque pietatis et religionis exercitia negligant, praecepta Ecclesiae rite observent, nolintque promtas aures praebere illis, quae a fide catholica alieni nefors contra Ecclesiae fidem, disciplinam, et cultum calumniose prolaturi sunt; imo si dubia quaedam circa fidem in animis ipsorum oriantur, plena cum fiducia Pastorem suum adeant, qui pro muneris sui dictamine

prompte dubia oborta dissipare, atque opportuno doctrinae ministerio turbatam conscientiae tranquillitatem restituere conabitur. Porro sollicite invigilabunt animarum Curatores, ne proles catholicae religioni addictae alibi quam in Ecclesia Catholica baptisentur, neve scholas vel oratoria acatholicorum frequentent, omnemque dabunt operam, imo, si necessum fuerit, etiam auctoritatem Iurisdictionis civilis interpellabunt, ut huiusmodi proles secundum legis quoque civilis tenores in religione catholica debite educentur et instituantur. Si autem pastoralia Curatorum conamina in irritum reciderent, eiusmodi casus pro medela Ordinariatui erunt substernendi. Denique si mixti coniugii partem catholicam aegre decumbere contigerit, parochus, etiamsi non fuerit vocatus, illam adeat, in aegritudine consoletur, ad officia hominis catholici cumprimis in infirmitate explenda reflectat, et si necessum videbitur etiam ad moribundorum Sacramenta pie suscipienda disponat, ne quo casu improvisa e vivis decedat; si autem defuncta fuerit, prolium, quae fidem catholicam sequi obligantur, catholicae educationi eo magis intendat, quo minus hanc ii, qui a sacris catholicis alieni sunt, etiamsi vellent, iisdem prolibus impertiri possunt. — Acta et decreta Conc. Prov. Colocensis. Colocae. 1864. p. 122.

1063.

Sententia Consistorii Metrop. Agriensis de matr. mixto ex capite clandestinitatis annullato. 1864.

In Sessione Cons. Metr. Agriensis die 17 Dec. 1864 deliberatum est: N. N. inhabitatrice Cassoviensi Rel. Cath. qua actrice, matrimonium cum N. N. Helv. Conf. inhabitatore Szalonnensi qua Reo Convento coram Ministro H. C. Perkupensi die 12 Maii 1862 initum ex capite clandestinitatis irritari ac annullari petente, quum e praemissa iudiciaria investigatione eveniret, 1. quod Minister H. C. Perkupensis nec actricis nec Incatti proprius pastor fuerit, siquidem actrix qua catholica post obitum patris sui ab a. 1855 non Perkupae,

sed partim apud cognatos, partim apud tutorem, inde vero ab a. 1860 usque ad diem, quae matrimonii celebrationem praecessit, constanter Cassoviae habitaret, et bono Perkupensi exarendato Perkupae tantum unnm cubile cum culina pro individuo bonnm inspiciente reservatum esset; Incattus autem H. C. Perkupae nec. possessorium haberet, nec ibi unqnam seu constanter sive interimaliter habitaret; 2. qnod Minister H. C. Perkupensis ad actum copulationis nec a Parocho Cassoviensi tamquam actricis proprio pastore, nec a Ministro Szalonnensi H. C. velut incatti pastore activisatus fuerit, siquidem Parochus Cassoviensis dimissorias literas directe ad Parochum Cath. Szilasensem mitteret, minister vero Szalonnensis nullam prorsus pro parte incatti dimissionem ad actum copulationis concederet; huic contraria fassio Ministrorum H. C. Perkupensis et Szalonnensis autem super eo, qnasi Minister Perkupensis a Szalonneusi oralem delegationem obtinnerit, in considerationem sumi haud posset ex eo, quod hae Ministrorum fassiones in iudicio nullius sint momenti tum ideo a) quod Minister quidem Perkupensis propter involationem in iura Parochi Szilasensis per Sectionem Locumtenentiatus Cassoviensem a. 1860 monitus ac reprehensus, insuper legibus patriis inobediens extiterit, dum in praesente causa nec coram Exmissis Consistorii Rosnaviensis comparuit, nec testimonium sive dimissionem Parochi Cassoviensis ad Parochum Szilasensem directam, sibique per Sponsnm resignatam ac apud se detentam, absque interventu civilis iurisdictionis extrodare voluit; porro licet per ipsum Incattum reflecteretur ad id, quod non sit suus proprius pastor, responderit, id non obesse; quod, dum per Locumtenentiatum via Superintendentiae ad quaestionem traheretur, non ad oralem sed scriptam delegationem provocaverit, hancve serius exaratam Superintendentiae exhibnerit, eoque ipso sed etiam inde suspectum se reddiderit, quod, quum propter illegalem copulationis istius actum a Locumtenentiatu redargui disponeretur, in causa hac interessatus testis haberi debeat; denique quod fassioni ipsius reliqui testes contradicant, imo ex parte fassio etiam alterius ministri, quippe Szalounensis, eidem adversetur; — b) quod Minister Szalonnensis occasione primi

examinis iudiciarii non modo nullam prorsus datae ab se Ministro Perkupensi oralis ad dentralem copulationem delegationis mentionem fecerit, utut hanc faciendi maxima adesset opportunitas, verum diserte et decretorie asseruerit, se Ministro Perkupensi ante copulationem nullum seu testimonium sive dimissionem dedisse, eodemque tempore etiam extractum matricularem sui pastoratus extradederit, in cuius rubrica observationum ne verbo quidem innuitur, an seu oralem seu scriptam delegationem saepefato ministro Perkupensi tribuerit; occasione porro alterius iudiciarii examinis dum eidem quaestio poneretur, num oralem delegationem dederit ad copulandum? quemadmodum sub orali ita et scripto consignata declaratione sua in facie et sono verborum quampiam dubitationem et indecisi animi indicium Inquirentes in eo adverterint, hancve circumstantiam relationi suae inserendam existimaverint; suspectum demum se reddiderit per id, quod, dum testis sub N. e commissione ministri Perkupensis ipsum ad extrodandum scriptum delegatorium instrumentum post duas ab inito matrimonio hebdomadas requireret, huic reposuerit, necessarium fore, ut ipse minister Perkupensis eatenus suam faciat requisitionem; insuper tametsi in sua fassione alleget, quod scriptam delegationem tardius suppletorie extrodederit, dum eatenus ministrum Perkupensem iam etiam Rosnavia officiose provocarent, tamen datum huius delegatorii instrumenti de 8 Maii a. 1862, proin quatuor diebus ante copulationem (12 Maii) adposuerit; quae circumstantia, siquidem saepedicta scripta delegatio in litera Superintendentis pro excusatione ministri adhibeatur, peculiari iudiciarii fori attentione digna est; — his omnibus in debitum scrutinium assumtis quandoquidem fassiones dictorum Ministrorum super orali delegatione factae qua suspectae in considerationem venire nequirent, imo ductu Caus. IV. q. 2. et 3. — c. 3. §. 20. — cap. 13. de test. et attest. — cap. 9. de prob. — et cap. 1. de except. simpliciter reiiciendae forent; taliterque non solum e fassione Incatti, sed et aliorum plurium testium depositionibus, indubium existeret, quod Minister H. C. Perkupensis nec a parocho Cassoviensi qua actricis proprio pastore, nec a ministro Szalonnensi velut incatti pastore ullam ad

12*

actum copulationis delegationem acceperit, ac proinde quaestionati coniuges per ministrum Perkupensem clandestine copulati fuerint, circumstantia illa, quod actrix matrimonium hoc taliter initum cum consensu suo contractum fuisse proprio scripto confirmaverit, tum ideo, quia huic fassioni eadem actrix per posteriorem contrariam derogavit, tum ideo, quia actrix sibi ipsi proprium copulantem parochum eligere non potuit, nihil suffragante, nec situm rei mutare queunte; quum autem matrimonia clandestine inita, etiamsi mixta forent, in Ecclesia Hungarica ductu C. Trid. Sess. 24 c. 1. de ref. matr. et Colomanni Decr. II. c. 15. constanter irrita habita fuerint, actuque habeantur, eo magis, quod in Brevi et Instructione Pontificiis pro Hungaria dd. 30 April. 1841. quoad matr. mixta editis etiam circa ministrum acatholicum id desideretur, ut sit proprius partis concernentis pastor, de delegatione vero ab uno ministro acatholico alteri danda sermo non fiat; quum porro iuxta declarationem S. Congregationis Card. C. Trid. interpretum in Avenion. matr. 9 Iul. 1768 §. 11: „quum agatur de matrimonio clandestino a C. Trid. improbato, nisi perspicuae afferantur probationes, contra illud in dubio est pronunciandum", in praesenti causa, in qua contra matrimonium tantae adsunt probationes, si dubium quodpiam subversaretur, contra idem matrimonium sententia ferenda esset: hinc matrimonium inter N. N. et N. N. 12 Maii 1862 coram Ministro H. C. Perkupensi clandestine initum ab initio irritum et nullum, partemque utramque ab eius vinculo solutam, et ad alia vota contrahenda liberam iudicialiter pronunciari. — In foro appellatorio Strigoniensi die 19 Maii 1865 deliberatum est: Sententiam primi fori approbari. — (Ex Tabul. Agriensi.)

1064.

Rescriptum S. Congr. Officii ad Eppum Nitriensem de matr. mixto, in quo pars acatholica cautionem de prolibus catholice educandis praestare recusavit. 1865.

In supplici libello, quo M. S. dispensationem petit super impedimentis quarti consanguinitatis gradus, et mixtae reli-

gionis, exponitur: Sponsum haereticum G. V. pertinaciter obsistere, quominus permittat educationem prolis masculini sexus in sanctitate catholicae religionis: quapropter hisce precibus a suprema S. Officii Congregatione rescribi necessario debuit: ‚Prout exponitur, negative'. Probe enim noscis, dispensationem concedi non posse, nisi promittantur cautiones iure naturali ac divino in promiscuis connubiis requisitae. Ceterum non dubito, quin omni caritate ac diligentia vehementius quoque urgeas, ut hoc in casu cautiones dentur, sin minus scripto et iureiurando firmatae, saltem vocetenus sub honoris fide, ita tamen, ut moraliter certus fias, sponsos cautiones adimpleturos esse. Quodsi id e proposito eveniat, attenta casus urgentia SSmus D. N. Pius Papa IX facultatem tibi facit, memoratam oratricem dispensandi super utroque impedimento, de quo in precibus, cum clausulis et conditionibus iuxta formulam in similibus casibus adhiberi solitam. — Romae die 27 April. 1865. C. Card. Patrizi. — (Ex Tabul. Nitr.)

1065.

Ministeriale Rescriptum ad Comitatum Trenchiniensem, et huius determinatio de sustentando vigore Reversalium super catholica educatione prolis masculae e mixto matr. 1867.

Rescr. Ministerii Cultus. Recursus Parochi Catholici Dohnyánensis per Eppum Nitriensem substratus, in quo parochus queritur, prolem masculam e matr. mixto Ioannis Badurik et Annae Krsják genitam, non obstantibus Reversalibus patris de prolibus utriusque sexus catholice educandis, per ministrum Aug. Conf. Puchóviensem baptisatam fuisse, huncque desideratum a parocho suprafato extractum matricae baptisatorum de hoc baptismate denegavisse, Universitati Comitatus cum eo transponitur, ut praedictis Reversalibus vigorem concilict. Budae die 24 April 1867.

Determinatio Cottus Trench. Alexander Látkóczy et Gedeon Uhlyárik tamquam e Congregatione huius Cottus mense Maio celebrata exmissa mixta Commissio in

negotio quaestionis de baptismo et educatione prolis masculae e matr. mixto Ioannis Badurik et Annae Krsják seqnentem praestiterunt relationem ac opinionem: „Quum Ecclesia Catholica in nexu legis 26: 1791, nulla matr. mixtis impedimenta poni sancientis, occasione matr. mixti, dum sponsus est acatholicus, ius suum in re religionis sic exerceat, quod benedictionem, ad coalitionem matrimonii neutiquam absolute necessariam, tunc solum nupturientibus impertiatur, dum vir acatholicus per promissionem suam serio et irrevocabiliter factam vadimonium Ecclesiae praestat de omnium prolium catholica educatione; secus vero eadem Ecclesia benedictionem negante mixta matrimonia in sensu art. 3: 1844 etiam coram protestantico pastore coalescere possint: nullum dubium est, in praevia promissione sponsi acatholici, quam is Ecclesiae Catholicae de educatione prolium suarum catholica praestat, nil eiusmodi contineri, quod per legem vetaretur. In hoc rei situ considerato eo, quod secundum seriem Actorum huius mixti matrimonii Sponsus acatholicus ante matrimonium Reversales super catholica prolium suarum educatione extradederit, hisque habitis ipsum matrimonium cum benedictione Ecclesiae Catholicae coaluerit; porro, quod ex iisdem Actis nullum prodeat vestigium cuiuspiam coactionis in extradandis per Sponsum Reversalibus, hocve ipso extradatae per ipsum Reversales manifeste involvant iuridicam pro eodem sponso obligationem, quippe nec per legem prohibitam, nec moralitati adversam, a qua implenda sponsus unilateraliter eo minus recedere possit, quod, Reversalibus ante matrimonium editis, merito praesumi valeat, iis per sponsum denegatis nec ipsum matrimonium coaliturum fuisse, consequenter recessus sponsi a Reversalibus pacem et tranquillitatem connubii huius turbaturus praevideri queat; demum considerato eo, quod exceptio ministri Puchóviensis, quasi Reversales, quae ante conditam legem 26: 1791 desiderabantur, post conditam eam legem cessare omnique valore exui debuerint, prorsus non subsistat, siquidem post art. 3: 1844 Reversales tamquam mere spontaneae deliberationis resultatum ex obtutu morali adhuc firmioris forent, quam antea, vigoris: his omnibus in trutinium sumtis mixta commissio eius est opinionis,

quod Ministerialis dispositio, Comitatum ad procurandum Reversalibus effectum invians, legibus patriis non repugnet, ac proin plena cum conquiescentia super eo, quod per ipsam religiosis obtutibus nullum inferatur praeiudicium, in executionem hoc magis sumenda sit, quod exercitium iuris inspectionis Suae Regiae Maiestatis circa rem religionis per Ministerium susceptum autonomiae Comitatus non sit oppositum. Relate ad modum, quo Ministeriale Rescriptum executioni dandum sit, eadem Commissio opinatur: cum maritus acatholicus a sensu Reversalium hactenus in eo duntaxat resilierit, quod prolem suam per Ministrum acatholicum baptisari fecerit, Minister Puchóviensis quidem eo inviandus foret, ut extractum matricularem super praevio baptismo coram legali testimonio concinnet; catholicus parochus autem itidem coram legali testimonio baptismum prolis Matricae suae inserat, et utrobique adnotetur: extractum hunc et insertionem in obsequium Ordinum Ministerialium dd. 24 Apr. 1867 et determinationis Comitatus dd. 27 Maii 1867 facta fuisse." Cuiusmodi opinione per Comitatum probata, Ord. Index Nobilium respectivi processus pro executione exmissus fuit. Trencbinii e Congr. Gen. 8 Iul. 1867 celebrata. — (Ex Tabul. Nitr.)

1066.

Leges novae de matr. mixtis in Comitiis Regni 1868 conditae.

I. Lex interconfessionalis de relationibus Confessionum religiosarum ad invicem. — §. 9. Ad instituendas ternas promulgationes matr. mixtorum inter christianos diversarum confessionum contrahendorum utriusque confessionis Curati provocandi sunt. Denegata per alterutrum Curatum promulgatione, erga testimonium duorum testium super eo, quod promulgationem denegans Curatus ad instituendas promulgationes provocatus extiterit, sufficiens erit promulgatio ab uno Curato instituta.

§. 10. Quodsi instituta trina matr. denunciatione, Curatus dimissionales (testimoniales) literas extradare recusaret,

testes duo ex parte nupturientium illum ad extradandas literas has provocabunt; denegata earumdem extraditione unus testium interrogabit Curatum, an quodpiam impedimentum matrimonii insinuatum sit nec ne? De responso Curati ad hanc quaestionem dato vel denegato, iidem testes exarabunt desuper testimonium, quod instar dimissionalium literarum serviet. Ad casum detecti impedimenti, quod Curatus reticuit, hic praeter poenam a sua Iurisdictione Ecclesiastica dictandam, insuper mulcta pecuniaria usque 500 fl. elevari, et carcere usque medium annum produci queunte plectendus est.

§. 11. Mixta matrimonia coram alterutrius Sponsorum parocho valide contrahi possunt.

§. 12. Proles e mixtis matrimoniis genitae, et quidem masculae patris, femellae matris religionem sequuntur. Pacta huic sanctioni legis contraria, item reversales, vel quaecunque alia dispositio invalida, et nullius sunt coram iure roboris.

§. 13. Educationem religiosam prolium nec mors alterutrius parentis, nec matrimonii legalis dissolutio mutat.

§. 14. Si parentum alter ad aliam confessionem transeat, proles, quae septimum aetatis annum nondum expleverunt, secundum sexum sequuntur religionem parentis ad aliam confessionem transeuntis.

§. 15. Proles ante matrimonium natae sed per subsequens matrimonium legitimatae iisdem quoad religionem subsunt normis, quae pro prolibus legitimis stabilitae sunt.

§. 16. Proles extra coniugium genitae, proin illegitimae, si per patrem pro suis recognoscantur, normis legalibus prolium legitimarum subiacent; secus religionem matris sequuntur.

§. 17. Quoad proles e matr. mixtis ante hanc legem in lucem editas ea legis norma praebet cynosuram, quae occasione nativitatis ipsarum vim habuit.

II. Lex de causis divortialibns matr. mixtorum. §. 1. Causae divortiales matr. mixtorum, quatenus vinculum matrimonii et divortium temporaneum, aut solutionem vinculi concernunt, coram foro competente rei suscitandae, et sententia desuper lata, postquam in rem iudicatam abivit, ad summum intra 30 dies ad forum actoris ex officio transponenda est: quod forum vicissim feret quoad actorem sententiam. Quamlibet coniugum partem duntaxat illa obligat sententia, quae a proprio competente foro iuxta principia propriae suae confessionis perlata est. §. 2. In causis matrimonialibus vincularibus apud Catholicos Romani et Graeci Ritus, porro apud Graecos Orientales, item Transilvanos Aug. et Helv. Confessionis, et Unitarios actualia Consistoria Ecclesiastica sunt fora competentia; apud Evangelicos Aug. et Helv. Conf. in Hungaria fora civilia. (Ex Actis Comitiorum.)

1067.

Instructio pro Clero Curato in nexu novarum legum per Primatem Regni dimissa. 1868.

Duae in ultimis Regni Comitiis latae sunt leges, Religionem et Ecclesiam proxime concernentes, quas nosse, et circa quarum materiem incumbentes sibi obligationes probe tenere oportet ven. Clerum Curatum. Lex una definit reciprocam inter legitime receptas in regno christianas confessiones relationem, lex altera stabilit iudicatum in controversis mixtorum matrimoniorum causis. Lex prior disponit de transitu ex una ad aliam confessionem, porro de mixtis matrimoniis, proliumque ex illis progenitarum religiosa educatione, item de dominicis ac festis diebus, denique de coemeteriis. — II. Ut novellaris legis circa mixta matrimonia dispositionibus respondere valeant sacri Curiones, sequentia observabunt: Matrimonia mixta ternis vicibus denuncianda sunt; per se patet, nonnisi illa, quibus praevie iam cognitum quodpiam dirimens impedimentum, v. g. ligaminis, vel ordinis, aut voti solemnis non obstat. Lex civilis mixtorum matrimoniorum denunciatio-

nem diserte praecipiens apud nos adusque non extitit, nihilominus illa promulgari poterant, et etiam promulgata fuerunt. Quamvis enim Ecclesia Catholica a mixtis matrimoniis abhorreat, illorum tamen promulgationem sive denunciationem, sicut ipsa etiam mixta matrimonia tolerare maluit. Signanter apud nos proclamationes mixtorum matr. institui posse, ex Instructione S. Sedis Apost. iussu die 30 April. 1841 ad AEppos et Eppos Hungariae exarata oppido liquet. Lex itaque novellaris, quae promulgationes sive denunciationes mixtorum matr. tam in Ecclesia partis catholicae, quam in Oratorio partis acatholicae fieri decernit, decreto hoc nihil disponit, quod esset disciplinae apud nos de iure vigenti adversum: circa modum denunciationes idmodi matrimoniorum instituendi nihil mutandum, sed tenendus est modus ille, qui hucdum obtinuit ad exigentiam Instructionis sub 16 Nov. 1840 *) dimissae. Promulgationes matrimoniorum Ecclesia quidem e gravissimis rationum momentis urget, maxime vero ideo, ut impedimenta matrimonialia facilius detegantur, et invalida matrimonia praepediantur. Quamvis autem stricta sit parochi obligatio, legem Ecclesiae de bannis nuptialibus latam observandi, nihilominus proclamationes ad solemnitates essentiales matrimonii non pertinent. Nihil igitur a iure alienum statuit lex novellaris decernendo, quod ad mixtum matr. contrahendum sufficiat, promulgationes factas fuisse in uno loco, si nimirum in alio loco is, ad quem pertinebat, illas etiam provocatus facere detrectaverit, hocque ipsum testes scripto testimonio comprobaverint. De institutis proclamationibus, si petantur, extradandae sunt testimoniales literae, (lex civilis dimissionales dicit) in quibus, dummodo nullum adsit dirimens impedimentum, id solum enuncietur, quod peractis tribus denunciationibus nullum tale impedimentum, ob quod matrimonium inter hos desponsos valide contrahi nequiret, detectum sit, nihil ultra addendo, unde consensus vel approbatio sacerdotis testimonium dantis subinferri posset, prout Instructione die 20 Ian. 1845 **) edita constitutum est. Non facile eveniet casus, ut parochus per-

*) Cf. Operis nostri de Matr. Mixt. T. II. 728. Mon 375.

**) Vid. eiusd. Op. Tim. III. 525. Mon. 613.

actis promulgationibus testimoniales literas exarare detrectet. Quodsi tamen casus iste accideret, e dispositione novellaris legis literas idmodi exarare detrectantem parochum vel ministrum duo desponsorum testes accedent, eum ad extradandas testimoniales literas provocaturi, quas si is nunc quoque denegaverit, ab uno testium ad dandum catenus responsum ultro provocabitur, utrum impedimentum quodpiam circa intentum matrimonium denunciatum fuerit nec ne? Super dato vel denegato responso testes testimonium dabunt, quod dimissionis vicem plene supplebit. Quod lex novellaris ultro statuit, nimirum ut parochus vel minister denunciatum sibi matrimonii impedimentum reticens, praeter poenam disciplinarem a concernente ecclesiastica potestate dictandam insuper multa pecuniaria usque summam 500 fl. et carcere, qui ad sex usque menses protendi possit, plectatur, confidimus in Domino, nullum unquam futurum esse catholicum sacerdotem, qui his poenis se dignum reddat. Lex enim Ecclesiae quae praecipit, ut detecta vel denunciata impedimenta matrimonii ad superiorem deferantur, sub gravi obligat; cui non propter iram sive poenam, sed propter conscientiam promtissimum exhibendum est obsequium. Mixta matrimonia, si illis nullum obstet impedimentum praeter vetitum mixtae religionis desponsorum, tam coram parocho partis catholicae, quam coram pastore partis acatholicae valide contrahi posse nemini apud nos ignotum est. Dum igitur lex novellaris hoc idem declarat, nec quidquam novi statuit, nec quod in disciplinam Ecclesiae apud nos vigentem impingat.

III. Gravissimam mutationem introduxit lex novellaris circa educationem prolium e mixtis matr. progenitarum. Articulo 26: 1790 §. 15 statutum fuit, ut proles ex mixtis matr. susceptae, si pater catholicus fuerit, illius religionem sequi obligentur, si vero mater fuerit catholica, tunc proles masculae patris religionem sequi possint. Articulus 3: 1844 nihil plane circa praecitati articuli dispositionem mutavit. Lex novellaris decernit, ut proles e mixtis matr. progeneraudae, filii quidem patris, et filiae matris religionem sequantur, et quosvis huic dispositioni contrarios contractus, quasvis contrarias ordinationes, aut reversales pro invigorosis coram iure

declarat. Lex eadem porro disponit, quod stabilitam sic religiosam prolium educationem nec mors, nec vinculi matrimonialis dissolutio alterare valeat. Eandem porro normam praescribit quoad religiosam educationem prolium per subsequens parentum matrimonium legitimatarum, quemadmodum etiam quoad religiosam educationem prolium extra matrimonium progenitarum sive illegitimarum, si illae a patre pro suis recognoscantur, quae secus in religione matris educandae erunt. Declarat lex, quod parentum altero ad aliam religionem transeunte proles, quae nondum septimum aetatis annum attigerunt, iuxta sexum susceptam parentis fidem sequantur. De infantibus expositis, vel quorum parentes generatim non noscuntur, disponit lex, ut ii in religione illorum educentur, a quibus adoptantur, si vero ad hospitium huiusmodi parvulis sustentandis destinatum recepti fuerint, hocque hospitium sit alicui confessioni proprium, in hac confessione, si denique neutrum horum obtineat, in illa religione educentur, quam maior pars incolarum in loco, quo infans repertus est, profitetur. Haec sunt, quae lex civilis de educatione prolium e mixtis matr. progenitarum disponit; partem tamen catholicam, quae mixtum matrimonium contrahit, coram Deo et conscientia gravis manet obligatio, omnes proles in catholica religione educandi. Adusque catholica omnium prolium educatio obtineri ac in tuto locari poterat; cum enim civilis lex patris catholici in mixto matrimonio viventis omnes sine discrimine sexus proles in catholica patris religione educandas iusserit, patris vero acatholici masculas proles in acatholica patris confessione educari non praeceperit, sed duntaxat permiserit, catholicae sponsae non fuit adempta occasio obtinendi, ut omnes proles in catholica religione educentur. Post hanc legem obligationi huic, quam Deus et Ecclesia imponit parentibus, satisfacere ad mixta connubia convolaturi aegre poterunt. Unde consequitur, quod catholici fideles sine manifesta conscientiae suae laesione huiusmodi matrimonia inire haud possint; si tamen non obstantibus parochi monitis talia matrimonia contraxerint, sibi omnino tribuendum habeant, quod benedictionem nuptialem impetrare non valeant, quae impertiri nequit nisi iis, qui conditionibus ab Ecclesia prae-

stitutis satisfaciunt, quarum praecipua est, securitas de omnibus prolibus in catholica religione educandis. Ob defectum huius de omnium prolium catholica educatione securitatis mixtis matrimoniis benedictio in Ecclesia impendi nequit; fieri nihilominus poterit, ut matr. mixtum coram parocho catholico contrahatur, qui sponsis volentibus matrimonio passive assistet, cuius passivae assistentiae praestandae modum praescribunt Instructiones die 22 Iul. 1840 et iterum die 16 Nov. e. a. *) editae, quarum reliquae etiam dispositiones, quae nimirum ad Sacramenti Poenitentiae dispensationem, et impertiendam mulieri post partum benedictionem referuntur, ad amussim observentur, est necesse. Si vero desponsi ab acceptanda passiva assistentia prorsus alieni forent, et ad illam declinandam non obstantibus parochi monitis ministrum evangelicum fine contrahendi coram ipso matrimonii adire mallent, in hoc suo proposito impediri non possunt, prout nec adusque poterant, quandoquidem matr. mixta etiam coram ministro partis evangelicae valide apud nos ineuntur.

— VI. Alia lex ad iudicatum in causis divortialibus ac vincularibus mixtorum matr. refertur. Ecclesiae Catholicae de hoc obiecto doctrinam dogmatice definivit SS. Conc. Tridentinum Sess. 24. can. 12: ‚Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit.' Quae quidem definitio etiam causas matrimoniales mixtae religionis desponsorum respicit. Mirum proinde non est, dictamine etiam Articuli 26: 1790 §. 17 causas matrimoniorum tam eorum, quae iam tempore, quo illa inita sunt, mixta erant, quam etiam eorum, quae alterutrius partis ad sacra catholica transitu mixta effecta essent, cum utrobique de veri nominis Sacramento agatur, Sedibus Catholicorum Spiritualibus apud nos delatas fuisse. Per novellarem legem pro huiusmodi causis cognoscendis ac decidendis duplex forum stabilitur, pro parte nimirum catholica spirituale catholicum, pro parte vero acatholica forum illud, ad quod causae matrimoniales

---

*) Cf. Operis nostri de matr. mixt. T. II. p. 727 et 728. Mon. 374 375.

acatholicorum pertineat, quod apud nos in Hungaria forum civile est. Sententia itaque in foro spirituali catholico lata normam constituit pro solo catholico coniuge, sententia vero in foro civili pronunciata controversam causam dirimet tantum pro coniuge acatholico. Suapte intelligitur, forum spirituale secundum principia Ecclesiae Catholicae, civile vero forum secundum principia acatholicorum propositam causam cogniturum ac decisurum esse. Unde sequitur fieri facile posse, ut matrimonii vinculum sententia fori civilis dissolvatur, in foro autem catholico non dissolvatur, quandoquidem acatholici pluribus e causis matrimonii vinculum dissolvant, pro catholicis autem stet illud Domini: quod Deus coniunxit, homo non separet. Videant itaque catholici in mixtis connubiis viventes, aut posthac victuri, cuinam periculo matrimonium suum remque suam familiarem obiiciant. Non iam ipsis opitulabitur impedimentum ligaminis, quod adusque mixta etiam matrimonia affecit, atque impedivit, quominus acatholicus coniux divortium sive totale sive partiale aliis e causis sollicitare potuerit, quam quae etiam catholicae parti divortii petendi ius tribuerunt. Vinculi matrimonialis securitas pro parte catholica non amplius firmis Ecclesiae Catholicae principiis innititur; liberum enim est acatholicae parti divortium suis e principiis sollicitare. Sententia quidem in foro non spirituali catholico lata catholicum coniugem non obligat. Hinc tamen parum aut nihil consolationis in ipsum redundabit, quandoquidem pars acatholica, soluto pro eadem per forum suum vinculo e causis, ob quas illud pro parte catholica solvi nequit, libere ad alias nuptias convolabit, catholica parte vinculo ligata manente. Haec cum ita sint, DD. Curatorum erit, curae suae creditum fidelem populum de tenore praecitatae legis edocere, ne nimirum ullum Catholicorum lateat, deteriorem redditam esse conditionem partis catholicae in matrimonio mixto viventis, quam illa stante §. 16 art. 26 : 1790 fuerit.

Si unquam alias, nostris profecto diebus ad summas catholici populi indigentias pertinet, ut sedulo ac solide de matrimonio instituatur, quod docente S. Thoma (in IV. dist. 26.) institutum fuit in officium naturae in statu innocentiae,

deinde illi in statu naturae corruptae additum fuit, ut esset in remedium, et tandem in lege nova a Christo institutum fuit in Sacramentum. Hoc magnum in Christo et in Ecclesia (Eph. 5, 12.) matrimonii Sacramentum purissimi aeternique amoris mysterium exprimit, quo Christus dilectam e proprio latere efformatam Sponsam, Ecclesiam nempe, non habentem maculam neque rugam prosequitur. Itaque ne a filiis Sanctorum celebretur matrimonium more gentium, quae ignorant Deum, sacri Curiones frequentius edoceant fideles, quanta sit eiusdem Sacramenti dignitas, atque praestantia, ut ita non humanam duntaxat aliquam rem se aggredi existiment, sed divinam, in qua singularis mentis integritas et animi pietas requiritur; cumque difficile sit bono peragi exitu, quae malo sunt inchoata principio, (can. Principatus Caus. 1. q. 1.) moneant nupturientes, ut sacramentum et mysteria, quae in illo abduntur, prae oculis habentes, a peccatis omnibus emundati nuptias celebrent, quas in sanctificatione et honore habendas esse (6 Thess. 4, 4.) ab ipsa fide edocemur. Inprimis ad doctrinam Ecclesiae Catholicae de mixtis matrimoniis proponendam omni cum zelo, omnique cum patientia incumbant Sacri Curiones, ut fidelibus constet, illa ab Ecclesia Catholica non approbari, sed ad praecavenda graviora scandala ac mala nonnisi tolerari; ut probe teneant, cuius reatus se participes faciant, huiusmodi nuptias cum violatione sanctionum canonicarum contracturi, cui periculo se futuramque sobolem committant, et quae sunt similia. Ne autem haec ipsa institutio optato careat effectu, inculcare non desinent Sacri Curiones fidei articulum de catholicae fidei atque unitatis necessitate ad consequendam salutem. Excitetur fidelis populus ad catholicam fidem atque unitatem tamquam ad unicam salutis viam ardentiori usque studio custodiendam, atque adeo ad omne illius deserendae periculum vitandum. Quae quidem catholicae unitatis tenendae necessitas ubi fuerit impressa in cunctis fidelium animis alteque defixa, haud facile deinceps irrita erunt monita, adque adhortationes, quibus ipsos avertere conabuntur Curati ab idmodi matrimoniis. (Gregorius XVI in Brevi ad Epp. Bavar. dd. 27 Maii 1832.) — Datum Strigonii, die 30 Dec. 1868.

B. Monumenta Transsilvanica.

a) Ad historiam matr. mixt. usque a. 1853.

1068.

Decretum Gentilis Cardinalis Legati in Hungaria adversus matrimonium mixtum inter filiam Vaivodae Transsilvani et filium Regis Serviae schismaticum, a. 1309.

Frater Gentilis etc. — Inter desiderabilia cordis nostri nil magis nostro accedit affectui, quam ut fidei catholicae puritas ubique terrarum, sed praecipue in terris et locis Legationis ipsius, in quorum aliquibus multum exorbitare dicitur fides ipsa, ad Dei gloriam, S. R. Ecclesiae, nostrique iucunditatem affectus ampliari valeat, ac macula pravitatis haereticae de terris et locis eisdem, quae pravitatis ipsius plurimum infecta noscuntur, per sollicitudinis nostrae studium deleatur; per huiusmodi namque macula irretitos eorumque scientiam seducentem mundus inficitur, et gregi fidelium per oves morbidas gravior infligitur corruptela. Ad notitiam siquidem nostram olim, dum adhuc Zagrabiae moraremur, ante nostrum adventum Budam, veridica relatione perlato, quod inter nob. virum Ladislaum Waiwodam Transsilvanum et D. Stephanum Regem Serviae tractatus habitus fuerat de filia ipsius Ladislai, catholica quidem et ex catholicis orta parentibus, filio Regis eiusdem a praefatae fidei devianti rectitudine matrimonialiter copulanda. Nec attendentes, quod non erat decens nec expediens, ut filii obedientiae cum inobedientiae filiis per alicuius coniunctionis commercium miscerentur, cum per hoc de facili posset ipsorum obedientium fidei sinceritas violari, nostraque interesset super his tam in dictae favorem fidei, quam ex officii praefati debito de opportuno remedio providere, praefatum Ladislaum excitandum amice, fraterne rogandum ac exhortandum caritative duximus semel et pluries, dantes ei nihilominus, prout requirebat eiusdem officii debitum, per nostras literas in mandatis, ut praefato matrimonii tractatui supersedens, dictam filiam

suam eiusdem Regis filio matrimonialiter nequaquam copulare praesumeret, quousque illo faciente, qui non vult mortem peccatorum, sed ut magis convertantur et vivant, praefati Rex et filius suo regnique ipsorum salubri statui, divina eis assistente gratia consulentes redirent ad ipsius Ecclesiae unitatem, ac ipsos contingeret, quod nostro mediante studio (quod sperabamus in brevi) veram fidem, quam profitetur docet et praedicat mater ecclesia, sinceris mentibus profiteri, et extunc memorato Ladislao et catholico cuilibet absque divinae maiestatis offensa suaeque detrimento animae licitum erat ac liberum amicitiae, societatis vel parentelae foedus contrahere cum eisdem. Cumque postmodum ad praedictum locum Budae, divina nobis assistente clementia, venissemus, de Concilii consilio et assensu statuendum duximus et etiam inhibendum, ut nullus dictae Legationi subiectus praesumeret de cetero alicui haeretico, Patareno, Gazaro, schismatico vel alii fidei christianae contrario, maxime Ruthenis, Bulgaris, Rasis et Lictuanis in errore manentibus, filiam, neptem vel consangvineam suam connubio tradere vel modo aliquo copulare. Qui vero dederit, vel danti consenserit, aut ex proposito et scienter huiusmodi scelestibus nuptiis adstiterit, mulier etiam data vel tradita, quae eisdem consenserit, cum per hoc in christianam religionem scissuram et maculam ponere satagat, ac per hoc haereticae pravitati favere, eo ipso excommunicationis mucrone percussum se noverit et ecclesiastica sepultura privatum. Et si infra mensem post publicationem huiusmodi sententiae faciendam per dioecesanum corde contrito et humiliato non redierit ad ecclesiae unitatem, de tanta iniuria irrogata nomini christiano ac fidei orthodoxae condignam satisfactionem et debitam impensurus, extunc contra eum tamquam contra fautorem haereticorum et ipsius inimicum fidei procedatur iuxta sanctiones canonicas et civiles. Verum quia saepedictus Ladislaus huiusmodi constitutionibus, inhibitionibus, exhortationibus et praeceptis contumaciter obturans auditum, ac nobis contemtu superbo inobedientiae tergum vertens, aversa penitus a Ierusalem facie et in Iericho conversa, per viam, qua inciditur in latrones, nec bona regalia, quae occupata detinet, infra designatos in Constitutione terminos restituere ac resignare, nec a complemento dicti matrimonii

desistere ac supersedere curavit, quamvis snper his pluries monitus, et post eosdem terminos diutius expectatus, patientia benignitatis nostrae, qnae ipsum ad obedientiae promtitudinem ac poenitentiae salnbre consilium reduxisse debnerat, abusus est temere, imo qnodammodo in derisum: non ergo videntur hae culpae tam faciles et contemtus, in quibus culpa non sit, et praesidentis damnanda desidia, eas conniventibns oculis pertransire, quia eins infamis impunitas non solum in alios praefati regni nobiles, sed in generationes fnturas praesumtuosam audaciam similium prorogaret: nos igitur attendentes, qnod — Christi Vicarii, et sncessoris apostolorum principis vices praesentialiter gerimus, cuius apostolatus officinm noscitur ad ultionem omnis inobedientiae divinitus praeparatum, ut in laudem bonorum proficiat poena malorum, praefatum Ladislaum, constitutionum huiusmodi contemtorem, propter suam inobedientiam et contumaciam manifestam denunciamus poenas et sententias in eisdem contentas constitntionibus incurrisse, ipsam videlicet excomm. sententiam, eiusque vasallos — fore a qualibet sui fidelitate ac homagio absolutos, et ipsos aliosque dicto Ladislao — adhaerentes vel dantes auxilium — excomm. vinculo innodatos, et ipsorum morientium corpora, si ante debitam satisfactionem decesserint, eccles. sepultura privata, et contra saepedictum Ladislaum propter dictum contractum matrimonium ad poenam huiusmodi in Constitutione expressam — procedendum. — Datum Posonii VIII Kal. Ianuar. a. 1309. — Theiner Monnmenta Hnngarica. Rom. 1859. I. 823.

1069.

Decretum Iosephi II Imp. de causis matr. acatholicorum, etiamsi pars una catholicam amplecteretur religionem, iuxta principia religionis, in qua matr. initum fuit, pertractandis. 1787.

Sua Maiestas SSma medio altissimi Rescripti Aulici dd. 5. Iul. a. c. emanati clementer determinare dignata est, ut in casibus, in quibus Acatholici secundum quidem praescriptum suae religionis matrimonium contraxerunt, postea tamen alter-

utra pars catholicam amplecti religionem vellet, hoc non obstante iuxta principia illius religionis, in qua matrimonium initum fuit, processus divortiales institui debeant, et subseque etiam ad realem matrimonii dissolutionem procedi possit. — Cibinii e Regio M. P. Trans. Gubernio 21. Aug. 1787.

1070.

Eppus Transilvaniensis praevium decretum Clero suo notum reddit. 1787.

Quomodo iubeat Sua Maj. SSma causas matrimoniales acatholicorum exinceps pertractari, etiamsi alterutra contrahentium pars durante processu divortiali catholicam amplecti religionem vellet, intelliget DVestra perspicue e ben. Rescripti Regii e germanico idiomate in latinum translati copia, quam in adversa harum mearum Circularium pagina describi feci. Ad partes igitur muneris DVestrae pertinebit, huiusmodi ordinationem regiam districtualibus suis parochis debito modo notam reddere, ut eo magis attenti sint in casibus matrimoniorum deinceps contrahendorum, praecipuamque suam curam convertant ad matrimonia disparis religionis, quae semper iuxta principia catholicae religionis contrahantur, neque apostatas cura sua destituant, qui vel quae coram sacerdote catholico matrimonia inierunt. — Alvincii, 24 Sept. 1787. Ignatius Eppus Trans. Comes de Batthián. — (E Tabul. dioec. Transilv. N. $^{820}/_{1787}$.) — Decreti istius Regii vigor alio Regio decreto, per Gubernium Reg. 28 Maii 1789. intimato suspensus, resque tota in statu quo permanere iussa est. — (Ex eodem Tabulario N. $^{251}/_{1789}$.)

1071.

Eppus Transilvaniensis sub Comitiis a. 1791 Regio Gubernio exhibet declarationem Catholicorum de apostasia et mixtis matr. 1791.

Ut nomen et actio apostasiae tollatur, facili negotio consentirent Catholici, nisi inde manifeste sequeretur, liberum ad

13*

alias tres a Catholica alienas religiones transitum admitti. Hunc autem liberum transitum admittere principia Religionis Catholicae prohibent; unde eo minus in articulum eatenus propositum consentire possunt, quo certius sibi persvasum habent, de lege principiis suae Religionis adversante neque sermonem esse posse, utpote cum in generali decreto Tripartito Prol. tit. 6. articulum adversus divinam et canonicam legem ferri cautum sit: et similiter Approb. Const. part. 1. tit. 1. art. 3. fidei et professionis fundamenta et articulos quoquo modo tangere vetet; neque perspiciunt (Catholici), quale argumentum in rem hanc ex Approb. Const. P. 1. tit. 5. art. 4. deduci possit, cum ibi transitus ad illas religiones admittatur, apud quas reconciliatio obtinet, quae in Ecclesia Catholica nec viget neque viguit; sed etiamsi contra clarum articuli intellectum aliquid inde adversus Catholicos confici quiret, omnem tamen vim articulo citato velut Catholicae Religionis principiis adversantem et ideo praeiudiciosam sustulit art. 7. a. 1744: quare in casum illum, quo propositus articulus in seriem reliquorum contra spem suam scriberetur, desiderant clausulam dissensum suum manifestantem ipsi articulo subnecti.

Eadem est mens Catholicorum de altero articulo intuitu copulationis et divortiorum seu causarum matrimonialium proposito. Quemadmodum enim in usu vitae civilis omnem fraternam caritatem reliquarum religionum asseclis libenter exhibent Catholici, ita in Sacramentorum administratione, qualis est copulatio matrimonialis, communicationem admittere Catholicae Religionis principia vetant. Eadem Sacramenti ratio exigit, quaestionem de Sacramento obortam a tali iudice cognosci, qui Sacramentum perficere et possit et velit, et cuius sententiam utraque pars salvis suae religionis principiis sequi valeat; quod in casu divortii, ubi valide contractum matrimonium sententia iudicis rescinderetur, fieri non posse manifestum est illi, cui dogma catholicum de indissolubilitate matrimonii valide contracti notum est. — Claudiopoli, die 8 Aug. 1791. — (E Tabul. dioec. Transilv. N. 234/1792.)

1072.

Repraesentatio Regii Gubernii Transilv. in eodem merito ad Regiam Maiestatem. 1791.

Occasione revisionis Articulorum per systematicam deputationem in religiosis proiectatorum tam inter ipsos fideles Status et Ordines, quam etiam inter Regium SS. Maj. Vestrae Gubernium intuitu liberi ex una religione ad aliam transitus, necnon intuitu copulationis diversarum a catholica religione personarum in contrahendis per catholicas personas cum illis matrimoniis, revisionis item causarum matrimonialium inter has diversae religionis personas matrimonii vinculo coniunctas subversantium certa suborta fuerat inter Catholicos et aliam a Catholica religionem receptam profitentes differentia, in eo consistens, quod diversam a catholica religionem profitentes Status et Ordines articulum super eo inductum legum patriarum proiectari ursissent, ut sublata poena apostasiae et sex etiam hebdomadarum instructione liber ex una recepta ad aliam religionem transitus cuivis absque omni ulteriori provisione libere indulgeatur; copulationes vero inter diversae religionis personas peragendae per utriusque matrimonium inire volentium personarum parochos peragantur; in causis demum et differentiis matrimonialibus inter talismodi personas suborituris actor sequatur forum rei. Cuius intuitu Catholicae Religionis Status et Ordines formando articulo ex eo assentiri nequiverunt, quod, etsi poena apostasiae cum sexhebdomadali altissime praescripta instructione abroganda veniret, liber tamen transitus a Catholica Religione ad aliam principiis Religionis Catholicae adversaretur, atque ideo articulo proponendo hanc Catholicorum declarationem eo addito inseri postularunt, ut de eo provideatur, ne transitus a Catholica ad aliam Religionem temere fiat; intuitu copulationis autem personarum catholicarum cum aliis diversam a catholica religionem profitentibus personis, revisionisque causarum matrimonialium inter talismodi diversae religionis personas suborturarum fideles Status et Ordines Catholici eam obmoverunt difficultatem, quod, cum matrimonium secundum principia Reli-

gionis Catholicorum Sacramentnm sit, sacramenti administratio parochis diversarum a catholica religionum, matrimonium pro sacramento non agnoscentium, haud competat, consequenter eisdem nec copulatio, nec causarum matr. revisio relate ad cath. religionis personas concedi possit. In hac animorum contentione et dissentientium opinionum collisione, tentata licet amicabili inter Religiones compositione, conciliari nulla ratione queuntium, Status et Ordines dissentientibus Catholicis ab articuli quidem conficiendi proiecto praescindendum esse invenerunt, ast conclusum praedeclarato diversam a catholica religionem profitentium desiderio conforme formarunt, conclusi diaetalis effectum dissolutis Regni Comitiis sortiturum. Cum autem parte ex una secundum benignam Divi Imperatoris Iosephi II sub 28 Ian. 1790 emanatam, et per Sacr. Maj. Vestram sub 14 mensis Martii eiusdem anni cum aditu gloriosi sui regiminis clementer confirmatam Resolutionem cuncta negotia ecclesiastica usque ad regni Comitia in statu quo relinquenda, ex his autem praevie SS. Maj. Vestrae pro Regia Resolutione substernenda esse veniant, nec aliquid proprio facto immutari possit; parte vero ex altera benignissimae super praemissis momentis editae Resolutiones longe ante annum 1780 emanassent, adeoque etiam Revocatorii illius Rescripti terminum praecessissent, hinc praesentem differentiam Augusto SS. Maj. Vestrae conspectui pro benignissima decisione humillime substernere vel ex eo necessarium esse invenimus, quod non sine fundamento vereamur, ne Regio Gubernio praevigentibus antea ordinationibus insistente aliqua inter edendas emergentibus casibus pro circumstantiarum ratione per Regium Gubernium dispositiones, et praevium Statuum conclusum suboriatur differentia. — Claudiopoli, 13 Sept. 1791. — (E Tabul. dioec. Transilv. N. $^{224}/_{1792}$.)

1073. 1074.

Eppus Transilvaniensis in eodem merito ad Regiam Maj. 1792.

1073. Mala, quae Religionem Catholicam, populum meum atque ipsum etiam munus Eppale circumstant in Provincia,

provocarunt sollicitudinem meam, ut ad Maiestatis Vestrae oraculum refugere atque demississimis precibus medelam efflagitare debeam. Verum esse non diffiteor, Religioni Catholicae fundamentales leges patriae parem cum aliis receptis religionibus praerogativam adstruere; sed recte scopulus hic est, ad quem aliarum religionum asseclae offendunt, et parum iam abest, quod ex principio aequalitatis Religionis non exigant, ut idem cum ipsis sentiamus, sacra cum iis nobis communia sint; cum tamen aequalitas praerogativae in eo minime sita esse possit, ut quod uni religioni proprium est, alteri illud etiam usurpare liceat, ad liberum exercitium ego revoco aequalitatem hanc ita, ut sicut Helv. vel etiam Aug. Confessioni addictis cultum suum respectu suorum moderari licet, ita plane catholicis integrum erit divina sua iuxta principia suae religionis ordinare. Relationem si dicatur habere aequalitas illa praerogativae ad ipsa principia Religionum, haec pro locorum diversitate diversa esse oportebit; ita ubi Catholici potiores erunt, aliarum religionum asseclas ad sua principia pertrahere poterunt, et vicissim! recte igitur hac ratione laederetur aequalitas iurium religionum, quam tamen instar fundamentalium legum, quae videlicet mutationem non admittunt, considerandam esse innuunt leges nostrae; principia ergo religionum libera esse debent. Atque inde perspicuum iam est, illud a nobis frustra praetendi, ut a Religione Catholica ad aliam quamcunque liber admittatur transitus: quia haec libertas transitus principiis Religionis nostrae obstat; quamdiu itaque aequalitas praerogativae Religionis iuxta leges nostras sarta tectaque servabitur, transitus admitti non poterit, et si admittatur, in lege fundamentali praerogativae suae laesam se merito ingemiscere deberet Religio Catholica. Plura hanc in rem congessi argumenta, quae Maj. Vestrae de genu substerno. Praesidium his ferunt etiam illa, quae Status Catholicus, dum nobis invitis illi (acatholici) articulum condere meditabantur, in sua declaratione tam de libero transitu admittendo, quam etiam de modalitate in copulatione atque cognitione causarum matrim. deinceps stabilienda et servanda Inclytis Statibus porrecta adduxit. Quanto ferventius haec a nobis praetendebantur, tanto ardentius Maj. Vestrae SS. debeo invocare auctorita-

tem, velut in qua eodem vinculo religionis iuncta populus catholicus una mecum ideo etiam fiduciam suam collocat, quod gloriari possit, Augustissimam Domum Austriacam se habuisse non tantum religionis consortem, verum etiam protectricem, praeterea ad fidelitatis suae nunquam interruptae possit provocare meritum.

Urgent autem hi (acatholici) non solum liberum ad alias religiones transitum, verum alia multa, quae principiis Religionis nostrae obstant. Ita volunt, ut in matrimoniis disparis religionis minister etiam ipsorum adsistat. Quod tamen admitti nequit: sicut enim in divinis cum illis communicare integrum non est catholico, exigentibus id principiis Religionis Catholicae, ita recte assistentiam Ministri abhorrere debent catholici. Conscripsi in hoc praetensionis punctum Motiva, ex quibus recte infero, in matrimoniis diversae religionis principia religionum consideranda esse, eaque sic tantum salva manere posse, si illa observentur, quae strictiorem iniungunt obligationem contractui; iamvero notum est, matrimonia rite contracta Sacramenta, et velut talia indissolubilia esse, atque inde arctiorem superinducere obligationem. Quomodo igitur assistet Minister, qui ex adiecta conditione contractui matrimoniali, ipsum reddit solubilem, et ex principiis Religionis Catholicae periculo nullitatis exponit matrimonium. Ex his plane principiis neque cognitionem causarum matr. mixtae religionis ad eos pertinere posse aio. Debent enim contractus ex iisdem principiis rescindi, ex quibus nati sunt; contractus ergo matrimonialis etiam in matr. mixtae religionis ex principiis Religionis Cath. velut iuxta quae coaluit, rescindendus erit. Difficultas non magna fuisset, ex his principiis eruere, proles ex mixtae religionis matrimoniis natas catholice educandas esse. Quia tamen etiam e Catholicis fuerunt nonnulli, qui hac in parte indifferenter asseruerunt, educationem illam posse admitti ita, ut sexus sequatur sexum, demississimas iungo preces, ut Maj. Vestra SS. proles tales Religioni Catholicae eripi non sinat, verum adinstar gloriosae recordationis Antecessorum suorum catholice educandas committat. Patiuntur hanc rerum conversionem ipsae leges patriae, quas multiplices vicissitudines subiisse etiam in rebus minus periculosis

ostendo. Periculosum vero nimium est, eos libertatem usurpare, quam legibus sub Principibus Nationalibus in praeindicium Catholicae Religionis latis sibi adsertam adstruunt, eoque cupiunt reverti, postquam solemni sanctione legis novellaris Religioni Catholicae praeiudiciosa omnia abrogata sunt. Origo huius mali clara est: posteaquam enim illi articulum de libero transitu condere non valuerunt in Comitiis praeteritis, Catholicis clausulam salvantem ad calcem subnectentibus, conclusum Diaetale formarunt, virtute cuius se ad tempora conditae legis Approbatilis P. 1. tit. 5. art. 4. reposuerunt, incassum reclamantibus Catholicis; cui neque alias religiones, Lutheranam videlicet et Unitariam consensisse simpliciter effectus docet, quippe qui Catholicos ad se transire cupientes absque instructione non ita passim prout Reformati faciunt, admittunt. Verum quidem est, usu obtinuisse, ut Conclusa Diaetalia vim etiam ante Confirmationem Regiam nanciscerentur olim; id tamen tunc duntaxat obtinere potuit, dum Conclusa in conformitate manifestarum legum fiebant. Si autem in illis etiam casibus, ubi vel de explicanda lege, vel de lege dubia formanda aut etiam nova condenda agitur, valere possint Conclusa Diaetalia, articulus novellaris IX a. 1744 suo frustrabitur vigore, superflue scribentur articuli, supervacanea erit sanctio regia. Accedit, quod lex dissentientibus catholicis scribi non potuerit, neque Conclusum vigorem habere valeat. Per incolumitatem itaque Religionis Catholicae demississime obsecro, dignetur Maj. Vestra in auxilium avitae Religionis suae exurgere, et finem imponere libertati, quae habentes conscientiam bonam etiam naufragare facit in fide; cum modica pernicies irrepsit in populum, amplius haec serpit, serpetque, nisi auctoritate comprimatur. Plura exempla in hanc rem contraxi, quae in hodiernum diem habere potui. Patet ex his, nihil iam ita sacrum esse posse, quod violari nequeat. — — Claudiopoli, 15 Febr. 1792. —

1074. Praecedenti Repraesentationi adnexa Motiva pro eo, quod de matrimoniis mixtae religionis in foro acatholicorum agi non possit. 1. Dum catholici cum acatholicis matr. contrahunt, veri nominis Sacramentum perficitur; de Sacramento autem pronunciare is utique non potest, qui ipsius Sacramenti existen-

tiam negat. 2. Ille Iudex interpellari non potest, cuius sententiam alterutra pars salvis religionis suae principiis sequi non potest; in nostro autem casu, ubi matrimonium valide contractum rescinditur a Iudice acatholico, pars catholica salvis suae religionis principiis sequi non potest sententiam iudicis; manifestum est itaque, quod iudex acatholicus in matrimonio mixtae religionis secundum sua principia procedere non possit. 3. Si in matr. mixtae religionis iudex acatholicus procedere posset, sequeretur, aut matr. mixta admitti non posse ullatenus, quod quidem exoptabile foret, et tam nostris quam adversae partis canonibus apprime conforme, aut catholicis impossibilitatem moralem, i. e. summam et maximam difficultatem imponi, religionem hanc sequendi; in casu enim divortii quoad vinculum pars acatholica quidem ad alia vota transiret, catholica autem pars inutilibus contabesceret desideriis, cum per nostra principia eidem non liceat aliud matr. contrahere, dum primum in ratione sacramenti validum fuit; unde consequitur, aut talem partem catholicam ad id, ut a religione sua deficiat, insuperabili hac difficultate urgeri et pene compelli, aut matr. mixtae religionis nulla fieri debere, quae alioquin per canones etiam Acatholicorum gravissime prohibentur. 4. Est etiam in natura rei positum, ut res quaevis per ea principia resolvatur, per quae facta fuit. Obvertitur quidem tum Unionis iuramentum, tum trita illa iuris paroemia: Actor sequitur forum rei. Sed haec nil officiunt. Nam quod attinet ad Unionis iuramentum, nihil ibi reperio, cui mea adversetur oratio; etenim iuramento illo quaevis religio sarta tectaque conservanda spondetur; ostendi autem nostram Cath. Religionem salvam esse non posse, aliae autem religiones salvae manent, cum nulla aliarum religionum iubeat virum ab uxore vel vicissim discedere, facto enim iudicis rescinduntur matrimonia in quavis alia religione; ex iuramento itaque Unionis potius sequitur, acatholicum iudicem iuxta principia suae religionis in matr. mixto pronunciare non posse. Trita autem illa iuris paroemia inoperose adducitur: forum enim quivis reus nanciscitur pluribus ex capitibus, utpote ratione territorii, ratione rei, et ratione personae; inde rite deducitur non sufficere, ut reus ad hoc vel illud forum pertineat, si res ipsa alteri foro subsit. Exem-

plum apertum et inelnctabile est in privilegio fori Ecclesiasticis competente; si enim actor sequi debet forum rei, quotiescunque Ecclesiasticus possessionem hanc vel illam sibi vindicaret, lite conveniendus foret coram Iudice spirituali, quod tamen nemo facile admittet. Quia itaque sacramentum, de quo agitur, ad forum catholicum pertinet, suapte consequitur, dici non posse, quod actore parte catholica sequi debeat forum, quod pars acatholica haberet, si non ageretur de re ad forum cath. pertinente. Denique praeteriri non debet, matrimonialem contractum esse sacramentum, adeoque ex implicito, vero tamen contractu partem acatholicam de foro, ad quod ex natura rei spectat sacramenti diiudicatio, pacisci. Quae omnia in illo etiam casu locum habere debent, ubi apud acatholicos catholicus cum acatholica contraheret matrimonium, i. e. quotiescunque veri nominis sacramentum perficitur. — (Ex **Tabul. dioec. Transilv.** N. $^{234}/_{1792}$.)

1075.

Eppi Transilvaniensis declaratio erga Resolutionem Regiam de re religionis et matr. mixtorum editam. 1792.

Si de eo duntaxat quaestio verteretur, an benignum hoc Rescriptum Regium publicandum sit: sat perspicuum foret, illud per Circulares literas eatenus exarandas publicandum non esse, tum ideo, quod illud pro directione duntaxat Regii Gubernii editum videatur, tum ideo, quod illud diversis interpretationibus obnoxium futurum sit, ex quibus magni animorum motus subsequi possunt, imbecillesque animae assiduis Helv. Conf. ministrorum conatibus inductae crederent liberum esse transitum. Non vanum esse hunc metum meum perhibet non tantum exemplum H. Vickiense, verum complura alia, quae Maiestati Suae SS. de genu repraesentavi, ad quae me provoco. Superveniunt fere quotidiana parochorum lamenta super apertis sollicitationibus, quibus Catholicos circumvenire satagunt suprafati ministri. Sic proxime evolutis diebus Minister Abrudbányensis in ecclesia ex ambone proclamavit liberum esse transitum, et aliquibus persvasit etiam. Nec mihi

motus hi inexpectati fuere, postquam supremum Helv. Conf. Consistorium sub poena suspensionis ab officio et condignae animadversionis praecepit ministro Vickiensi, ut deficere volentes, et quidem illos ipsos, de quorum sexhebdomadali instructione Regium Gubernium iam praeceperat, ad coenam sui ritus admitterent; quod exemplum secutae synodi partiales non animare solum sed praecepto etiam urgere suos non dubitarunt. Ex his, inquam, rationibus facile foret concludere, Rescriptum Regium publicandum haud esse, nisi ipsi huic Regio Gubernio dubium obortum esset, quid iuxta tenorem Rescripti in casibus specificis ordinandum sit. Mihi quidem videtur, totum religionis negotium in statu anni 1780 per hoc Rescriptum relictum esse, dum Maj. Sua Regia dicit: ‚praeexistentes patriae leges editaeque in earum conformitate quoad negotia religionis altissimae Resolutiones in decidendis evenientibus casibus pro norma observentur'. Nullam enim hactenus videre mihi licuit altissimam Ordinationem usque ad a. 1780 editam, quae contra leges esset. Constat enim 1. ex art. VII a. 1744, explanationem libertatum et iurium quoad religionis negotium ad iura maiestatica referri. Manifestum id est e verbis: ‚et haec omnia sensu diplomatum et subsecutarum Resolutionum C. R. intelligantur'; genuinus ergo sensus iurium et libertatum religionariarum ex diplomatibus et Resolutionibus Regiis repetendus est; quod tanto evidentius est, cum 2. initio statim aditi in Transilvania imperii ius hoc explanandi exercuerit Augusta Domus; quod ex diplomatibus constat, ubi differentia inter Catholicos et Acatholicos subversans supremo oraculo decisa definitaque fuit, et decisionem definitionemque sibi reservavit, exinde vero in hoc usu eadem Aug. Domus semper perstitit, cui invictum pondus adiecit lex novellaris nunc allegata. 3. In legum conformitate editas fuisse usque ad a. 1780 altissimas Ordinationes patet, si illas, quae nunc in quaestionem vocantur, penitius inspiciamus. Et quidem a) liberum a catholica Religione transitum vetantes apprime conformes sunt legibus. Gloriosae enim recordationis Carolus VI a. 1732 die 11 Dec. statuit, ut desultoriae fidei homines ‚animadversionem poenamque a nobis statuendam incurrant', quae Resolutio Regia per art. VII a. 1744 in publicam legem evecta fuit.

Vidit hoc Regium Gubernium, atque ideo a. 1748 relabentes poena periurii plectendos unanimi omnium voto pronunciavit; eo securius autem pronunciare id poterat R. Gubernium, cum Approb. Const. P. 1. tit. 5. art. 4. non tam indulgeat transitum, quam temere illum fieri vetet, illum nempe qui vel iurisdictionis vel poenae declinandae, aut repudiandae coniugis causa fit; qui tamen ipse articulus si forte Religioni Catholicae praeiudicaret, per art. VI et VII anni nunc memorati 1744 vigore destitutus fuit. Hinc videre non possum, quomodo Resolutio Iosephina allegari queat, cum illa articulo VII a. 1744 derogare non potuerit; non possum etiam facile mihi persvadere, quod eadem Dominis diversam a Catholica Religionem profitentibus arridere possit, quibus vigore illius ordinis pro receptionis praerogativa oblata fuit Tolerantiae gratia; quam itaque Resolutionem si valere vellent, confiteri cogerentur totum systema religionis nullo iam legum praesidio nixum ad meram gratiam recidisse. b) Quod in matrimoniis Catholicorum cum Acatholicis catholicus semper parochus assistere debeat, praecepit quidem felicissimae recordationis Princeps Maria Theresia; in quam tamen legem offenderit, non reperio; si enim lex Approbatalis supracitata statuit, ut nullus alterius religionis sponsos copulet, de mixtis hic matrimoniis sermo non est; et nos utique sponsos Helv. vel Aug. Conf. asseclas aut Unitarios non copulamus; sed neque de his mixtis matr. sermo esse poterat, cum de talibus sponsis sermo sit, apud quos reconciliatio Ecclesiae ab infideli coniuge praestanda in more est, cuius usum Ecclesia Catholica non habet. Nullam talem legem extare ipsum R. Gubernium perhibet, sub hodierno hoc in merito submissa relatione sua. Accedit, quod licet nos a fide nostra alienos diligere debeamus ut fratres errantes, communio tamen in divinis vetita sit per Religionis nostrae sancita; si autem haec Ministri acatholici matrimonio praestanda assistentia communicatio in divinis non sit, non reperiemus certe ullam communicationem in divinis. c) Activitas causas matr. mixtorum in foro catholico ecclesiastico semper cognoscendi pariter in nullam legem peccat, quia necessaria est sequela art. VI et VII a. 1744. Quod enim maius praeiudicium potest catholicae fidei inferri, quam si pars catholica illi

foro adstare deberet, cuius sententiam salvis religionis suae dogmatibus sequi nequit; nos enim indissolubilitatem matrimonii valide contracti credimus et profitemur; quomodo ergo poterit sequi pars catholica sententiam iudicis acatholici, matr. validum ob infidelitatem alterutrius coniugis, absentiam, dissensiones rescindentis? Ex adverso contra nos illud unum obtenditur, quod actor sequi debeat forum rei; forum autem reus ex pluribus capitibus nancisci potest, utpote spectata re ipsa, de qua agitur, ratione territorii, et ratione personae; unde consequitur, rei forum non semper ex persona rei desumendum esse, sed ex re ipsa, de qua contentio orta est. Exemplum apertum et ineluctabile est in privilegio fori, quod Ecclesiasticis etiam ex lege patria competit. Licet enim persona ecclesiastica forum habeat ecclesiasticum, si tamen de re ad forum seculare pertinente, qualia sunt bona possessionaria, agatur, actor certe non sequitur forum rei, seu rectius loquendo reus obtinet forum seculare, et illi adstare debet. Cum itaque matrimonium sit Sacramentum, et Sacramenta ad proprietatem Ecclesiae Cath. pertineant, procul dubio pars acatholica quoque sortietur forum illud, ad quod pertinet Sacramentum. Quam quidem declarationem instar voti separati et Protocollo inseri et Maj. Suae SS. penes relationem Regii Gubernii submitti peto. — Claudiopoli, die 7. Maii 1792. — (E Tabul. dioec. Transilv. N. $^{134}/_{1792}$.)

1076.

Regium Gubernium Transilvanicum cassat sententiam fori Unitariorum in causa matr. mixti pro divortio pronunciatam. 1798.

Eppo Transilvaniensi. Erga repraesentationem Excellentiae Vestrae de 6 pr. m. Iunii comperto eo, quod R. Catholicus Georgius Iszlai citra receptam altissimis Resolutionibus Regiis, et signanter de 25 Octobr. 1792 Nr. 6504 circulariter publicatam praescriptam sexhebdomadalem instructionem ad coetum Unitariorum receptus, per Synodum partialem a Barbara Csernatoni, eotum aeque R. Catholica, cum qua per Plebanum Szász-Regéniensem matrimonii vinculo iunctus

fuerat, divortiatus esset: Supremo Consistorio Unitariorum commissum extitit, ut partiali Synodo Marusiensi matrimonii invalidationem severissime, et sub comminatione gravioris animadversionis exprobret, simulque observantiam altissimarum Resolutionum Regiarum in substrato emanatarum sub propria responsabilitate sibi subordinatis Ministris serio inculcet; praeterea autem Universitati Sedis Siculicalis Marus iniunctum habetur, ut in sequelam ordinationis sub 25 Aug. 1797 Nr. 5222 exaratae sub propria concernentis Vice-Iudicis Regii responsabilitate provideat, quo memoratus Georgius Iszlai ab illegitima cohabitatione cum moderna sua uxore porro quoque separatus vivat, simul vero idem non tantum ad subeundam sexhebdomadalem instructionem, sed etiam ad prosequendam causam suam matrimonialem coram foro ecclesiastico Rom. Catholico invietur. — E Regio M. P. Trans. Gubernio Claudiopoli, die 28 Iunii 1798. — (E Tabul. dioec. Transilv. N. 585/1798.)

1077.

Resolutio Regia de matr. mixtorum copulatione et causarum matr. mixtor. cognitione. 1802.

Sacr. C. R. Maiestatis nomine Gubernio intimandum: Innotuit Suae Maj. SSmae, quod transeuntes a Religione Rom. Catholica ad alias ab eadem diversas in Magno Trans. Principatu lege receptas religiones, sine praescripta praevia sexhebdomadali instructione recipiantur; Catholici cum sponsa acatholica per parochos acatholicos copulentur; matrimonia ritu catholico contracta per fora acatholicorum ecclesiastica dirimantur, et partes ad alia vota transire permittantur, si vel una pars acatholica sit, aut ab Ecclesia R. Catholica ad aliam receptam transeat, idque in obversum tum dogmatum Ecclesiae R. Catholicae, quae in ductu etiam articuli novellaris 53 a. 1791 salva esse debent, tum benigni Rescripti Regii dd. 29 Aug. 1792 sub num. 3372 editi, et altissimam mentem et voluntatem Regiam in alio sub 7 mensis Aprilis eiusdem anni num. 1295 emanato expressam uberius declarantis; et huic

quidem benigno Rescripto eo sub praetextu contraveniatur, quod a parte supremorum Consistoriorum Helv. et Aug. Conf. necnon Unitariae religioni addictorum relate ad praecitatum ben. Rescriptum R. altissimo loco remonstratio a. 17(?)4 substrata fuerit. Cum autem praeattacto ben Rescripto Regio diserte declaratum ordinatumque fuerit, ut interea, donec auditis Statuum et Ordinum desideriis circa differentias in Comitiis a. 1791 idcirco obortas publica lex per benignam confirmationem Regiam desuper sanciatur, ex Religione Catholica ad aliam receptam transire volentibus, antequam recipiantur, sexhebdomadalis instructio per sacerdotem catholicum impertiatur; copulationes vero personarum catholicarum cum diversae religionis personis matrimonium contrahentium per parochos catholicos peragantur; causaeque et differentiae matrimoniales inter catholicas et diversae religionis personas emergentes cognitioni catholicorum fororum ecclesiasticorum substernantur; per adductam vero Consistoriorum trium receptarum a Catholica diversarum religionum remonstrationem praecitato ben. Rescripto Regio nullatenus derogari, sed neque per Resolutionem praedictis Consistoriis sub 15 Sept. 1794 Nr. 3659 isthinc datam effectus illius suspendi potuerit: hinc quemadmodum altefata Sua Maj. SSma hunc altissimis suis ordinationibus adversantem, et in derogamen dogmatum Ecclesiae R. Catholicae vergentem procedendi modum summa displicentia intellexit, ita Gubernio Regio serio iniungi clementer praecepit, ut praeattactas altissimas ordinationes Regias sine respectu ad remonstrationes in obversum factas vel deinceps faciendas illico publicas reddat, et debito ac adaequato earum effectui ac implemento quam exactissime invigilet. Noverit proinde Gubernium Regium praeattactas altissimas ordinationes universis Iurisdictionibus indilate publicare, effectuique illorum etiam per Officiales Iurisdictionum Politicarum invigilare; et cum scire intersit, qua ratione et per quas Iurisdictiones publicatio harum altissimarum Ordinationum a. 1792 instituta fuerit? desuper sine mora suam horsum adaequatam relationem submittere. — Datum Viennae die 9 Sept. 1802. — (E Tabul. dioec. Transilv. Nr. 513/1802.)

1078.

Eppus Transilvaniensis praeviam Resolutionem intimat ADiaconis cum opportuna instructione. 1802.

Ad tollendos abusus in recipiendis absque instructione Catholicis ad aliam aliquam religionem transire volentibus; in iungendis aut dissolvendis matrimoniis Catholicorum cum personis alterius religionis, per ecclesiasticos diversarum a catholica religionum non raro his annis commissos, qualis a Regia Maiestate Resolutio ad Exc. Reg. Gubernium edita, et per hoc omnibus Iurisdictionibus publicata sit, ex accluso exemplo perspici potest. Quare ADiaconi, Parochi, aliique Curati omnem, qui in obversum Altissimae huius Resolutionis commissus est, aut deinceps commissus fuerit, casum ad officiales Iurisdictionum prius referent, et remedio non obtento mihi significabunt, relatione documentis ita firmata, eaque certitudine, forma et urbanitate concinnata, ut tam coram Exc. R. Gubernio, quam coram Augusta Aula cum decore ac pondere comparere possit. Porro matrimonia, quae a personis catholicis cum parte acatholica illegitime his annis contracta sunt, a proprio partis catholicae parocho coram idoneis testibus revalidentur; quem in casum, nullo alio subversante impedimento, in denunciationibus et diversitate religionis hisce praevie dispenso. Ubi autem facto illegitimo divortio partes ad alia vota transiissent, recursu de arcendis ab illicito convictu talibus coniugibus ad officiales Iurisdictionum sumto, et effectu haud secuto, res ad me, ut iam innui, deferatur. Hortor demum omnes animarum curatores in Domino, ne pravis exemplis, asperitate, avaritia, et negligentia institutionis christianae fidelibus ab Ecclesia Cath. desciscendi ansam praebeant, ut instructionem petentibus in caritate, mansvetudine, ac patientia praebeant, aliarum religionum ministris, omnibusque universe Acatholicis eam humanitatem, benevolentiam, et moderationem exhibeant, ex qua omnes intelligant, Dei Omnipotentis rem hic geri, nec nos vindictae aut eminentiae studio agi. — Claudiopoli, 8. Dec. 1802. (Sub priore num. T a b. d i o e c. T r a n s i l v.)

1079. 1080.

Eppus Transilv. Nic. Kovács datis ad Eppum Csanádiensem Romae in causa matr. mixtorum agentem literis, enunciat: se doctrinae per Praesules Hungariae propositae adhaerere. 1841.

1079. Cum stupore et resensu intelligo, in Ephemeridibus Augustanis ‚Allgemeine Zeitung' dd. 12 Mart. a. c. infundatam illam contineri declarationem, quasi Eppus Transilvaniensis se a corpore Epporum Ecclesiae Hungaricae in magni momenti quaestione de mixtis matr. segregasset, et Pastorales literas ad Clerum suum dioecesanum dimisisset, iniungendo illi, ut in obiecto mixtorum matr. unice et strictissime tenori legum patriarum se conformet. Ideo necessitatem mihi impositam esse video, coram Excellentia Vestra et universo Ecclesiae Hungaricae Clero palam et sincere declarandi, mihi numquam venisse in mentem, passum illum damnabilem, qui medio praeattactarum publicarum pagellarum per summam iniuriam mihi appingitur, facere, quinimo palam confiteor, actu quoque me venerando Epporum R. Hungariae corpori relate etiam ad mixtorum matr. obiectum arctissime adhaerere, neque Pastorales provocatas ad Clerum meum unquam dimisisse, sed id tantum iniunxisse, ut Ecclesiae doctrinam de mixtis matr. quibus in Transilvania catholicus sacerdos non ex lege, sed tantum virtute Altissimarum Ordinationum assistit, nervose exponendo corda fidelium praeparent ad Ecclesiae Catholicae doctrinam intuitu celebrandorum mixtorum matr. absque renitentia amplectendam. Unde ergo potuerit Redactor dictarum ephemeridum summe iniuriosam suam relationem accipere, et temeraria audacia divulgare, concipere non possum; idcirco ad honorem meum salvandum scandalumque per saepefatum redactorem causatum tollendum contradictionem meam publicis pagellis inferri curare, taliterque redactorem mendacii arguere in proposito habeo. Interea Exc. Vestram fraternis orare sustineo precibus, dignetur SS. Pontifici Domino nostro genuinum huius obiecti statum sincere aperire. — Claudiopoli, 26 Mart. 1841.

1080. Responsum Eppi Csanádiensis. Eadem ipsa die, qua Exc. Vestrae dd. 26 Mart. a. c. ad me dimissae literae mihi redditae sunt, pertigerunt isthuc etiam eae ephemeridum Augustanarum pagellae, quibus reclamatio in obiecto mixtorum matr. nomine Exc. Vestrae suscepta continetur. Quae prius hoc in genere publicae privataeque relationes de Exc. Vestra temere vulgarunt, isthic non videntur innotuisse; certe Beatissimo Patri nil hucdum de iis constitisse inde tute possum debeoque coniicere, quod omni fere occasione, dum me benigno Eius conspectui sisto, concordiam eximiamque universorum nostrorum Praesulum constantiam exquisitis soleat celebrare laudibus, specialem alioquin de Exc. Vestra reflexionem facturus, si quid sibi horum, quae de Exc. Vestra circumferebantur, quocunque demum fonte innotuisset. Equidem D. Praelatus et Vice-Secretarius Status Cappaccini in decursu habiti mecum die hesterna sermonis ex me, quid sparsis de Exc. Vestra rumoribus subsit, quaesierat: horum tamen omnem notitiam non prius, nec aliunde, quam ex ipsa praeattacta reclamatione videtur habuisse, quem etiam mox quietum reddidi. Libenter etiam pro singulari meo in Excell. Vestram cultu desideriis Eiusdem apud Summum Pontificem satisfacturus sum, quamvis existimem, sermonem de hoc obiecto non esse mihi de industria arcessendum; cum, ut superius attigi, nil eatenus ad notitiam Snae Sanctitatis pervenisse videatur. Loquar de cetero etiam cum Emin. Cardinali Status Secretario, certamque esse cupio Exc. Vestram, me isthic in propugnanda Eiusdem existimatione omne id diligenter acturum esse, quod a me mea distincta in Eandem observantia sanctiorisque collegii nostri necessitudo iure deposcit. — Romae, 23 April. 1841. Ios. Lonovics, E. Csanád. — (Ex Tabul. dioec. Trans.)

1081. 1082.

Exempla Sententiarum in Consistorio Alba-Carolinensi in negotio matr. mixtorum coram acatholicis ministris conciliatorum pro nullitate matr. perlatarum.

1081. I. Sententia ex a. 1844. Die XI Aprilis 1844 in causa matr. Iuliannae Mariae Vajda contra Georgium Posztós e clandestinitatis impedimento vertente, deliberatum est: Literalibus in causa praesente documentis anctoritate indiciali procuratis, rite collatis et evolutis, comperiri: 1. Actricem Mariam subinde Iuliannam compellatam Vajda, e mixto Michaelis Vajda Helv. Conf. addicti et Indithae Szabó R. Cath. matrimonio natam, etsi baptismatis fonte sacro per dictae Confessionis Ministrnm Bodolaënsem abluta fuerit, in Rescripti de a. 1781. 8 Nov. et art. 57: 1791 sequelam tamen catholicam genitricis et antea et nunc R. Catholicae Religionem sequi oportuisse, pro certoque seqnutam fuisse; 2. hoc tamen haud obstante memoratam Actricem per suos et alios adversus Approb. Constit. Part. et Tit. 1. art. 8 reductam per eiusdem Conf. Ministrum Bodolaënsem Davidem Demeter citra sexhebdomadalem institutionem, legibus patriis de a. 1751 et 1791 pro iis, qui catholicam religionem deserunt, praescriptam, ad Confessionem Helveticam traductam, et in Approb. Const. P. I. tit. 5. art. 4. violationem temerariam illegaliter cum sponso Georgio Posztós Helv. Conf. addicto copnlatam existere, testimonio quippe matriculari per copulantem illegalem edito; 3. Actricem interim conscientiae remorsibus actam, et sic passus huius infausti poenitentia ductam, a clandestini mariti sui consortio recessisse, ac, ut in Ecclesiae Cath. sinum reciperetur, suppliciter oravisse, huc autem observatis ritibus ad casus tales necessariis et praescriptis, receptam esse; oblatam contractus huius illegalis coram parocho proprio revalidationem e concepta invicem alienatione recusasse, solutionem vero vinculi anxie ab utraque parte petitam esse. Quoniam vero matrimonia contra rectum ordinem Ecclesiae auctoritate stabilitum attentata legibus tum divinis quum humanis nulla et irrita declarantur, prout id ‚Canoni Videtur II Caus. 35. qu. 6.' conformiter Conc. Trid. Sess. 24. c. 1. de ref. matr. notum reddit;

Colomannus autem Rex Hung. lib. 2. c. 15. matrimonia clandestina non coniugium sed opus fornicationis vocat; Rescripta demum Regia de 29 Aug. 1792 Nr. 7504, et 6 Oct. 1802. Nr. 9417 matrimonia huiusmodi clandestina pronunciant: ideo Iuliannae Vajda et Georgii Posztós coniunctionem quasi matrimonialem citra parochi sponsae catholicae proprii consensum aut cessionem (translatione huius ad Helv. Conf. ob praeliminarium praescriptorum contemtum in Iure haud suffragante) velut clandestinam ab initio iam invalidam de reg. Iuris 64 in VI-o ‚quae contra ius (irritans) fiunt, debent utique pro infectis haberi,' auctoritate iudiciaria quoque legibus patriae nixa nullam et irritam pronunciari; actricem autem sententiae huius in sequelam putato hoc ligamine solutam edici, et ad nuptias faustius in Domino celebrandas admitti. — (Ex Tabulario dioec. Transilv. Nr. $^{426}/_{1844}$.)

1082. II. Sententia ex a. 1845. Die 7 Aug. 1845 in causa summaria vinculari Iosephae Mayer viduae catholicae cum Georgio Fejér Helv. Conf. addicto viduo Coronensi copulatae e clandestinitatis impedimento vertente deliberatum est: Etsi matrimoniorum indemnitati leges tam divinae quam humanae prospicere non intermiserint, hominum tamen in vetitum nitentium obluctatione fit, ut instituta saluberrima quaevis non raro infringantur; quod in Iosephae Mayer coniunctione cum Georgio Fejér intervenisse comperitur: etenim 1. Actrix a nativitate catholica, solum in copulationis cum Incatto praesumtae procinctu traducta est ad Conf. Helveticam, prout id Minister Bikfalvensis describit; iamvero leges patriae pro iis, qui a religione cath. desciscere et ad Confessionem aliquam abire volunt, de a. 1751 et 1791 in articulis fidei sexhebdomadalem instructionem apud concernentem parochum cath. sustinendam praescripserunt, et si tunc etiam in proposito perduraverint, dimissionem scripto dandam concluserunt, passibus in contrarium interpositis non solum pro nullis verum etiam animadversioni obnoxiis declaratis; 2. Exponens memorata subinde facti sui illegalis poenitentia tacta, passusque sui ad matrimonium illegitime cum Incatto contractum praesumti perversitatem expiatura in maternam Ecclesiae Cath·

sinum recipi supplex petiit et impetravit; 3. Incattus autem in litis contestatione suae cum Actrice coniunctionis illegalitate imo invaliditate agnita et scripto declarata, eandem iudicialiter etiam declarari oravit. Atque hinc actricis amplius memoratae Iosephae Mayer catholicae cum Incatto Georgio Fejér Helv. Conf. addicto copulationem ab indigitatae Confessionis Pastore citra parochi sponsae dimissionem illegitime peractam velut clandestinam ab initio iam invalidam, a Colomanno Rege l. 2. c. 15. ductu Can. Videtur. II. caus. 35. qu. 6 ,opus fornicationis' vocatam, insuper et benignis Rescriptis Regiis de 29 Aug. 1792 Nr. 7504, et 6 Oct. 1802. Nr. 9417 clandestinam perque consequens invalidam enunciatam, ab initio non subsistentem de reg. Iuris 64 in VI-o ,quae contra ius (irritans) fiunt, debent utique pro infectis haberi', auctoritate iudiciaria quoque nullam et irritam pronunciari, sieve prolium e coniunctione hac natarum sub cura matris educandarum, sed per patrem providendarum et intertenendarum obligatione adiudicata, restitutionibusque mutuis ambobus iniunctis, Actricem sententiae huius in sequelam putato ligamine solutam edici, et ad nuptias faustius in Domino celebrandas admitti. — (E x Tabul. dioec. Transilv. Nr. $^{803}/_{1845}$.)

---

b) Monumenta Transilvanica ab a. 1853—1868.

1083.

Eppus Transilv. (Lud. Haynald) ad Guberuium C. R. de copulationibus matr. mixtorum per ministros acatholicos factis. 1853.

Am 6 Febr. 1850 ist in Seligstadt in der evangelischen Kirche durch den evang. Geistlichen ein zur kath. Pfarre in Grossschenk gehöriger Katholik A. B. mit S. Z. evang. Confession ehelich getraut worden. Auf die Anfrage des Grossschenker r. k. Seelsorgers, wie diese Trauung gegen die bestehenden Verordnungen vorgenommen werden konnte? antwortete der erwähnte evang. Geistliche mit folgenden Worten eines Circular-Erlasses der evang. Superintendentur dd. 27

Oct. 1849: ‚die Gleichberechtigung unserer Kirche verlangt, dass in Zukunft bei gemischten Ehen, wie in andern freisinnigen Staaten, die Trauung in der Kirche der Braut vollzogen werde, wornach meine Amtsbrüder sich richten.‘ — Die vom Kaiser Franz I unsterblichen Andenkens im J. 1792 am 29 Aug. erlassene, bisher noch nicht aufgehobene Verordnung spricht im 2 Puncte ausdrücklich: ‚copulationes personarum catholicarum cum diversae religionis personis matrimonium contrahentium iuxta usum hactenus vigentem per parochos catholicos peragantur;‘ und nach dem canonischen Rechte werden die mit Umgehung des eigenen Seelsorgers, also clandestinisch geschlossenen Ehen für null und nichtig erklärt. Dass bei diesem Umstande der erwähnte Erlass des evang. Superintendenten ebenso rechtverletzend, als auch ungeachtet alles Berufens auf andere freisinnige Staaten und auf Gleichberechtigung mit den traurigsten Folgen für manche Brautleute verbunden sei, und den zwischen den in diesem Lande bestehenden Religions-Confessionen so nöthigen Frieden ganz willkürlich störe, darf nicht noch weiter auseinandergesetzt werden. Ich sehe mich daher bemüssiget, einerseits gegen die in einer clandestinen demnach ungültigen Ehe lebenden A. B. und S. Z. bei meinem Consistorium das durch die Kirchengesetze gebotene gerichtliche Verfahren einzuleiten; andererseits aber ein hohes Gouvernement zu ersuchen, es wolle Hochdasselbe dem evang. Superintendenten den Auftrag ertheilen, derselbe möge seinen Amtsbrüdern mit Annullirung seines oberwähnten Erlasses vom J. 1849 die genaue Beobachtung der Verordnung vom J. 1792 gehörig einschärfen, von der Trauung solcher Ehen, wo ein Theil katholisch ist, warnen, den Seligstädter evang. Geistlichen aber, der laut eigener Anerkennung das Kind des kath. Vaters taufte, der gebührenden Ahndung unterziehen. — Karlsburg, den 18 März 1853. — (Ex Tabul. dioec. Transilv. Nr. 369*b*./1853.)

1084.

Idem Eppus Clero intimat: matrimonia in foris acatholicorum soluta, in Ecclesia Cath. nonnisi post sententiam fori catholici pro solutis haberi posse. 1854.

Quum observatum a me fuerit, quibusdam animarum curatoribus non debite constare, quidnam in casibus illis, in quibus personae cuiuscunque sexus per ecclesiastica alienae a catholica religione confessioni addictorum fora a vinculo matrimoniali, quo tenebantur, iudicialiter solutae, sive religionem catholicam amplexae, sive cum personis catholicis matrimonium novum celebrare intendunt, agendum habeant? ad praefigendam stabilem, quae conscientiose observetur, normam declarandum habeo: nulli curatori animarum integrum esse, personam talem, quae qualescunque demum inter circumstantias matrimonio (per mortem alterius coniugis nondum soluto) illigata fuerat, ad novum matrimonium intra gremium Ecclesiae Cath. ineundum admittere, nisi Eppali vel Consistorii nostri sententia nullitas praefati coniugii enunciata fuerit; quare in casu illo, nupturientes tales sive impedimentum canonicum inter se intercedere praetenderint imo demonstraverint, sive sententiam fori ecclesiastici noncatholici de soluto vinculo, quo ligabantur, matrimoniali editam exhibuerint, negotium eorum et respective scripta ad me vel Consistorium meum, nullo casu excepto, deferenda erunt, ut informationem super eo, quid agendum habeant, recipere possint. Quo sanctius est vinculum matrimonii, quo gravior sacrilegii laeso ligamine sacramentali incurrendi reatus, eo religiosius cautela in supradictis praescripta observanda veniet. Albae Carolinae, die 10 Sept. 1854. — (Ex Tabul. D. Trans. Nr. 1664/1854.)

1085.

Eppus Transilvaniensis Clero suo pro cynosura intimat: Instructione Lambruschiniana anni 1841 in Transilvania non recepta, matr. mixta unice coram ministro acatholico inita porro quoque pro irritis ac nullis habenda esse. 1856.

Pagina 31 Novalium Cibinii lucem publicam conspicientium, quibus titulus ‚Transsylvania. Beiblatt zum Siebenbürger Boten', ut nomen ipsum indicat, pagellas cum Ephemeridibus officiosis sociatas constituentium, sub asterisco legitur Articulus, cuius prima verba sic sonant: ‚Das Breve des Papstes', citans tenores Instructionis Cardinalis Lambruschini, Brevi Pontificio 30 Apr. 1841 emanato additae, in qua eunnciatur, quod in casibus illis, ubi connubia per sponsos mixtae religionis ob denegatam (ex defectu cautionum de catholica prolium omnium genrandarum educatione et fide catholicae partis in tuto locanda) catholici parochi benedictionem coram acatholico ministro iniri intenduntur, Eppi pati possint, ut a parocho catholico proclamationes fiant, testimonialesve super his edantur, quibus munita pars catholica, si cum sponso suo acatholico (aut sponsa) coram acatholico ministro matrimonium inierit, hocce quidem illicitum, pro valido tamen habendum sit. Unde infert articuli illius Scriptor: Pontificem, quum in Instructione illa expressa Magni Principatus Transilvaniae mentio fiat, passivam assistentiam concedendo simul declarasse, quod etiam matrimonia mixta coram acatholicis ministris inita pro validis habenda sint. Ne universali hac inductione quisquam seducatur ad credendum, praxim talem in Transilvania quoque in praesenti rerum situ vi Instructionis Lambruschinianae vigere posse, attentionem Vestram et per Vos fidelium illorum, qui (sicut et apud me iam per nonnullos quaestio catenus mota fuit) per Vos informari nefors desiderabunt, aut indigebunt, eo dirigendam habeo: quod 1. Instructio Lambruschiniana praxim hanc neutiquam praescribat, sed nonnisi admittat, prudenti arbitrio Epporum relinquens, an saluti fidelium, quos regere a Spiritu S. positi sunt, pro locorum adiunctis introducendam hanc

praxim congruam autument, dicens: ,pati ipsos (Eppos) ulterius posse', nec dicens ,pati ipsos debere'. Huic genuino Instructionis Lambruschinianae sensui conformiter Eppi Ecclesiae Hungaricae pati voluerunt praxim illam, saluti fidelium suorum ea introducta magis consultum fore censentes; venerandus autem meus praedecessor Nicolaus (Kovács) Eppus, cuius memoria in benedictione est, praxim hanc pro singularibus Provinciae nostrae adiunctis se pati non posse indicavit: quare nec Lambruschinianam unquam in Dioecesi hac publicavit Instructionem; quod nec ego feci adusque, ut adeo illa vim aliquam apud nos habere non dignoscatur. Quum ergo Instructione hac apud nos non publicata nec in effectum abeunte, in lege Concilii Tridentini, praesentiam Parochi ad valide ineunda Catholicorum matrimonia (etiam mixta) requirente, in Transilvania dispensatum non sit, suapte sequitur: matrimonia mixta pro irritis et nullis habenda esse, si unice coram ministro acatholico ineantur. 2. Quum lex illa civilis, quae matr. mixta coram alio quam catholico parocho inita pro clandestinis, proin nullis declaret, revocata nondum sit, matrimonia talia civiliter quoque pro irritis et nullis habenda esse dubitari nequit. 3. Quod ipsum iudiciaria quoque apud nos praxis numquam non tenuit, per Consistorium meum pro nullis declaratis matrimoniis illis, quae dicta ratione inita fuerant. Quod pro cynosura porro quoque et eousque, donec Ecclesia et Status aliud simul sive proxime sive tardius statuerint, vobis serviturum dum significo, una ad praevertendos quosvis errores innuo, dictas Pagellas privatas plane esse, nec ex eo, quod officiosis pagellis iunctae prodeant, sensa Excelsi Regiminis vel semiofficiose pandere authorisatas, imo, prout legenti cuivis patulum est, in spiritu plane noncatholico redactas esse. — Albae Carolinae, 18 Mart. 1856.

1086.

Idem in eodem merito ad Consilium Locumtenentiale Transilv. repraesentat. 1856.

Ich war schon oft in der traurigen Lage, Einer hohen k. k. Statthalterei Übergriffe der hierländigen protestantischen

Geistlichkeit in die Rechte der kath. Kirche bei der Eingehung von Mischehen, zur Kenntniss zu bringen, welche jedoch bisher noch immer ungeahndet blieben. Auch unterm heutigen Datum Z. 1068 musste ich vor Hochderselben mehrere solche gegen die zu Recht bestehenden Kirchengesetze und allerhöchsten Verordnungen in Eheangelegenheiten ganz ungesehent ausgeübte Fälle beklagen. Aus diesen sich so häufig wiederholenden Übertretungsfällen glaube ich schliessen zu dürfen, dass mein Ansuchen vom 31 August 1855 Z. 2195, in welchem um die gefälligst anzuordnende Widerrufung der Circular-Verordnung des Herrn Superintendenten der Augsb. Confessionsgenossen vom 27 Oct. 1849 bezüglich der Nichtbeachtung der allerh. Verordnung vom 29 Aug. 1792 Z. 7504 wiederholt bat, bisher erfolglos blieb. Zu all' dem kam nun im Beiblatte des ämtlichen ‚Siebenbürger Boten' Transilvania 1856 N. 8. S. 30. 31. ein Artikel, in welchem mit Berufung auf die Lambruschinische Instruction geradezu behauptet wird, es sei auch die von einem nichtkatholischen Seelsorger geschlossene gemischte Ehe als giltig zu betrachten. Da solche Discussionen in einem Beiblatte einer ämtlichen Zeitung so Manchen auch in der Reihe der Katholiken Siebenbürgens auf die irrige Meinung führen könnten, als sei auch dieser Artikel wenigstens halbämtlicher Natur, hieraus aber arge Verwirrungen und Beirrung der Gemüther entspringen könnten, sah ich mich genöthiget, zur Orientirung der mir anvertrauten Geistlichkeit das abschriftlich anverwahrte Circular zu erlassen, in welchem dem wahren Sachverhalte gemäss auseinandergesetzt wird: 1. dass die Lambruschinische Instruction kein bindendes Kirchengesetz, welches nicht zu befolgen nicht gestattet wäre, sondern aber nur eine Instruction sei, welche noch geradezu erklärt, dass die Bischöfe es gestatten können, (pati ipsos ulterius posse) dass die Eingehung der Mischehe unter gewissen Bedingungen und mit Beobachtung des unter Einem vorgeschriebenen Fürgehens vor einem nichtkatholischen Seelsorger rechtsgiltig geschehe. Können die Bischöfe es gestatten, so können sie es auch nicht gestatten. Ja es werden in dieser Instruction geradezu die Bischöfe aufgefordert, ‚studiosissime instare' dass der katho-

lische Theil von der Eingehung der Ehe ‚coram acatholico ministro, quantum possint, absterreant‘. Demgemäss kann die Lambruschinische Instruction auch nur in Diöcesen Geltung haben, in welchen der Bischof, dem es freigestellt blieb jene Eingehungsart zu gestatten oder nicht zu gestatten, dieselbe seiner Geistlichkeit veröffentlicht und zu befolgen gestattet hat. In Siebenbürgen hat weder mein seliger Amtsvorgänger es gestattet, noch ich. Es bestehen demnach hierlandes noch immer die Bestimmungen des Trienter Conciliums in voller Kraft, und es wird auf Grund derselben die nicht ‚coram proprio parocho‘ geschlossene Ehe des kath. Theiles als nichtig betrachtet; 2. dass die allerh. Verordnung vom 29 Aug. 1792 Z. 7504, nach welcher ‚Copulationes personarum catholicarum cum diversae religionis personis matrimonium contrahentium iuxta usum hactenus vigentem per parochos catholicos peragantur‘ noch durch keine neuere entgegengesetzte civilrechtliche Verordnung aufgehoben sei, demnach auch nach dem Wortlaute des factisch bestehenden Civilgesetzes ‚matrimonium catholici coram ministro alterius licet receptae religionis initum clandestinum‘ ungiltig sei; 3. dass auf diesen positiven kirchlichen Gesetzen und weltlichen Verordnungen mein bischöfliches Consistorium die vor einem nichtkatholischen Seelsorger eingegangene Mischehe des kath. Theils als clandestin betrachtet und eben darum auf Trennung derselben zu Recht erkannt hat und erkennt. Indem ich dieses mein Circular Einer hohen Statthalterei (jedoch nicht mit Rücksicht auf die, nur die Vorlegung von Hirtenbriefen fordernden päpstlichen und Ministerial-Eröffnungen) vorzulegen die Ehre habe, kann ich nicht umhin, mein Bedauern darüber auszudrücken, dass eben in einer Zeit, wo in den bevorstehenden bischöflichen Conferenzen auch die Eheangelegenheiten einer reifen Berathung unterzogen, durch die neuen bald ins Leben tretenden Ehegesetze endlich geregelt werden sollen, und eben in dem Beiblatte der ämtlichen Zeitung einseitige Erörterungen gestattet werden, welche den gesetzlich zu treffenden Bestimmungen vorgreifen und zum Nachtheile der kath. Grundsätze, der zu Recht bestehenden Praxis Beirrungen veranlassen, die zur Aufrechthaltung des religiösen

Friedens unmöglich beitragen können. Und eben darum weiss ich nicht, ob Eine hohe Statthalterei aus Rücksicht hierauf, wie auch auf die noch zu Recht bestehenden gesetzlichen Verordnungen sich nicht veranlasst finden dürfte, zur Wahrung derselben und Hintanhaltung unangenehmer konfessioneller Reibungen eine Berichtigung des Irrigansgestreuten in das besagte Beiblatt der ämtlichen Zeitung hochgefälligst aufnehmen zu lassen. Indem ich noch die Hoffnung ausdrücke, es werde Eine hohe Statthalterei allen weiteren derartigen unliebsamen Missgriffen, sei es in den öffentlichen Zeitungen, sei es im Leben, gerechter Weise zu steuern wissen, benütze ich etc. Karlsburg, 18 März 1856. — (Ex Tabulario Dioec. Transilv. sub Nr. 1111/1856.)

1087.

Rescriptum S. Congregationis Negotiis Eccles. praepositae ad Eppum Transilvaniensem de matr. mixtis. 1856.

Maximo cum animi sui moerore SSmus Dnus Noster ex literis Dom. Tuae die 10 Maii proxime praeteriti Viennae Austriae datis non raro in tua dioecesi evenire intellexit, ut qui mixta coniugia secum contrahere exoptant impedimento dirimenti ob cons. vel affin. vinculum irretiti, dum necessariam dispensationem expostulant, conditionibus ab Ecclesia praescriptis praecipue quoad prolem in catholica religione educandam subiici nolint, et nonnumquam etiam ex denegata ob huiusmodi repugnantiam dispensatione partem catholicam a fide deficere contingat. Quodsi sermo sit de mixtis nuptiis per se spectatis, i. e. etiam quum nullum concurrat dirimens impedimentum, probe noscis, quantum ab iis abhorreat Ecclesia, et aegre tantummodo atque ad maiora vitanda mala sub quibusdam tamen sapientissimis conditionibus eadem toleret Apost. Sedes. Extremos vero indulgentiae ac tolerantiae limites, quos Ecclesia hac super re constituit, accurate exposuit Card. Lambruschinius in Instructione data die 30 April. a. 1841 ad AEppos et Eppos istius Hungarici Regni, quae in-

cipit ‚Memores officii'. Illud autem extra omnem dubitationem positum est, Sacros videlicet Antistites veniam concedere haud posse, ut praedicta mixta coniugia coram Ecclesia celebrentur, nisi ipsi in antecessum necessarias atque opportunas ad hoc facultates a S. Sede acceperint, et omnes insuper serventur conditiones, quae in Apostolico decreto seu Rescripto ipsis concesso praescribuntur. Iamvero inter has conditiones praecipua illa est, qua consulitur educationi totius prolis utriusque sexus in sanctitate catholicae religionis, a qua cautione praescindere nullatenus posset Ecclesia. Etenim permitti nullo in casu potest, ut in haeresi vel schismate prolis educatio fiat, quum id intrinsece malum sit. Ceterum laetor Tibi significare, validas haberi rationes, quae svadent, Apostolicam Maiestatem Suam actionem et vim legalem fore concessuram Reversalibus, quibus utriusque sexus prolis educatio in sanctitate cath. religionis aliaeque conditiones a contrahentibus promittantur. Quod vero spectat ad cons. vel affin. impedimentum in linea collaterali, quod in matr. mixtis contrahendis aliquando concurrit, perperam a nonnullis existimatum fuit, potestatem dispensandi ab eodem impedimento contineri in facultatibus, quae quinquennales audiunt. In his enim auctoritas unice fit dispensandi solum cum catholicis a tertio et quarto cons. vel affin. gradu, qui, ut pluries declaratum fuit, secundum minime attingat. Quapropter si quis eisdem facultatibus innixus dispensaret cum catholicis quidem, sed intercedente attingentia secundi gradus, vel etiam absque eiusmodi attingentia dispensaret partem catholicam a tertio vel quarto gradu in matr. mixtis, eiusmodi dispensationes forent irritae, ac propterea petere deberet a S. Sede sanationem coniugiorum, quae hac ratione fuerint contracta. Attamen praelaudata Sanctitas Sua prae oculis habens peculiares istius tuae dioeceseos circumstantias, duplex iussit edi Rescriptum, quorum altero tribueretur Tibi facultas dispensandi sub certis legibus et conditionibus ab impedimento mixtae religionis ad quinquennium, quo ad finem vergente eiusdem facultatis prorogationem petiturus significare curabis, quot ipso perdurante quinquennio dispensationes ipse concesseris pro mixtis nuptiis ineundis; quoad eas vero, quae hac-

tenus initae sunt absque ecclesiasticae auctoritatis permissione, quum ipsae illicitae duntaxat fuerint non tamen invalidae, nisi forte dirimens aliquod extitisset impedimentum, operam dabis, ut meliori qua fieri poterit ratione conditiones ab Ecclesia praescriptae suppleantur, quoties easdem omissas fuisse tibi constiterit. Altero vero ex memoratis Rescriptis facultas quoque tibi tribuitur dispensandi pro certo quodam casuum numero ab impedimento tertii et quarti gradus cons. et affin. in linea collaterali, quod in mixtis matr. forte concurrat. Haec autem facultas veluti fundamentum supponit aliam nuper expressam pro iisdem mixtis coniugiis permittendis, ac simul exigit, ut in singulis casibus, quibus dispensatio exposcitur, cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis. Quoad reliqua vero de iure servanda tuarum erit partium memoratae superius Instructioni anni 1841 ad amussim inhaerere. De cetero SSmus Dnus Noster eo libentius praedictas facultates Tibi largitus est, quo maiorem alit spem fore, ut pro tua prudentia ac pro zelo, quo duceris ad spirituale bonum gregis tibi commissi promovendum, in religionis et ecclesiae utilitatem sint cessurae. — Romae, ex Secretaria S. Congr. Negotiis Eccles. praepositae, die 20 Iunii 1856. Ioannes B. Canella. — (Ex Tab. dioec. Transilv. N. 2170/1856.)

1088.

Eppus Transilvaniensis Summo Pontifici repraesentat difficultates, quae Instructioni Lambruschinianae quoad matr. mixta a. 1841 editae, quominus ipsa in sua dioecesi in usum deduci valeat, obsunt. 1856.

Gravissimum mixtorum matrimoniorum, an coram parocho catholico, an vero etiam coram ministro acatholico apud nos valide ineundorum? negotium Sanctitatis Vestrae apostolicae determinationi filiali cum pietate ac fiducia substraturus, quaedam ad statum quaestionis huius in Transilvania vigentem clarius exhibendum facientia cum benigna Sanct. Vestrae venia praemittere humillime sustineo. In

Dioecesi Transilvaniensi Canones et Decreta SS. Conc. Oec. Tridentini inprimis a tempore restanrati per immortalis memoriae Imp. et Regem Apost. Carolum VI Eppatus Trans. in annum 1715 cadente, normativam totius vitae ac disciplinae ecclesiasticae regulam strictissime semper observatam et observari adurgam constituunt. Documento pnblico probare quidem nequeo, canones et decreta haec intra tempus et iuxta modalitatem per idem S. Concilium praescriptam in omnibus dioecesis Trans. parochiis solemniter publicata fuisse, quum ipsa Ecclesia Trans. Seculo XVI et XVII dire grassante per oras einsdem novarum haeresnm lue tristissimam praeseferret faciem, bona erecti a S. Rege Stephano Eppatus sub haereticis, quibus Transilvania tnnc parebat, Principibus secularisata, Eppus e Principatn exire et semialtero seculo exul esse iussus, Capitulum dispersum, multi sacerdotum inter vestibulum et altare occisi, pastores percnssi, oves vero in tantum diminutae fuerunt, ut Catholici, qui avitae fidei palam adhaerere auderent, solum in sic dicta terra Sicula gubernio Vicarii Eppalis subiecti, ac inter metum et spem viventes invenirentur; nt adeo publicati modo indicato Concilii Tridentini vestigia aevo illo frustra quaerantur. Nihilominns res facti est, C. Tridentinum in Transilvania pro publicato habitum, quoad omnia et universaliter acceptatum, ab Eppo Clero et populo pro observantia semper et ubique praescriptum, continuove usu observatum fuisse, ita, ut res fidei et mornm totave disciplina clericalis, ac in specie omnis res matrimoniorum ad illius doctrinam ac decreta exigerentur, sicque etiamsi modo supra indicato C. Tridentinnm publicatum non fuisset, id tamen, in quod pnblicatione intendebatur, Concilio in vitam deducto plene praestitum fuerit. Decretorum SS. Oec. huius Concilii liber in omnibns parochiis adest; Praesules Trans. quotquot difficillimum dioecesis huius regimen tenuerunt, canones et decreta eius in cunctis secuti sunt, servarique adurserunt; Sacri Curiones omnem pastoralem suam activitatem ad amussim huius Concilii exequuntur; fideles ad illud provocant; Clerus et populus prout auctoritatem eiusdem summa semper veneratione prosequebantur, ita illius observantiam cunctis temporibus contestati sunt.

Huius in Transilvania acceptati et continuo legali usu observati SS. C. Tridentini canonibus et decretis conformiter in specie matrimonia, de quibus nunc gravis mihi sermo est, inita, et quaevis causae illuc spectantes pertractatae sunt. Etenim, ut pauca adferam, Eppus dispensationem in bannis ab immemoriali tempore nonnisi cum clausula ‚ut cuncta a lege signanter a C. Tridentino decreta inviolabiliter observentur'; in impedimento cons. et affin. vero sub clausula ‚ut matrimonium iuxta formam SS. C. Trid. in facie Ecclesiae contrahatur et solemnisetur,' elargiri solet; Parochi in promulgandis et copulandis nupturientibus iuxta laudata decreta procedunt; partes lite agentes earumque Advocati in emergentibus processibus matrimonialibus pro cynosura allegationum suarum canones et decreta illa venerantur et adhibent; nec unice catholici id faciunt, sed schismatici quoque et haeretici, quoties contra coniuges suos catholicos ad invalidandum matrimonium ob impedimenta dirimentia, signanter etiam clandestinitatis procedunt, ad sanctiones C. Tridentini provocant, id ipsum observantes, quoties impugnatum a parte catholica matrimonii valorem sustentare nituntur; denique Consistorium Eppale ordinem iudicialem in sensu canonum et decretorum Tridentinorum concinnatum habens, quasvis sententias iudiciales ad praescriptum illorum conformavit semper, et actu quoque conformat. Et hoc quidem, ut iam innui, non tantum in matrimoniis, quae vocant, puris, sed etiam in sic dictis mixtis, quibus dioecesis haec, proh dolor! quampluri mum abundat. In contrahendis etenim mixtis matrimoniis Parochus proprius semper respectivus S. Curio catholicus fuit adeo, ut ubi matr. mixta per excessum coram acatholico ministro contracta fuissent, illa ceu clandestina ab olim habita fuerint, et in foro iudiciali catholico, si revalidatio coram proprio catholico parocho non succederet, e capite clandestinitatis pro nullis et irritis declararentur.

Quod sic Ecclesia Catholica in Transilvania decretis SS. C. Tridentini, pro publicato et obligante semper habiti, innixa praestitit, eam ab antiquissimis aevis sententiam secuta, quam doctissimus et piissimus Eppus Iosephus Mártonffy, qui primis quindecim currentis seculi annis hanc dioecesim

regebat, enunciavit: ‚est autem dogma disciplinare, et canon immutabilis religionis catholicae, ut hominis catholici matrimonium coram catholico parocho contrahatur, et quaestiones de matrimonio catholici hominis exortae a catholico foro ecclesiastico cognoscantur, neque ab hac lege catholicis recedere unquam integrum erit': id ipsum Ecclesia Catholica in Transilvania ad manifestum altissimarum ordinationum regiarum tenorem quoque facere potuit. Altissima enim ordinatio regia dd. 29 Aug. 1792 sub num. aul. 3392 edita, atque per Regium Gubernium Trans. sub num. 7504 publicata, nec hucdum contrariae legis civilis tenore abolita, diserte praecipit: ‚Ut copulationes personarum catholicarum cum diversae religionis personis matrimonium contrahentium iuxta usum hactenus vigentem per parochos catholicos peragantur;' atque declarat: ‚Catholici matrimonium coram ministro alterius licet receptae religionis, quam alteruter nubentium profitetur, initum clandestinum est.' Dixeram paulo ante, quod peculiarem attentionem sibi vendicat, ordinationem hanc nulla contraria lege civili in Transilvania abrogatam esse; quum lex a. 1844 in Comitiis Hungaricis art. 3. lata pro Transilvania nullum vigorem habuerit, nec in Trans. similis lex rigorosa lata aliquando fuerit. Ceterum lege illa C. Tridentini nil, quod novum fuisset, in praxim Ecclesiae Cath. circa matrimonia introductum fuerat: quum utique lege patria sub Colomanno Rege a. 1100 edita, signanter cap. 15 decretorum lib. II pridem iam statutum et ab olim observatum fuerit, ut omnis coniugalis desponsatio in conspectu Ecclesiae praesente sacerdote coram idoneis testibus, aliquo signo subarrhationis, et consensu utriusque fieret, aliter non coniugium sed opus fornicationis reputetur. Quam legem ecclesiasticae et civilis legis vim habere, ipso eius exordio ‚de desponsatione coniugali placuit S. Synodo', et receptione ad Corpus Iuris patrii hungarici demonstratur; vim autem obligantem retinuisse exinde apparet, quod nulla eccles. lege contraria subin abrogata fuerit.

Haec facies rerum quoad copulanda fundamento decretorum SS. Conc. Trid. matr. mixta in Dioecesi Trans. erat, dum a. 1840 et 1841 causa mixtorum matr. prout in Hungaria,

ita in Transilvania per Iurisdictiones seculares contra venerabilem chorum Epporum, negotium isthoc ex illicita, quae sensim invaluerat, praxi ad praescripta S. Matris Ecclesiae reducere intendentium, magno animorum motu agitaretur. Et quamvis nemini e venerandis Ecclesiae Hungaricae Antistitibus in hac causa difficilior provincia obtigerat, quam Eppo Transilvaniae, ubi Reversales de catholica omnium prolium educatione exigere lege publica, contractus in obversum initos nihil valituros declarante, diserte prohibitum fuit: grandaevus nihilominus piissimae memoriae praedecessor meus Eppus Trans. Nicolaus Kováts inter maximas adversitates, tribulationes, et angustias doctrinae Ecclesiae Catholicae de mixtis matrimoniis, quam datis ad Clerum suum sub 20 Aprilis 1841 pastoralibus literis, omnibus sacris Curionibus conscientiose sequendam proposuit, et inculcavit, firmiter inhaesit; cuncta mixta matrimonia coram S. Curione catholico, quem fundamento decretorum SS. C. Tridentini in Transilvania pro publicato et stricte obligante habiti proprium parochum merito suspexerat, et quidem in casu denegatae catholicae utriusque sexus prolium educationis penes passivam solum assistentiam ineunda esse decernens, adeo, ut dum non multo post editas suas pastorales literas duo mixtorum matr. coram acatholico ministro initorum casus occurrerent, ad illa ceu virtute etiam superius citatae altissimae ordinationis regiae clandestina impedienda Regii attunc Gubernii auctoritatem interpellaret. Hanc Constitutionem Praesuleam de mixtis matr. coram proprio partis catholicae parocho, etiamsi pro re nata penes passivam assistentiam, ineundis secuti sunt Dioecesis Trans. Eppi et Parochi, etiam postquam Breve Apostolicum et Instructio Card. Lambruschini ad Primatem, AEppos et Eppos in Hungariae Regno dd. 30 April. 1841 directa emanavit, nec hucdum mera illa concessione ob diras circumstantias coram S. Sede Apostolica attunc expositas non imperative sed permissive solum expressa, ut scilicet, dum pars catholica cum haeretico, quin cautelis ab Ecclesia praescriptis satisfaceret, ad matrimonii vota transire intendit, a parocho catholico consvetae promulgationes fiant, et de his peractis literae mere testimoniales concedantur, et tunc initum talium

nupturientium coram haeretico ministro connubium prudenter dissimulari, et quamvis illicitum pro valido tamen haberi possit, usi sunt. Scilicet, Beatissime Pater, piissimus tunc temporis Eppus Nicolaus e tenore praeveneratae Instructionis, signanter vero e formula, qua in decursu Instructionis enunciatio SSmi Domini novam praxim stabiliens inchoatur: ‚Itaque praesenti Instructione — pontificio nomine significatur, si recensitae superius circumstantiae in re, de qua agitur, intercesserint, pati ipsos (Eppos) ulterius posse, ut etc.' et cui formulae inchoativae reliqua apostolice disposita, indulta, declarata adnectuntur, colligere se posse autumavit, nequaquam obligationem Eppis impositam esse, ut haec cuncta tunc etiam, ubi manifestum exinde in salutem fidelium suorum promanare viderent detrimentum, pati debeant, proin inconditionate publicent et in usum deducant, sed sollicitudini eorum eppali apostolica hac indulgentia nonnisi casum in illum occursum fuisse, in quo praxis haec pro adiunctorum Ecclesiae suae ratione vere salubris futura praevideretur. Pro hoc casu ‚pati ipsos posse' talem proceduram genio Ecclesiae minus conformem, sacra Sede Petri enunciante. Quamobrem venerandus ille Antistes pro sua etiam erga S. Sedem Pontificiam pietate et filiali reverentia monitis potius et adhortationibus in illa Instructione et Brevi Apostolico contentis ‚quod attinet ad connubiorum istorum coram acatholico ministro, seu non servata Concilii Trid. forma celebrationem, erit omnino Sacrorum Praesulum ac Parochorum studiosissime instare, atque in caritate Dei et patientia Christi partem catholicam hortari ac monere, ut illam nimirum a tanti scandali turpitudine quantum possint absterreant, — siquidem Ecclesiae utilitati communique bono expedire videatur, si illud (matr. mixtum) quantumvis vetitum et illicitum, coram catholico parocho potius quam coram ministro acatholico, ad quem partes facile confugerent, contrahatur', parere se pro ratione circumstantiarum dioecesis suae debere sentiens, quatuordecimve annorum, quibus Eppatum tunc iam tenuerat, experientia edoctus, peiorem Ecclesiae Catholicae in Transilvania conditionem futuram, si a forma per SS. Conc. Trid. praescripta, et in Transilvania ab olim observata recedendo, con-

cessionis in illa Instructione contentae usum fieri pateretur: Instructionem praedictam neque Consistorio suo Eppali pro observantia in emergentibus casibus procuranda officiose communicavit, neque dioecesis suae sacerdotibus pro cynosura praescripsit, nolens in manifeste praevisum animarum catholicarum detrimentum favori illi sive renunciare, sive praeiudicare, quem vel superius iam adducta altissima ordinatio regia Ecclesiae Cath. in Transilvania e regione Confessionum aliarum, paribus secus cum Ecclesia Cath. iuribus pollentium per expressum vindicavit, decernens, ut copulationes personarum catholicarum cum diversae religionis personis matrimonium contrahentium iuxta usum hactenus vigentem per parochos catholicos peragantur.

Neque ego, dum difficillimum Dioecesis Transilvaniensis regimen capessivi, in hac praxi, quam piissimus Antecessor meus, quo sicut aetate, ita eruditione, prudentia ac sapientia multo minorem me esse bene sentio, manutenendam iudicavit, et de qua Capitulum ac Consistorium Trans. mihi ex Hungaria ad Eppatum Trans. Sanctitatis Vestrae providentia misso, proin in dioecesi hac advenae, solenniter fidem fecit, aliquid mutandum esse rebar, magis e re fore censens, si quod traditum accepi, pro emolumento Ecclesiae Cath. in suo vigore servarem, et servandum admitterem e sequentibus gravibus motivis: 1. Dioecesis Trans. per totum Magnum Trans. Principatum spatio mille circiter milliarium geographicorum extenditur. In tanta tamen extensione inter impopulationem ultra duos milliones assurgentem vix 228,687 animas latini et armeni ritus catholicas numerat. Si incolas graeci ritus catholicos circiter 600,000 vel 700,000, inter quos tamen et lat. rit. catholicos connubia rarius coalescunt, et, ubi coalescunt, difficultatibus talibus obnoxia non sunt, demam, reliqui, igitur notabiliter maior totius impopulationis pars, schismati, Augustanae et Helveticae Confessioni, Arianismo, et Iudaismo adhaerent. Si porro tres Archidiaconales dioecesis meae districtus, quorum impopulatio, Deo sint laudes! pure catholica est, excipiam, in reliquis 13 districtibus fideles mei inter haereticos et schismaticos sparsi iacent, atque in omni ferme civitate et pago minorem impopulationis partem constituunt.

Ob tristem hanc circumstantiam numerus mixtorum matr. quidquid laudabilis pastorum zelus ad illa impedienda agat, nimium magnus est. Horret animus dicere, eundem actu iuxta exhibitam mihi conscriptionem ultra 6600 assurgere! Quanta igitur saluti animarum fidelium meorum, et incremento Ecclesiae Cath. in Trans. pericula immineant, nisi praevalens ministrorum acatholicorum ad contrahenda mixta connubia influxus excludatur, Ecclesiae Matri vero exclusiva conciliandorum horum quoque connubiorum provincia saltim medio passivae assistentiae exercenda sollicite reservetur, neque in forma a SS. Conc. Trid. praescripta vel dissimulando relaxetur, circumstantiae adductae ratio satis demonstrat; eo magis, quod cum stabilitum et vulgo notum fuerit, matrimonium per acatholicum cum catholica persona contractum coram acatholico ministro ab Ecclesia Catholica quamquam pro illicito, valido tamen haberi, certo eventurum sit, ut connubia talia per dissimulationem illam facilitata ultra modum multiplicentur, et novissima nostra peiora fiant prioribus. 2. Imo si, ut tristis me experientia docet, nunc quoque casus emergunt, in quibus acatholici ministri praesertim in filialibus ecclesiis a matre plurium saepe horarum itinere difficillimo distantibus, ubi residentem catholicum parochum, qui malo confestim obsistat, non habemus, personas catholicas cum acatholicis, spretis Ecclesiae et Status Civilis legibus, absque omni parochi proprii influxu, sine obtentis de trina promulgatione literis testimonialibus, imo non obstante quoque cons. aut affin. impedimento, in quo ipsi dispensant, copulare non abhorrent: praevidere facile est, maiorem mox in gente sancta desolationem futuram, si audacia ministrorum acatholicorum e concessa praescriptae per SS. C. Trid. formae dissimulatione novum argumentum ad spernendas solas illas, quae Ecclesiae Catholicae adhuc remanserunt, cautelas, tollenda ultima mali ingruentis repagula, et seducendos non paucos frigidos per magnum familiarum cum acatholicis nexum ad indifferentismum proclives catholicos sumere poterit. 3. Ut res nunc posita est, parochus catholicus, etiamsi conatus illius ad exoperandam catholicam utriusque sexus prolium educationem in irritum caderent, semper tamen vel occasione passivae assi-

stentiae in animum et cor personae catholicae influere, salutaresque eidem admonitiones impertiri poterit; e contra vero, si in forma a SS. Conc. Trid. stabilita per dissimulationem in praememorata Instructione concessam exceptiones admissae fuerint, quum multi sint catholici, qui terrenis cupiditatibus et illecebris obcoecati, videntesque se voti sui etiam coram haeretico ministro compotes fieri posse, nec salutato vel saltim parum audito parocho catholico in periculum praecipites ruent, ministrorum haereticorum quidlibet audendi temeritate, variisve allectationibus in partes horum facile trahendi, Curioni catholico vel unica malo aliquam saltim medelam ferendi, docendi, adhortandi, opportune importune monendi, salutem aeternam animae suae et prolium parti catholicae commendandi occasio succidetur. 4. Religio Catholica, cuius fidelissimum filium et Apostolicum protectorem devota plebs in Summo terrae apud nos Principe gloriabunda honorat, hucdum in Transilvania ceu praeclaro quodam externae praecellentiae nimbo ex hac quoque circumstantia desumto circumdata, non solum a devotis catholicis, verum a multis etiam acatholicis conspicitur et recolitur, nec ullus catholicorum fidelium vel fieri impune posse autumat, ut sanctae, ac, ut dicere amant, principalis, etsi non dominantis huius religionis membrum matrimonium coram acatholico ministro valide ineat. Iamvero si id admitteretur, scandalisaretur populus fidelis, religionem suam, cuius praeeminentiae laudibus gloriabatur, pari cum haeresibus loco positam, sacerdotes suos ministris acatholicis sacramentum matrimonii conciliare valentibus ab ipsa Ecclesia Cath. aequiparatos ingemisceret, et evanescente intactae hucdum hoc saltim respectu praeferentiae nimbo, cessaret unum ex illis motivis, quod Deo permittente nonnumquam alienae confessionis asseclas ad illam quaerendam et amplectendam alliciebat. 5. Quantum momentum conciliationi matr. mixtorum valide nonnisi coram parocho catholico procurandae a civili quoque legislatione tributum semper apud nos fuerit, exinde quoque apparet, quod licet cath. religio cum tribus aliis receptis confessionibus, lutherana, calviniana, et sociniana, per legislationem transilvanam pari prorsus loco habita, nec ullo secus privilegio donata

fuerit, idve usque adeo, ut ipsa quoque catholice inita pura vel mixta matrimonia post defectionem coniugum non a foris catholicis et iuxta principia catholica, sed a concernenti foro acatholico iuxta principia confessionis suae, saepe in obversum principiorum cath. legetenus indicata fuerint: in conciliandis tamen mixtis matrimoniis inviolabilis canonis instar declaratio consensus coram catholico parocho praecitata ordinatione regia requisita fuerit; ut adeo quod in favorem catholicae rei Praesulum providentia non minus ac Apostolici Imperantis pietas ab olim servavit, praxi contraria introduci intenta in detrimentum rei catholicae subrui nonnisi gemens cernerem. 6. Quum matrimonia catholicorum etiam mixta nonnisi per fora ecclesiastica catholica iudicari debeant, gravissimae difficultates in diiudicanda validitate matrimoniorum coram ministris acatholicis initorum foris sacris se obiicient, quum fassio etiam ministrorum acatholicorum repetenda, et enunciationibus ipsorum, fors non semper solidam et securam sententiae, qua matrimonii validitas vel invaliditas decernatur, basim constituere valentibus, decisio fori sacri superstruenda veniat; ut taceam, ipsam ministrorum horum sacramentalem matrimonii naturam haud recognoscentium, proin et matrimonium ipsum ac eius ineundi rationem pro re minoris momenti, ac apud catholicos habeatur, reputantium, in conciliandis similibus matrimoniis proceduram non semper eam futuram, quae omne dubium de debite inito matrimonio, observatisve observandis subin excludere valeat.

Quibus omnibus pro rei gravitate rite perpensis, sponte fluit, Ecclesiae Transilvaniensi tunc optime consultum iri, si, ut verba gloriosae memoriae Pii VII in data ad AEppum Moguntinum die 9 Oct. 1803 epistola, et Gregorii XVI ad AEppos et Eppos Hungariae dd. 30 April. 1841 rememorem, mixtae catholicorum cum acatholicis nuptiae, quantumlibet vetitae et illicitae, coram catholico parocho potius quam coram ministro haeretico, ad quem partes confugerent, celebrentur. Excelsum Regimen C. R. eo facilius in postulatum hocce meum, quantum in eo situm est, condescendere poterit, quum lex dispositioni congruae ab eodem edendae contraria (secus ac in Hungaria) in Transilvania haud existat, imo e

parte eiusdem nil aliud fieri deberet, quam ut Ordinatio altissima dd. 29 Aug. 1792 supra citata et semper adhuc vigorosa porro quoque sustentetur. Atque ideo, sollicitudine animarum, de quibus rationes olim coram aeterno Iudice redditurus sum, ductus, ad thronum Sanct. Vestrae humillimis precibus accedere sustineo, orans, ut connubiorum, de quibus hic sermo est, coram acatholico ministro, seu non servata C. Trid. forma celebrationem in praelaudata Instructione prudenter dissimulare permissam, ceu pro Transilvania rei catholicae non tantum non profuturam, sed potius nocivam, nec unquam in usum legitimum deductam, pro futuro quoque irritam; praxim autem, ut supra exposui, actu vigentem apostolica auctoritate ratam habere, cumve res summe urgens sit, benignam declarationem quantocius clementissime edere dignetur. — Viennae, 22 Maii 1856. — (Ex Tabulario dioec Transilv. Nr. $^{1650}/_{1856}$.)

1089.

Idem Praesul in eodem merito altera vice adit Sedem Apostolicam. 1856.

Nuperrime transposuit mihi Iosephus Lonovics antea Eppus Csanádiensis, quem a. 1841 venerabilis Chorus Epporum Hungariae in negotio mixto-matrimoniali ad S. Sedem Romanam Ablegatum suum esse voluit, copiam literarum piae memoriae Antecessoris mei Nicolai Kovács dd. 26 Mart. 1841 ad eum directarum, in quibus hic palam profitetur: se relate etiam ad mixtorum matr. obiectum eandem cum vener. Eppis Hungariae doctrinam tenere. Copiam harum literarum, mihi, combusta sub infausta anni 1849 revolutione maiori Archivi Dioec. Trans. parte, adusque ignotarum Sanctitati Vestrae nexu humillimarum mearum precum dd. 22 Maii a. c. Nr. 1650 reverentissime exhibitarum ea cum humillima e supra citatis demissis meis literis repetita declaratione devote substernere sustineo: 1. quod piae memoriae Eppus Nicolaus Kovács in Pastoralibus suis ad Clerum Dioec. Trans. mense Aprili 1841 directis, acclusa item his Instructione de praxi

circa ineundum quodvis mixtum matr. observanda, quodvis tale matrimonium coram proprio parocho catholico et non secus, poscentibus adiunctis cum passiva, ut dicitur, assistentia, ineundum decreverit; 2. quod venerandus ille Eppus, qui causas matrimoniales Consistorio suo Eppali cognoscendas concredidit, iuxta factam mihi ab eadem Sede Consistoriali fidem officiosam, Instructionem Lambruschinianam neque Consistorio Eppali, neque Clero suo unquam communicaverit, aut observandam praescripserit; cui factae mihi officiosae fidei, sensu devoti Praesulis nunc dictam Instructionem genuine pandenti, eo magis acquiescere debui, cum in Archivis dioecesano et parochialibus nullum de facta quoquo modo publicatione, quae secus etiam primo ac ante omnia ad Sedem Consistorialem dirigenda fuisset, vestigium invenerim; 3. quod Instructio Lambruschiniana in dioecesi mea Traus. in praxim deducta numquam fuerit. Ex his iam diiudicare clementissime dignetur Sanct. Vestra, quae vis literis illis per Eppum I. Lonovics mihi communicatis, quae ante editam Instructionem Lambruschinianam emanarunt, insit, aut quibusvis aliis similibus Missilibus, si in negotio hoc nefors editae fuissent, inesse possit. Quid circa Instructionem illam apud nos in praxim deducendam ego sentiam, quae ex illius in dioecesi mea applicatione spectatis difficillimis nostris adiunctis detrimenta in Ecclesiam Christi redundantia non vane praemetuam? in humillima mea repraesentatione fusius exponendi honorem habui, dicendo omnia illa, quae ad salvandam animam meam dicere debebam. Nunc iam tranquillo animo et tuta conscientia benignam Sanct. V. decisionem, sive illa praxim circa ineunda coram proprio parocho catholico mixta matr. fundamento decretorum SS. C. Tridentini nunc vigentem deinceps quoque retinendam, sive vero Instructioni Lambruschinianae locum dandum esse disposuerit, praestolabor, Apostolicam Petri Cathedrae sententiam ad amussim semper exequi paratus. Id unum tamen a benignitate Sanct. V. mihi humillime adhuc implorare liceat, ut, quia materia in quaestionem posita ob ingentem mixtorum matrim. apud nos numerum ocyorem decisionem, ne quotidianis perplexitatibus exponamur, urgenter exposcit, Apostolicam suam sententiam mihi

quantocius intimandam gratiosissime iubere dignetur. — Viennae, 5 Iul. 1856. — (Ex Tabul. dioec. Trans. Nr. $^{2090}/_{1856}$. — Epistola Eppi Nic. Kovács ad Praesulem Csanádiensem cum huius responso iam in Monumentis nostris loco suo (ad an. 1841) inserta habetur, eam proin hic praeterimus.)

1090.

Eiusdem Praesulis eodem in obiecto tertius libellus supplex ad Sedem Apost. 1856.

E Conferentiis Venerabilium Epporum totius Monarchiae Austriacae celebratis, quae diuturniorem meam e dioecesi absentiam necessariam reddiderunt, ad locum residentiae eppalis redux, festino altissimo Sanct. Vestrae conspectui humillime substernere documenta quaedam, ad integritatem duplicis ordinis devotissimarum remonstrationum mearum de mixtis matr. in Transilvania iuxta praevigentem hactenus usum servata forma per SS. C. Trid. praescripta coram proprio parocho catholico ineundis dd. 22 Maii et 5 Iul. a. c. exhibitarum pertinentia. Sunt autem documenta haec sequentia: 1. Pastorales piae memoriae Eppi Trans. Nicolai Kovács literae ad Clerum suum in negotio mixtorum matr. dd. 20 April. 1841 sub Nr. 555 directae; 2. Aliae Pastorales cum Instructione ad puncta quaedam quaesita per eundem Praesulem ad eundem Clerum in eodem merito die 12 Maii 1841 dimissae: e quibus patet, quod denatus Praesul mixta matrimonia, quorum una pars catholica est, solum in praesentia proprii parochi ineunda esse decreverit. Aduoto adhuc, praeter has Pastorales, nullas alias, quae circa copulationem mixtorum matr. modificatam praxim praescriberent, per denatum Praesulem ad Clerum suum dimissas fuisse; 3. Copia altissimae ordinationis regiae dd. 29 Aug. 1792 sub Nr. aul. 3872 editae, atque per Regium Gubernium Trans. sub Nr. 7504 publicatae, quae copulationes personarum catholicarum cum diversae religionis personis matr. contrahentium iuxta usum hactenus vigentem per parochos catholicos peragendas esse decernit, atque quodvis tale

matrimonium coram noncatholico ministro initum clandestinum pronunciat. Dicitur in hac altissima ordinatione: ‚iuxta usum hactenus vigentem‘; quum matrimonia talia antea etiam solum coram parocho proprio catholico valide iniri poterant, et quidem, ut eccles. leges non memorem, fundamento tam prostantis legis patriae sub Colomanno Rege a. 1100 latae, atque per me in humillima mea repraes. dd. 22 Maii citatae, quam tenore Rescripti Regii Iosephi II Imp. dd. 20 Aug. 1783 Nr. 6963 signati, quod haec habet: ‚Quoad nupturientium proclamationem benigne iubemus, ut illae in utriusque religionis, quas nupturientes profitentur, templis fiant, sic enim dirimentia quoque impedimenta facilius cognosci poterunt; matrimonium nihilominus inire volentes copulandi potestatem, cum matrimonia acatholicorum speciem solum contractus civilis praeseferant, porro quoque penes parochos catholicos relinquimus.‘ Praecitata decreta regia denuo strictissime observanda inculcantur alio decreto regio dd. 9 Sept. 1802 emanato, et in Transilvania per Regium Gubernium dd. 6 Oct. 1802 sub Nr. 9417 publicato, ut acclusum docet. Patiatur benigne Sanct. Vestra, ut hic per expressum rursus repetam, ordinationes puncto hoc allegatas nulla hucdum contraria altiori ordinatione in Trans. abrogatas esse, adeoque plenum adhuc vigorem habere. 4. Officiosa S. Sedis Consistorialis Eppalis Trans. declaratio a. 1853. dd. 10 Mart. mihi facta, in qua authenticum desuper testimonium perhibet, quod Instructio Lambruschiniana dd. 30 April 1841, iuxta quam initum nefors coram acatholico ministro mixtum connubium prudenter dissimulari, pro valido haberi posset, neque Clero Curato huius dioecesis, neque S. Sedi Consistoriali, cui tamen denatus Praesul cunctas causas matrimoniales, solum revisione sibi reservata, cognoscendas commisit, per eundem Praesulem publicata, eo minus vero pro cynosura et observantia praescripta fuerit. 5. Ut omne dubium circa sensa, quae piae memoriae Praesul Nic. Kovács circa applicationem saepefatae Instructionis Lambruschinianae in dioecesi hac aluerat, simpliciter excludatur, subnecto a) copiam determinationis S. Sedis Consist. in Sessione iudiciali die 11 Apr. 1844 (ergo tertio anno post editam Instr. Lambr.) celebrata latae, atque per

laudatum Eppum Albae-Carolinae die 29 Apr. 1844 approbatae, et Consistorio pro publicatione et executione restitutae, vi cuius matr. Mariae Iuliannae Vajda catholicae cum Georgio Posztós Helv. Conf. addicto coram Davide Demeter Helv. Conf. Ministro Bodolaensi die 14 Febr. 1843 initum clandestinum, nullum et irritum iudicialiter pronunciatur; b) copiam determinationis S. Sedis Cons. in Sessione 7 Aug. 1845 celebrata latae, per pie defunctum Eppum Claudiopoli die 17 Aug. 1845 praesulea auctoritate confirmatae, ac Consistorio pro executione restitutae, vi cuius connubium inter Iosepham Mayer catholicam et Georgium Fejér Helv. Conf. addictum coram Stephano Bong Helv. Conf. ministro Bikafalvensi die 24 Nov. 1842 celebratum, prout superius, ita et in hoc casu cum provocatione ad decreta SS. C. Trid. ad legem patriam Colom R. a. 1100, ad ord. regiam dd. 29 Aug. 1792 — clandestinum, adeoque nullum et irritum iudicialiter declaratur, partibus in utroque hoc casu ad feliciora, si libuerit, vota transire permissis. Possem adhuc sententiam iudicialem Consistorii Eppalis Alba-Carolinensis in Sessione iudiciali die 26 Aug. 1852 latam, et per denatum Eppum adiecta nominis subscriptione pariter approbatam, atque executioni dari iussam, vi cuius connubium Iuliannae Nagy catholicae cum Ludovico Dénes Reformato coram acatholico ministro a. 1849 initum ceu clandestinum, nullum ac irritum iudicialiter declaratur, adnectere; puto tamen acta publica per me producta, quibus non leve robur addit, quod denatus Praesul copulantem acatholicum ministrum Davidem Demeter ob hunc actum plane poenae subiiciendum procuraverit, ut acclusum documentum testatur, abunde sufficere ad interpretandas declarationes, quas denatus Praesul ante vel post emanatam Lambr. Instructionem quasi in favorem huius sive, ut sub 5 Iul. humillime retuleram, ad Eppum Csanádiensem Ios. Lonovics, sive ad quemcunque alium nefors direxisset. 6. Ut plenius constet, quantae difficultates imo detrimenta rei catholicae in Transilvania imminerent, si praxis, quae huedum vigebat, introducta Instructione Lambr. immutaretur, adhuc reflectere sustineo: aliam esse circa prolium e mixtis matr. progenitarum educationem legem in Hungaria, aliam in Transilvania. Dum enim ibidem

si pater catholicus est, omnes etiam femellae proles patris religionem sequi tenentur, si vero pater acatholicus est, proles masculae patris, femellae vero matris religionem sequuntur; tunc in Transilvania in quovis mixto matr. proles masculae in patris, femellae in matris religione educari praecipiuntur, contractibus in contrarium initis coram foro seculari nihil valentibus. Lex patria enim art. 57: 1791 expressa diserte statuit: Erga communem etc. (ut suo loco.) Rigorem huius legis, contra quam meo videre, ni omnia fallunt, incassum pugnaremus, nunc, dum partes mixtum matr. valide contrahere volentes connubium coram catholico parocho inire obligantur, mitigare possumus, a parte acatholica Reversales de catholica omnium prolium educatione in foro conscientiae obligantes exigendo et saepius impetrando, quo in posteriore casu benedicimus matrimonio; si vero Instructio Lambr. contra omnem spem introducta hic fuerit, mixta talia matrimonia utplurimum coram acatholico ministro initum, omnemque spem procurandae catholicae cunctarum prolium educationis succisum iri facile praevidemus nos, qui glacialem multorum catholicorum frigiditatem tristes experimur. Quibus coram Sanct. Vestra ad salvandam pro futuro conscientiam expositis, iterum atque iterum humillime oro, ut ad supplices meos recursus dd. 22 Maii et 5 Iul. a. c. substratos gratiosissimam suam, faxit Deus! favorabilem, resolutionem quantocius intimandam clementer iubere dignetur. — Albae Carolinae, 26 Iul. 1856. — (Ex Tabul. dioec. Trans. Nr. $^{2237}/_{1856}$. — Documenta in praesenti recursu memorata, in Monumentis nostris omnia suis locis inserta habentur.)

1091.

Nuntius Apost. Viennensis nomine Summi Pontificis provocat Eppum Transilv. ad communicandam declarationem, de valore matr. mixtorum non servata forma Conc. Trid. initorum ab Eppo editam. 1856.

— Innueram Exc. Tuae Rev. quando Ipsa adhuc Viennae morabatur, desiderium esse SS. Patris, ut Exc. Tua

Romam mitteret exemplar declarationis, vi cuius Tu. Exc. ac Rev. Domine, statueras, quid de validitate matr. mixtorum, quae contrahuntur in ista dioecesi non servata forma Concilii Tridentini, tenendum sit. Ut postulationibus Sanctitatis Suae valeam satisfacere, precor Exc. Tuam, ut ad me exemplar memoratae declarationis mittere velit. — Viennae die 2 Aug. 1856. Michael Card. Viale.

1092.

Eppi Transilv. responsum. 1856.

Ad gratiosissimas Eminentiae Vestrae dd. 2. curr. Nr. 2770 signatas literas, quas hodie mihi venerandi fortuna obtigit, habeo honorem Copiam Circularium mearum ad Clerum dioecesis Transilv. die 18 Mart. a. c. Nr. 1111 dimissarum una cum exemplari pagellarum ‚Transsilvania', quae Circulares illas provocarunt, humillime exhibendi. Quid piissimus meus Antecessor de Instructionis Lambruschinianae in hac dioecesi adplicatione senserit; qualiter ille fundamento decretorum Concilii Tridentini et praevigentium Altissimarum Ordinationum matr. mixta solum coram proprio parocho catholico valide ineunda esse voluerit; qualiter ego salutarem hanc Ecclesiae Transilvanicae praxim proprio motu immutandam haud reputaverim; quanta demum in Ecclesiam Transilv. detrimenta ex immutatione huius praxis certo certius subsequenda, ex adiunctorum nostrorum difficillimorum cognitione non vane praemetuam: in humillimis meis repraesentationibus dd. 22 Maii, 5 et 26 Iulii a. c. abunde remonstravi et documentis fidedignis docui. Cum igitur articulo illo et adiecta sub asterisco adnotatione technas adversariorum eo directas viderem, ut Clerus et fideles novae apud nos inauditae sententiae proclamatione in errorem ducantur, ad praevertendum imminens rei catholicae periculum, quantum in me est, eousque saltim obviare adnisus sum, dum quaestio illa, an allegatus Instructionis Viennae editae § 38 et concessio in Instructione Lambruschiniana Protestantibus facta ad Transilvaniam quo-

que extendenda ac applicanda veniat, infallibili Cathedrae S. Petri enunciatione decisa fuerit. Ego quaestionem Suae Sanctitati decidendam humillime substravi. Dicendo salvavi animam meam. Sententiam ferendam inter metum et spem expecto. Nunc, dum quaestio indecisa est, conscientia urgente, dicere non desino, §-um 38-um Instructionis Viennensis, si ad Transilvaniam applicaretur, rei catholicae perniciosum futurum. Tunc, dum quaestio decisa fuerit, enunciationem SSmi Patris conscientia tranquilla et exequar et observandam disponam. — Albae Carolinae die 6 Aug. 1856. — (Ex Tabul. dioec. Transilv. N. $^{2350}/_{1856}$.)

1093.

Eppus Transilvaniensis in negotio matr. mixtorum, signanter quaestionis de Instructione Lambruschiniana S. Sedi propositae, denuo repraesentat, decisionemque eiusdem S. Sedis implorat. 1856.

Quaternis iam humillimis remonstrationibus sub 22 Maii, 5 et 26 Iulii, item 6 Augusti a. c. religiosa pietate exaratis accedens ad praecelsam Sanct. Vestrae Cathedram exponere sustinui, quantis quamve gravibus difficultatibus et perplexitatibus, imo manifesto discrimini res catholica in Magno hoc Transilvaniae Principatu obiiceretur, si, quod Instructionis pro Indiciis Ecclesiasticis Imperii Austriaci quoad causas matrimoniales Viennae typis vulgatae § 38 tenet, apud nos mixta connubia, quae coram noncatholico ministro ineuntur, contra vigentem hucdum legalem ac heic unice salutarem praxim, decretis SS. Concilii Tridentini irradicatam, et antiquarum Ordinationum Caes. Regiarum auctoritate observari iussam valida declararentur. Conscientiae dictamine et gravissimae responsionis coram aeterno Iudice olim me manentis terrore vehementer impulsus, non poteram non in genua coram Sanct. Vestra provolutus enixius orare, ut in perplexitate ista, in quam publicata praecitata Instructione, nobis Transilvanis, etsi inter difficillima adiuncta peculiarem in similibus negotiis considerationem sibi vendicantia vivamus, nonnisi post publicationem

innotescente, coniecti fuimus, clementissima decisione nobis succurrere dignetur: an praxi apud nos huedum observatae, et (repeto quod asseverare numquam desinam) spectatis difficillimis nostris adiunctis unice salutari ac proficuae porro quoque inhaerere, aut vero Instructioni Lambruschinianae, etiam pro Transilvania quidem editae sed hic, cum periculum exinde rei catholicae imminens manifestissimum semper fuerit, in praxim numquam deductae, locum dare teneamur? tolerantes, ut connubia mixta non coram proprio parocho catholico inita valida habeantur. Si Apostolicam Sanct. Vestrae in gravissimo hoc obiecto sententiam benigne inviantem expositis circumstantiis nobis clementissime quantocius intimandam iam antehac devote exorare praesumseram: multo magis iam nunc humillimas meas preces coram throno Sanct. Vestrae instaurare debeo, dum lex civilis de matrimonio ad exigentiam art. X Conventionis inter Sanct. Vestram et SSmam C. R. Ap. Maiestatem initae pro ambitu totius Monarchiae Austriacae dd. 8 curr. mensis publicata iam est, cum prima Ianuarii 1857 in effectum deducenda. Lex ista Sect. I. §. 19 mixta connubia coram noncatholico ministro in Provinciis, pro quibus Instructio Lambruschiniana dd. 30 April. 1841 edita fuit, inita legibus conformia, Sect. II §. 38 vero talia esse declarat, ad quae irritanda unicum absentiae parochi catholici argumentum non sufficit. Quia vero Protestantium ministri, quod huedum quoque hinc inde attentarunt, ut mixtorum matrimoniorum paria ad connubia coram ipsis ineunda alliciant, nunc iam ad concessionem lege civili quoque acceptatam provocando, eo audacius facere praesument; quia ego salva conscientia nec in praxi decretis Concilii Trid. innixa atque huedum sancte observata in apertum rei catholicae praeiudicium propria auctoritate dispensare, nec vero in obversum legis superius allatae connubia mixta mox coram praepotentibus acatholicis ministris turmatim ineunda impedire, aut sacerdotibus ad me confugientibus directivam aliquam inviationem impertiri possum; apostolica Sanct. Vestrae sapientia ultro cognoscet, nos hic inter summas angustias et perplexitates versari, quae quo longius in defectu authenticae classicorum Instructionis Lambruschinianae verborum interpretationis durave-

rint, eo maiori nos et sanctam nostram rem discrimini obiicient. In hoc rerum situ ad pedes Sanct. Vestrae prostratus, humillime orare sustineo, ut Ecclesiae Transilvanae in medio praepotentium haereticorum et schismaticorum constitutae miserta, ad devotissimas meas preces dd. 22 Maii, 5 et 26 Iulii, item 6 Augusti a. c. exhibitas apostolicam suam decisionem, ne periculum e mora nascatur, quantocius clementer intimandam iubere dignetur, quo Clerum meum circa ea, quae de Instructione Lambruschiniana in hac dioecesi iudicio Cathedrae S. Petri tenenda sunt, adhuc ante primam Ianuarii 1857, dum lex civilis de matrimonio recentissime publicata in vitam deducetur, congrue informare valeam. — Albae Carolinae die 25 Oct. 1856. — (E Tabul. dioec. Transilv. N. $^{3246}/_{1856}$.)

1094.

Eppus Transilvaniensis ad C. Regiam Maiestatem adversus legem matrimonialem, in quantum quoad petendas apud civilem iurisdictionem dispensationes a bannis unilateralem, catholicis iniuriosam, continet sanctionem, repraesentat. 1856.

Providentissima SS. Maiestatis Vestrae in procurando Religionis et Ecclesiae Catholicae incremento, illustribus factis abunde contestata, clementia, cuius tesseram etiam in publicata dd. 8 Octobr. a. c. lege matrimoniali devote veneramur, inconcussam mihi addit fiduciam, fore, ut humillimae preces, quas conscientiae dictamine impulsus respectu applicationis §§. 38 et 39 nunc citatae legis in dioecesi Transilvaniensi ad altissimum Maj. Vestrae thronnm homagiali cum veneratione deponere sustineo, ex eiusdem altissimae clementiae fonte promanantem optatum effectum sortiantur. Legis matrimonialis dd. 8 Oct. a. c. publicatae §§. 38 et 39 nova, in dioecesi curae meae clementissime credita hucdum inusitata, praxis sequenda statuitur, dum nupturientes, qui ab Ordinariatu Dioecesano in duabus promulgationibus dispensationem obtinuerunt, ad talem etiam a C. R. Politica Iurisdictione impetrandam inviantur; imo Iurisdictionibus his potestas

Eppus Transilvaniensis decisionem S. Sedis Ap. ex parte Regiminis Caesarei adurgendam denuo exorat apud Ministrum Cultus. 1859.

Drei Jahre sind verflossen, seitdem ich in Angelegenheit der Anwendbarkeit der Lambruschinischen Instruction vom 30 April 1841 auf die Siebenbürger Diöcese die Apostolische Entscheidung des heiligen Stuhles mit Rücksicht auf den 19 § des Ehegesetzes vom 8 Oct. 1856 erbeten habe. Die Verzögerung der Entscheidung verursacht immer neue Verlegenheiten, indem vor der Herablangung derselben für Fälle, wo Mischehen vor einem akatholischen Pastor geschlossen werden, weder die gesetzliche Praxis meiner Kirche, von welcher ich ohne die erbetene Weisung des heiligen Stuhles erwiesener Maassen nicht abgehen konnte, noch die Bestimmungen des bezogenen Ehegesetzes in Anwendung gebracht, vielmehr mit Rücksicht auf eine von der Apost. Nuntiatur zu Wien dd. 11 Jänner 1857 erhaltene Weisung bis zur definitiven Entscheidung des heil. Stuhles von jedem bezüglich solcher Ehen ‚in foro contentioso' zu fällenden Urtheile Umgang genommen werden muss. Eben liegt unter vielen anderen ein Fall vor, in welchem laut abschriftlichen Berichtes des Kronstädter r. kath. Pfarramtes vom 30 Nov. d. J. J. K. kath. Religion, welcher mit K. B. Augsb. Conf. in Neustadt vom Pastor derselben Confession vor etwa sechs Jahren getraut war, später aber gegen die ihn treulos verlassende K. B. vor dem Ehegerichte klagend aufgetreten ist, mit dem Abfall vom kath. Glauben droht, wenn in dieser Eheangelegenheit nicht recht bald ein Urtheil gefällt werden wird; was jedoch aus obiger Ursache vor der Herablangung der apostol. Entscheidung eben unmöglich ist. Euere Excellenz hatten die Gewogenheit, mir im jüngst verflossenen Monate November die Mittheilung zu machen, dass die behufs einer von der hohen Regierung an den heil. röm. Stuhl in dieser Angelegenheit abzugebenden, die endliche Regelung derselben bei dem heil. röm. Stuhle bedingenden Erklärung vom hohen k. k. Cultusministerium gemachten Vorlagen der allerhöchsten Entscheidung Sr. k. k.

apost. Majestät bereits seit längerer Zeit gewärtig sind. Damit nun die Zeit der aus der Verzögerung der endgiltigen Regelung dieser Angelegenheit erwachsenden beiderseitigen Verlegenheiten abgekürzt werden, und endlich eine feste Norm von competenter Seite herablange, welcher die dermalen schwebenden oder künftighin sich ereignenden Fälle socher Mischehen, die vor einem akatholischen Geistlichen eingegangen werden, angepasst werden können: beehre ich mich Ew. Exc. mit Berufung auf meine Zuschriften vom 22 Mai, 26 Juli, und 27 Nov. 1856, dann vom 5 Jänner 1857 um das hochgeneigte wirksame Einschreiten angelegentlich zu ersuchen, womit die ersehnte allerhöchste Entschliessung recht bald allergnädigst ertheilt, und dadurch diese Angelegenheit ihrer endgiltigen Entscheidung zugeführt werde. — Karlsburg, den 28 Dec. 1859. — (E Tabul. dioec. Transilv. N. 4300/1859.)

1111.

Nuntius Apost. Viennensis transponit Eppo Transilvaniensi decisionem S. Sedis Apost. quoad extensionem Instructionis Card. Lambruschini dd. 30 Apr. 1841 ad Transilvaniam. 1860.

Nulla interposita mora Exc. Vestrae heic adiectam Pontificiam epistolam transmitto, prout mihi ab Emin. publicorum negotiorum Administro novissime fuit iniunctum. De gravissimo negotio, nempe de Instructione Lambruschiniana circa matr. mixta ad totam Transilvaniam extendenda agitur. Hoc unum animadvertendum censeo, epistolam ipsam Pontificiam tantummodo usui et pro norma istius Eppalis Curiae destinatam, ideoque caute asservandam, nullique extraneo civili Officiali exhibendam esse. Altera vero ab Emin. Card. Antonelli conscripta, et sub eodem involucro inserta Caesareo-Regio Gubernio ostendi et communicari poterit, si Exc. Vestra id expedire in Domino iudicaverit. — Viennae, die 21 Iun. 1860. Antoninus, AEppus Tarsensis, Nuntius Apost.

1112.

Epistola Card. Secretarii Status ad Eppum Trans. decisionem S. Sedis continens. 1860.

Illme ac Rme Dne. Literis XI Cal. Iunii a. 1856. SSmo Dno Nro datis significasti, Illme ac Rme Dne, Te in ista Transilvaniensi Dioecesi nihil de praxi, quam circa matr. mixta Praedecessor tuus Nicolaus Kovács servavit, immutandum fore censuisse, nullo habito respectu ad Instructionem Card. Lambruschini die 30 Apr. 1841, ea praecipue ductum ratione, quod civilis lex non modo actionem pro observantia cautionum ab Ecclesia praescriptarum, vulgo Reversalium, istic non concederet, sed vel cautiones ipsas exigi omnino prohiberet. Sanctitas Sua eiusmodi rationem maximi faciens in mandatis dedit, hac super re cum Imperiali Gubernio instrui negotiationes, quibus Gubernio eidem significaretur, Tibi iniunctum iri, ut commemorata Instructio in ista etiam dioecesi usu reciperetur, dummodo tamen per Civilem Potestatem removerentur obstacula, quae ex imperialibus legibus praefatas cautiones respicientibus dimanant. Post longum tempus ab initis tractationibus Imperialis hic Orator apud S. Sedem die 29 Martii proxime elapsi fidem scripto dedit, quod statim ac Te, Illme ac Rme Dne, ad praedictam Instructionem accomodaveris, civilibus auctoritatibus mandabitur, ut ad tramites decreti a Maiestate Sua Apostolica sub die 24 Ianuar. huius anni editi omnem adhibeant curam, ne Parochi impediantur, quominus imposito ipsis per eandem Instructionem oneri satisfaciant; invigilandi scilicet, ut quae nascetur proles ex mixtis coniugiis, in catholica religione educetur, ac tutam hac de re exigendi promissionem ab iis, qui eiusmodi matrimonia inire velint. Sanctitas Sua haec omnia Tibi per me significari voluit, simulque mandat, ut praefatam Instructionem diei 30 April. 1841 in ista tua dioecesi in praxim deducas, idque Te ad amussim fore effecturum Gubernium istud eo, quod magis opportunum duxeris, modo certiorare curabis, ut quod suarum partium est exequi quamprimum possit. — Romae, 15 Iunii 1860. I. Card. Antonelli.

1113.

Epistola Secretarii Congregationis negotiis Ecclesiasticis praepositae in eodem merito. 1860.

Probe noscis, Illme ac Rme Domine, Apostolicam Sedem aegre quidem, sed gravibus de causis facultatem tribuere Eppis, ut mixta coniugia permittere possint, praemissis tamen necessariis et opportunis cautionibus ab Ecclesia praescriptis. Quinimo et alias adiicere consvevit vel saltem subintellexit conditiones, ut eadem videlicet mixta coniugia extra Ecclesiam et absque parochi benedictione ulloque alio eccles. ritu celebrarentur. Verum si in aliquibus locis postremas hasce conditiones Dioecesani Praesules impleri haud posse viderint, quin graviora exinde damna ac mala exoriantur, indulgendum aliqua ratione censuit Sanctitas Sua, quemadmodum per Instructionem ab Emin. Card. Secr. Status die 15 Nov. 1858 declarari iussit. Forsan Dominatio Tua Illma ac Rma dictam Instructionem iampridem accepit: attamen aliud exemplar hisce meis literis adiungo, si forte primum Tibi non pervenerit. Ex eiusdem Instructionis verbis intelliges, quousque Pontificia indulgentia sese porrigat, et quando quibusque modis ea uti debeant Sacrorum Antistites. — Romae e Secretaria S. Congr. neg. eccl. praepositae, die 15 Iun. 1860. — (Nr. 2160.)

1114.

Rescriptum C. R. Ministri Cultus ad Eppum Transilvaniensem super edita S. Sedis resolutione quoad mixta matrimonia in Transilvania. 1860.

Laut einer anher gelangten officiellen Mittheilung ist Ew. Exc. von Seite des heil. Stuhles die Erklärung zugegangen, dass hinsichtlich der Abschliessung gemischter Ehen in der Ew. Exc. unterstehenden Diöcese die Bestimmungen der Instruction des Cardinals Lambruschini vom 30 April 1841 zur Richtschnur zu dienen habe und genau zu befolgen sei.

In Folge dessen bin ich in der Lage Ew. Exc. auf Grund der Allerhöchsten Entschliessung vom 24 Jänner 1860 erklären zu können, dass es Denenselben unbenommen sei, die Pfarrer zu ermahnen, dass sie sich die Sicherstellung der kath. Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen angelegen sein lassen und zu dem Ende Versprechen der Ehewerber entgegennehmen. Doch kann in Anbetracht des 57 Gesetzartikels vom J. 1791 von den weltlichen Behörden nicht Beistand geleistet werden, um die Erfüllung solcher Versprechen zu erzwingen. Gleichzeitig treffe ich in Folge der bezogenen Allerh. Entschliessung die Einleitung, dass die Landesbehörden in Siebenbürgen angewiesen werden, dafür zu sorgen, dass den kath. Seelsorgern kein Hinderniss gelegt werde, in Erfüllung der durch die erwähnte Instruction ihnen eingeschärften Pflicht dahin zu wirken, dass die aus gemischten Ehen hervorgehenden Kinder in der kath. Religion erzogen werden, und das von Ehewerbern in dieser Beziehung gegebene Versprechen entgegen zu nehmen. Hiernach darf ich mich wohl versichert halten, dass nunmehr die Bedenken behoben sind, welche Ew. Exc. bestimmten, die kirchliche Giltigkeit der ehelichen Verbindungen in Zweifel zu ziehen, die in Siebenbürgen von religiös gemischten Ehewerbern vor dem Seelsorger des nichtkath. Theiles und in Abwesenheit des kath. Pfarrers eingegangen werden, wornach die Voraussicht eines derartigen Vorganges der Verweigerung der Vornahme der Eheverkündigung nicht ferner zum Anlasse dienen wird. — Wien, 3 Juli 1860. (Nr. 1271.)

1115.

Eppus Transilvaniensis C. R. Ministrum Cultus requirit, ut Regiam resolutionem, praecedente Ministeriali rescripto memoratam, tamquam corollarium legis matrimonialis, per pagellas Regiminis annunciari curet. 1860.

Nachdem der heil. apost. Stuhl die Giltigkeit der sogenannten Lambruschinischen Instruction vom 30 April 1841 hinsichtlich der Abschliessung gemischter Ehen in der Sieben-

bürger Diöcese in der Voraussetzung ausgesprochen hat, dass den kath. Seelsorgern die Erfüllung der durch diese Instruction eingeschärften Pflichten Seitens der hohen k. k. Regierung ermöglicht werden wird; diese Bestimmung aber mit Hinblick auf den 57 Gesetzartikel vom J. 1791 nothwendig zu machen scheint, dass der 19 § des I Anhanges zum Ehegesetze vom 8 Oct. 1856 bezüglich Siebenbürgens mit dem bisher zur allgemeinen Kenntniss noch nicht gelangten Zusatze im gesetzlichen Wege verlautbart werde: ‚es sei durch allerh. Entschliessung vom 24 Jänner 1860 nach Modificirung des Artikels 57 ex 1791 den kath. Seelsorgern in Siebenbürgen gestattet, zur Sicherstellung der kath. Erziehung aller aus einer solchen gemischten Ehe stammenden Kinder das schriftliche Versprechen der Ehewerber entgegenzunehmen‘: so beehre ich mich an Ew. Exc. die ergebenste Anfrage zu richten: ob Hochdieselben in fernerer hochgefälliger Berücksichtigung dessen, dass eine blosse Verständigung der k. k. Behörden in Siebenbürgen nicht genügen könne, um der Modificirung des bezogenen Gesetzartikels die nöthige Geltung zu sichern, nicht geneigt wären, jene Verlautbarung durch das Reichsgesetzblatt baldmöglichst bewerkstelligen zu lassen? Indem ich hierum recht angelegentlich bitte, beehre ich mich Ew. Exc. mit Bezug auf den Schlussabsatz der hochverehrten Zuschrift vom 3 Juli d. J. Z. 1271 in die hochgefällige Kenntniss zu setzen, dass in einzelnen jüngstens vorgekommenen Fällen solcher Mischehen, welche vor einem nichtkath. Geistlichen vollzogen werden wollten, den sich bei mir anfragenden kath. Seelsorgern bezüglich der Verkündigung in der kath. Kirche die Weisung im Sinne der Erklärung des heil. Stuhles gegeben wurde, und ich die zufolge dieser Erklärung vorzunehmende Verlautbarung an sämmtlichen mir unterstehenden Curat-Klerus so eben vorbereite. — Karlsburg, den 10 Juli 1860. — (Ex Tabul. dioec. Transilv. Nr. $^{2212}/_{1860}$.)

1116.

Idem Praesul Clero notum reddit: promulgationes matr. mixtorum in sequelam declarationis S. Sedis etiam tunc instituendas esse, dum pars catholica declarat, se coram ministro acatholico matrimonium inituram. 1860.

In sequelam optentae ultimis diebus declarationis a S. Sede Pontificia, eousque etiam, donec proxime ampliores circa mixta matrimonia ordines edidero, significo: quod promulgationes mixtorum matr. in Ecclesiis Catholicis casum in eum quoque praesuscipiendae sint, si pars catholica, non obstantibus congruis parochi monitis et adhortationibus, declaret, se insuperhabita passiva assistentia coram ministro acatholico matrimonium inire velle. In omnibus reliquis parochialium circa ineunda matr. mixta agendorum punctis dioecesanae ordinationes adusque vigentes stricte observandae sunt. Albae-Carolinae, 18 Iul. 1860. (Nr. 2340.)

1117.

Gubernator Transilvaniae communicat cum Eppo normativos ordidines, per se ad Officia politica et Superintendentias in sequelam decisionis Pontificiae circa matr. mixta dimissos. 1860.

Mit Bezug auf die geschätzte Zuschrift vom 18 Juli l. J. Z. 888, mittelst welcher Ew. Exc. das an den unterstehenden Curat-Klerus bezüglich der dreimaligen Verkündigung in Mischehen erlassene Circular vom 18 Juli Z. 2340 anher mitgetheilt haben, beehre ich mich eine Abschrift der in dieser Angelegenheit im Grunde der Allerh. Entschliessung vom 24 Jänner 1860 an die unterstehenden politischen Ämter erlassenen Verordnung mit dem Bemerken in der Anlage dienstböflichst mitzutheilen, dass ich unter Einem die Superintendenturen der Evangelischen Augsb. und Helv. Confession, dann der Unitarier aufgefordert habe, die Verkündigung der Ehen zwischen katholischen und nichtkatholischen Personen

auch dann, wenn der nichtkatholische Ehewerber dem katholischen freiwillig das Versprechen gegeben hat, alle aus ihrer Ehe anzuhoffenden Kinder katholisch zu erziehen, um so mehr unweigerlich vornehmen zu lassen, als Ew. Exc. im Grunde der vom heiligen Stuhle erhaltenen Weisung den unterstehenden r. kath. Curat-Klerus beauftragt haben, in Mischehen die dreimalige Verkündigung in der kath. Kirche auch dann nicht zu verweigern, wenn der kath. Theil die Ehe vor dem nichtkath. Geistlichen schliessen zu wollen erklären sollte. — Hermannstadt, am 26 Sept. 1860. (Nr. $^{2447}/_{14}$. 1860.)

Normativi ordines Gubernii. Nachdem der heilige apost. Stuhl ausgesprochen hat, dass hinsichtlich der Abschliessung gemischter Ehen in der siebenbürger röm. kath. bischöflichen Diöcese die Bestimmungen der Instruction des Kardinals Lambruschini vom 30 April 1841 zur Richtschnur zu nehmen sind, wornach auch in Siebenbürgen eine Einwilligung in die Ehe, welche von religiösgemischten Ehewerbern vor dem Seelsorger des nichtkath. Theiles, und in Abwesenheit des kath. Pfarrers gegeben wird, eine kirchlich giltige Verbindung bewerkstelliget, und die Voraussicht eines derartigen Vorganges die Verweigerung der Vornahme der Eheverkündigung in keiner Weise zu rechtfertigen vermöchte, so hat der Herr Landesbischof unterm 18 Juli l. J. Z. 2340 dem r. kath. Curat-Klerus die Weisung ertheilt, in Mischehen die dreimalige Verkündigung in der kath. Kirche auch dann nicht zu verweigern, wenn der kath. Theil die Ehe vor dem nichtkath. Geistlichen schliessen zu wollen erklären sollte. Indem man diess dem Herrn Kreisvorsteher zur Wissenschaft mittheilt, bemerkt man gleichzeitig, dass zufolge der durch das hohe Ministerium für Cultus und Unterricht unterm 3 Juli l. J. Z. 1271 der k. k. Statthalterei bekannt gegebenen allerh. Entschliessung Sr. k. k. apost. Majestät vom 24 Jänner 1860 den kath. Seelsorgern kein Hinderniss gelegt werden soll, in Erfüllung der durch die bezogene Instruction vom 30 April 1841 ihnen eingeschärften Pflicht dahin zu wirken, dass die aus gemischten Ehen hervorgehenden Kinder in der kathol. Religion erzogen werden, und das von Ehewerbern in dieser

Beziehung gegebene Versprechen entgegen zu nehmen. Laut des obbezogenen hohen Ministerial-Erlasses liegt dieser allerh. Anordnung die Erwägung zum Grunde, dass jeder Katholik in seinem Gewissen verbunden ist, seine Kinder in der kath. Religion zu erziehen, überdiess ist in dem päpstlichen Breve vom 30 April 1841, welches seiner Zeit das landesfürstliche Placet erhalten hat, und auf welchem die Vorschrift des 19 §. des bürgerlichen Ehegesetzes für Katholiken im Kaiserthume Oesterreich vom J. 1856, und somit die Zulässigkeit gesetzlich giltiger Eheschliessung von Katholiken mit Personen, die einem andern christlichen Bekenntnisse angehören, beruht, den Bischöfen die Verbindlichkeit auferlegt, auf die Zusicherung der kath. Erziehung der in gemischten Ehen erzeugten Kinder zu dringen. Nachdem nun dasjenige, was die Religion zur Pflicht macht, nicht als eine bürgerlich verbotene Handlung angesehen werden darf, so konnten laut des obbezogenen Ministerial-Erlasses die siebenbürgischen Landesgesetze, insbesondere die Bestimmung des Art. 57 des Landtages vom J. 1791 mit den Gewissenspflichten der kath. Einwohner nur durch die bezogene allerh. Anordnung in Einklang gebracht werden, nach welcher durch die erwähnten Landesgesetze ein freiwilliges Übereinkommen zwischen katholischen und nichtkatholischen Ehewerbern, ihre Kinder in der kath. Religion zu erziehen, nicht ausgeschlossen, auch der kath. Geistlichkeit nicht verboten ist, von Brautleuten die Zusicherung zu verlangen, dass sie ihre Kinder katholisch erziehen werden; allein zur Erfüllung eines solchen Übereinkommens oder einer solchen Zusicherung in Siebenbürgen Niemand den Beistand weltlicher Behörden in Anspruch nehmen könne. Dieser allerh. Anordnung vom 24 Jänner 1860 ist allseitig unweigerliche Folge zu leisten, was um so weniger einem Anstande unterliegen kann, als es den religiös gemischten Ehewerbern, die ein derartiges Übereinkommen nicht treffen wollen, unbenommen bleibt, in der durch §. 19. des bürg. Ehegesetzes für Katholiken vom J. 1856 angedeuteten Weise eine in allen Richtungen giltige Ehe einzugehen. Vom Präsidium der k. k. Statthalterei für Siebenbürgen. Hermannstadt, am 26 Sept. 1860.

1118.

Eppus Transilv. praevios normativos ordines ad notitiam Cleri perfert. 1860.

Exc. C. R. Locumt. Consilium Transilvanicum sub 26 Sept. 1860 Nr. praesid. $^{2447}/_{14}$ sequens Normale ad C. R. Circularium Officiorum Praesides direxit: ‚Postquam S. Sedes Apostolica tenorem Instructionis Lambruschinianae dd. 30 April. 1841 editae, vi cuius matr. mixta in absentia parochi catholici coram ministro partis acatholicae inita valida declarantur, etiam in Dioecesi Transilvaniensi observandum esse declaravit, Ordinarius Transilvaniensis medio Circularium sub 18 Iul. 1860 Nr. 2340 publicatarum Clero Curato significavit, trinam in Ecclesia Catholica occasione ineundorum mixtorum matr. promulgationem ne tunc quidem denegandam esse, si pars catholica declaret, se coram ministro acatholico matrimonium inire velle. Quod ipsum C. R. Circularis Officii Praesidi cum eo notificatur, quod in sequelam publicatae sub 3 Iul. 1850 Nr. 1271 per altum C. R. Cultus-Ministerium Altissimae determinationis dd. 24 Ianuar. 1860 clementer editae, nulla iam Clero Curato Catholico impedimenta obmovenda sint, dum pro officio suo illis per Instructionem Lambruschinianam inculcato procurare adnituntur, ut proles e mixto matr. progenitae in catholica religione educentur, et hoc respectu datum a Sponsis promissum excipiatur. Iuxta praecitatum Ministeriale decretum fundamentum Altissimae talis determinationis illa consideratio constituit, quod quivis catholicus in conscientia obligatus sit ad proles suas in religione catholica educandas; quod item Breve Apostolicum dd. 30 April. 1841 emanatum atque Placeto Regio munitum, cui §. 19 legis civilis matrimonialis a. 1856 latae, consequenter etiam legalis valor matrimonii inter cath. et acathol. personam superstruitur, Eppis obligationem imponat instandi, ut catholica omnium e mixtis matr. progenitarum prolium educatio in tuto locetur. Quia igitur obligationem, quam religio imponit, ceu actum civiliter prohibitum considerare non licet, idcirco postulatum articuli diaetalis 57: 1791 cum dictamine conscientiae incola-

rum catholicorum per praecitatam Altissimam determinationem sic conciliari potuit, quod neque sponsis mixtae religionis mutuus in catholicam omnium prolium educationem consensus prohibitus, neque catholicis Curionibus interdictum sit, ut a talibus sponsis de catholica prolium educatione affidationem postulent; quod tamen nemo ad complementum huic mutuo consensui vel affidationi procurandum Civilium Iurisdictionum auctoritatem vindicare queat. Huic Altissimae determinationi dd. 24 Iannar. 1860 editae eo magis promtus semper effectus procurandus erit, quod mixtae religionis sponsis, qui tali promisso semet obligare nollent, integrum maneat, modalitate §. 19 legis civilis matr. de a. 1856 indigitata connubium omni respectu validum ineundi.' Quod ipsum pro directivo cunctorum SS. Curionum notitiae statu publicatur. Albae Carolinae, 17 Oct. 1860. (Nr. 3000.)

1119.

Eppus Transilvaniensis inviat Parochum pro casu, quo pars catholica mixtum matr. inire cupiens, recusata passiva assistentia, parocho se sistere renuit. 1860.

A Diacono et Parocho Coronensi. Ad preces Rssmae DVestrae dd. 19 curr. Nr. 887 propositas repono: quod neminem fidelium suorum promulgare teneatur, qui se coram officio parochiali sistere renuens, suam ineundi matrimonii voluntatem coram eodem non aperuerit. — Albae Carolinae die 22 Dec. 1860. — (E Tabul. dioec. Transilv. N. $^{3685}/_{1860}$.)

1120.

Repraesentatio Vicarii Gen. Transsilvaniae ad Regium Gubernium, contra incompetenter enunciatum per Synodum Reformatae Ecclesiae in matrimoniali causa Ioannis Barcsay et Mariae Borosnyay, mixtae Religionis coniugum, divortium, dd. 29 Decemb. 1864.

Ad determinationem Generalis Synodi Reformatae Ecclesiae Transsilvaniae in quaestione divortii Ioannis Barcsay in Sessione 9-ae Iunii 1864 sub Nr. 39 latam et per Excels. Regium Gubernium dd. 19 Iulii a. c. Nr. 20842 isthuc transpositam, audito Ven. Consistorio Alba-Carolinensi, penes readclusionem communicatorum, sequens responsum Exc. R. Gubernio demisse substerno.

1) Perpetua separatio a thoro et mensa per S. Sedem Eppalem A. Carolinensem in causa coniugum Ioannis Barcsay et Mariae Borosnyay decreta, a Synodo Reformatorum in respectu Ioannis Barcsay in divortium totale mutata est. „Permovit, imo obligavit nos ad id faciendum, — dicitur in supra attacta determinatione, — matrimonialis lex Ecclesiae nostrae, quae — Synop. Iur. conn. tit. XVI art. 220 — haec statuit: „si coniuges litigantes diversae sunt religionis, sententia ferenda est secundum principia utriusque religionis, in patria non solum toleratae, sed fundamentalibus universis legibus etiam stabilitae ita, ut divortium totale obtinet maritus ex principiis reformatae religionis reformatus, uxor catholica ex principiis catholicae religionis tantum partiale, id est, quoad vinculum manet obligata, seu in separatione perpetua." Hic articulus continetur in libro, anno 1763 sub titulo „Synopsis iuris connubialis, seu tractatus de iure connubiorum, in quo varii casus .... determinantur" edito, transsumptus e tristi aevo annum 1700 praecedente, quo catholici illorum dumtaxat favorum participes esse potuerunt, qui iisdem in in Adpr. D. I. tit. I. art. V. XI, tit. III. art. I, II conceduntur. Tenores horum articulorum non adduco, cum hi neutiquam praeseferant illam tolerantiam, quam ex hoc aevo, instar exempli adferre nonnullis historiae scriptoribus placet. Ex hoc

itaque aevo, — quo liberum exercitium catholicae Religionis, pro recepta declaratae, pure ad infirmorum visitationem, poenitentium exanditionem, Baptismi collationem et defunctis praestandam comitivam, omni alio ritu excluso, restrictum erat, — derivata est praxis, articulo illo attacta ad sec. 18. — Verumtamen systema istud, Ecclesiam catholicam in libero, atque suis principiis conformi exercitio religionis impediens, significatione destitui coepit, ut primnm a) snb mansueto, paternoqne regimine Sereniss. Domus Austriacae Catholicis liberum exercitinm religionis realiter concessum fnit, b) per art. 6 et 7 Comitiorum a. 1744 omnes leges, in praeiudicium cath. religionis latae, inprimis quae liberum eius exercitium prohibent, et „immunitati Ecclesiae qnoqne modo adversantur" abrogatae fuerunt; c) Catholici Statns, signanter cath. Commissio a. 1748, item Eppns Bajtay 23-a Angusti 1766 contra huiusmodi praxim coram p. m. Apostolica Regina M. Theresia energice protestati sunt; — d.) catholici fideles, observando defectum matrimoniorum, apud reformatos contractorum, vi cuius ea charactere perpetuitatis destitunntur, — cum illis dumtaxat acatholicis personis matrimoniale foedus iniverunt, qui scripto promiserant, se catholico ritu copulari desiderare, et pro casu petendae nefors separationis, ad catholicnm forum recurrere velle, ut nempe hoc, et nequaquam protestanticum forum, de matrimonialibus ipsorum causis iudicare qneat. Ipsa Sereniss. Domus regnans, — persuasnm tenens, reformatae Ecclesiae forum non posse iudicare catholicam personam, atque considerato eo, quod secundum dogma cath. Ecclesiae matrimoninm Sacramentnm constituat, et de Sacramento indicinm depromere soli catholieo foro competat, — pro potestate sua, qua mutuas correlationes cnnctarum Confessionum coordinare potest, atque apud Confessiones protestantium, ex ipso protestantismi principio immediato influxu pollet, iam ante a. 1780 clementer disponere dignata est: ut omnes causae mixtorum matrimoniorum, in quibus una pars catholica est, per forum Cath. Ecclesiae decidantur; et quamvis postea, in nexu mandati Regii — per Rescriptum Reg. Gubernii Transsilvaniae dd. 12 Maii 1786 Nr. 30 dispositum fuerit: ut a 1-a Maii 1786 inchoando, omnes matrimoniales

causae in secularibus iudiciis pertractentur; per Rescriptum tamen Gubernii dd. 23 Febr. 1790 Nr. 1335 ecclesiastica fora, a 1-a Maii e. a. pristinae suae iurisdictioni restituta fuere, et matrimoniales causae, in quibus pars una catholica fuit, ad catholicum forum derivari ibidemque pertractari debuerunt. Comitia regni a. 1791, quemadmodum inter alia plura, quaestionem baptismi prolium deciderunt, sic quoad forum mixtorum matrimoniorum quoque legem statuere voluerunt. Interim haec intentio, propter exortas inter catholicos et protestanticos Status et Ordines opinionum diversitates effectu caruit. Quibusnam argumentis fulciverint suam opinionem catholici, e repraesentatione per R. Gubernium 13-a Septembr. 1791 Suae Matti substrata apparet. Sua C. R. et Apost. Mattas considerando causam conscientiae Catholicorum, pro suprema potestate sua medio Decreti, a. 1792 editi et per Gubernium 25-a Octob. e. a. Nr. 7504 publicati, disponere dignata est: ut praxis, secundum quam causae mixtorum matrimoniorum, in quibus una pars catholica est, iam antea coram catholico foro pertractabantur, porro quoque retineatur; declarando etiam: matrimoniales causas illorum quoque, qui matrimonium in alia confessione quidem contraxerunt, si una pars tardius cath. fidem amplexa fuerit, ad catholicum forum pertinere. Hanc praxin adhuc magis confirmavit Sua C. R. et Ap. Maiestas Franciscus I ope Decreti dd. 19 April. 1802. Nec quidquam immutarunt in hac praxi a. 1811-o et tardius celebrata Comitia; causae matrimoniales inter catholicos et acatholicos subversantes, usque recentissima tempora coram catholico foro pertractabantur. — Quod autem immortalis memoriae Reges pro catholicorum iurium, et religiosae libertatis munimine, atque autonomiae Ecclesiae conservatione, zelo religionis atque provehendae populorum moralitatis studio excitati, statuerunt, id actu gloriose regnans C. R. et Ap. Mattas Sua in edita anno 1856 civili lege matrimoniali confirmavit; cuius § 42 haec habet: „De valore Matrimonii Catholicorum illud Iudicium Ecclesiasticum decidit, quod, iuxta Leges cath. Ecclesiae competens forum constituit.“ „§. 43. De valore Matrimoniorum, quae inter catholicos et acatholicos Christianos contrahuntur, quoadusque una pars coniugum

membrum cath. Ecclesiae fuerit, decidere nonnisi catholicum Iudicium matrimoniale potest." „§. 56. Quodsi vero occasione initi Matrimonii una saltem pars catholica fuerit, aut si uterque coniux cath. religionem amplexus sit, tardius vero eandem deseruerit, tunc impedimenta, Ecclesiae legibus ignota, instar motivi nullitatis adferri nequeunt." „§. 59. In omnibus Matrimoniis Catholicorum, item in Matrimoniis inter personam catholicam et acatholicam — dummodo tempore nuptiarum una saltem pars catholica fuerit — coniux, qui pro petenda separatione a mensa et thoro legitima motiva se habere existimat, actionem coram catholico Iudicio matrimoniali erigere tenetur." Ex his omnibus ergo elucet: articulum 220 „si litigantes" ... ad quem reformati contribules nostri provocant, illud dumtaxat temporis spatium respicere, quo ipsi in Transsilvania suprematia potiti sunt: utprimum vero aequalitas iuris sub gloriosa Domo Austriaca vita donata fuit, praxin, huic articulo superstructam, utpote dogmati catholico, atque immunitati Ecclesiae adversam, sublatam fuisse; ad quod reformata Ecclesia quoque successu temporis consensit, cum ab a. 1802 exercitium praetensi iuris non adurserit, et causae mixtorum matrimoniorum ordinarie coram catholico foro pertractatae et decisae fuerint.

2) Generalis Synodus reformatae Ecclesiae provocat ad illas leges, quae reformatae Ecclesiae eadem iura, quae aliis legetenus receptis Ecclesiis, attribuunt; (Adpr. p. I. tit. I. art. II. — p. II. tit. I. 7 art. — p. III. tit. I. art. 1. — compil. const. p. II. tit. I, art. 1, 4, 5) quarum legum sensus in eppali repraesentatione dd. 10 Septemb. 1862 Nr. 2182 (quemadmodum praetenditur) dumtaxat ad liberum exercitium cultus divini restrictus fuit. Supposito eo, has leges sic expositas fuisse, haec interpretatio neutiquam infundata esset; nam hae leges originarie nec in respectu catholicorum latius patebant. Si articulis illis is sensus subesset, quod „una confessio cum praeiudicio alterius ampliora iura exercere non potest; matrimoniale Iudicium cuiusvis confessionis est aequaliter legitimum et competens forum matrimonialium causarum suorum fidelium; ac tandem quivis, ad quamcunque legetenus receptarum confessionum pertinens, iure merito exigere potest,

ut in religiosis atque matrimonialibus relationibus suis iuxta principia, legesque suae Ecclesiae iudicetur," — qui fieri potuit: ut matrimonia inter catholicos et acatholicos contracta, tempore Principum et usque dimidium seculi 18 tamquam ad iurisdictionem reformatae Ecclesiae pertinentia considerarentur? Haec cum catholicis agendi ratio e legibus, quae perfectam aequalitatem iuris stabilire debuissent, deduci neutiquam potest; obiectum mixtorum matrimoniorum non obstantibus vigentibus legibus, instar apertae quaestionis consideratum fuit, quam quaestionem protestantes in rem suam interpretati sunt, coniungendo protestantem cum catholica parte. Pro tali habuit illud etiam p. m. Maria Theresia; nam abrogatis per articulos 6 et 7 Comitiorum Regni 1744 legibus adprobatae et compillatae Constitutionis, in praeiudicium cath. Ecclesiae tendentibus, atque pro irritis declaratis omnibus, quaecunque „immunitati religionis catholicae obversarentur," — in respectu mixtorum matrimoniorum eadem praevenerata Regina, quae attactas leges confirmavit, 19 Augusti 1751 disponere dignata est: ne ministri protestantium sponsos, quorum unus catholicus est, absque assensu Eppi matrimonialiter conjungant. Pro tali habuerunt illud nonnulli protestantes quoque, qui considerando, — opinionem, — iuxta quam matrimonia apud reformatos contracta, fundamento Brevium Benedicti XIV PP. de a. 1741 et 1748 e defectu characteris perpetuitatis pro invalidis habentur, — passim adoptari, matrimonium cum catholicis contrahere cupientes, omni cum promptitudine spoponderunt: se matrimonium coram catholico Sacerdote celebraturos, et in casu petendi divortii, causam ad catholicum forum delaturos. — Articulus quoque 53, in Diaeta a. 1791 latus nonnisi liberum exercitium religionis, neutiquam vero causas matrimoniales respicit. Hac de re testatur historia eius temporis. Inde ab a. 1700 usque 1790 multa dissidia exorta sunt inter catholicos et protestantes, propter transitum, et reditum ex una religione ad aliam, propter ecclesiarum occupationem, prolium e mixtis matrimoniis ortarum Baptismum, propter restrictionem iurisdictionis acatholicorum Ministrorum relate ad infirmorum visitationem et mortuorum sepulturam, et generatim propter suscitatas hinc

inde diversas controversias. His obicem positura Diaeta a. 1791 articulum 53 tulit. Hunc articulum vero non respexisse quaestionem contrahendorum, aut dissolvendorum mixtorum matrimoniorum, apparet ex articulis 55, 57 et 58, qui uberiorem explanationem articuli 53 constituunt; item e repraesentatione Reg. Gubernii, Suae Matti 13 Septemb. 1791 substrata. Ex hac inprimis videri potest: haec duo obiecta in meritoriam discussionem quidem assumpta, sed nequaquam decisa fuisse; videri potest: tam catholicos, quam protestanticos Ordines huius rei decisionem Gubernio commisisse. Et quid fecit Gubernium? Inter cetera ope b. Decreti a. 1802 editi disposuit: interea, donec Comitia hanc quaestionem deciderent, mixtae religionis sponsos a catholico sacerdote copulandos, eorumque divortiales causas a catholico foro iudicandas esse. Ex his omnibus itaque patet: praecitatas leges approbatae Const. nonnisi ad liberum exercitium cultus extendi posse, decisione quaestionis matrimoniorum ad alia Comitia relegata. Interim si reformata Ecclesia supra adductis legibus ad demonstrandam latissime patentem, atque ad obiectum mixtorum matrimoniorum quoque protensam autonomiam uti velit; nos eodem iure ex illis argumenta nostrae autonomiae desumere possumus; cum hae leges non tantum pro protestantibus, sed etiam pro cath. Ecclesia latae sint, et hoc ex obtutu adoptatum per Synodum reformatae Ecclesiae, in divortiali causa Ioannis Barcsay et Mariae Borosnyay procedendi modum instar laesionis iurium nostrorum consideramus. Nos ultro agnoscimus reformatae Ecclesiae ius, vi cuius causas matrimoniales illorum — sed unice illorum — qui qua reformati matrimonium contraxerunt et in eodem qua tales permanserunt, iuxta propria sua principia decidere potest; ast quamprimum reformatus cum catholico matrimonium iuxta praescripta catholicae Ecclesiae contrahit; aut si alteruter reformatorum coniugum catholicam fidem amplectatur, eo ipso principiis reformatae Ecclesiae circa matrimonium renunciat atque characterem indissolubilitatis et sacramentalem Matrimonii adoptat; huiusmodi vero matrimonium ad sphaeram iurisdictionis catholicae Ecclesiae pertinet. Haec inalterabilis convictio catholicae Ecclesiae animavit Suam Mattem Franciscum I Imp. dum supra attactum

Decretum edidit, item dum sententiam, per forum Unitariorum in causa Georgii Iszlay, unitariam confessionem amplexi, latam annihilavit, eundemque ad catholicum forum inviavit.

3) Porro Synodus reformatae Ecclesiae asserit: Mariam Borosnyay, qua catholicum actorem, contra Ioannem Barcsay, qua reformatum incattum, actionem coram reformato foro erigere debuisse, cum iuris axioma sit: „actor sequi debet forum rei," et lege statuatur: „uxor catholica reum maritum in Consistorio reformatorum prosequetur." Quod ad memoratum axioma iuris attinet „actor sequi debet forum rei," hoc generatim quidem subsistit; neutiquam vero valet de diiudicandis inter catholicum et acatholicum coniugem exortis dissidiis; nam, iuxta doctrinam Iurisperitorum, „forum competens sortitur quis aut domicilio, seu residentia, aut re sita, aut contractu, aut delicto, aut denique prorogatione" (Szereday praxis iud. P. I tit. 4.) Hinc iam sequitur: non sufficere, ut reus ad hoc vel illud forum pertineat; si ipsa res, vi suae naturae, aut contractus aut ex aliis considerationibus ad aliud forum spectet. Cum autem Sacramentum, de quo sermo fit, quotiescunque valor matrimonii inter catholicum et acatholicum contracti, oppugnatur, ad catholicum forum pertineat; cum porro nonnulli rei catholicum forum, mediante contractu praevie sibi eligant, et civilis potestas illud in respectu mixtorum matrimoniorum catholicorum pro competente foro declaret: hinc suapte sequitur, catholicam partem, qua actorem, catholicum forum sequi debere, utpote forum e pluribus titulis competens. Ex hoc visus puncto egressi sunt catholici omni tempore, et elapso seculo quoque, dum iam circa a. 1750 similes matrimoniales causae vice plus simplici apud catholicum forum pertractabantur, quod tardius — praesertim posteaquam protestantes cum catholicis matrimonium contrahentes scripto spopondissent: se matrimoniales suas lites ad catholicum forum delaturos, in realem usum et consuetudinem abivit. Negari quidem non potest, protestanticos Ordines in Diaeta 1791 hanc praxin immutare voluisse; ceterum obstiterunt e supra adductis rationibus Catholici; et cum in condendo legis articulo mutuus consensus obtineri non posset, ipsa Sua Mattas pro suprema sua potestate contro-

versam quaestionem decidit, confirmando per Ordines a Gubernio sub Nr. 7504/1792 publicatos antiqnam consuetudinem, iuxta qnam matrimoniales causae non tantum Illorum mixtae religionis coniugnm, quorum unns occasione nuptiarum catholicus erat, — sed etiam illorum, qni matrimonium quidem qua acatholici iuiverunt, quorum alteruter tamen tardius catholicns factus est, — coram catholico foro pertractandae veniunt. Hi ordines, quemadmodum iam supra demonstravi, a. 1802 renovati fuerunt. Igitur e conceptu matrimonii, qua sacramenti, suapte fluit, atque ex historia demonstratur: axioma: „actor debet sequi forum rei," iudiciariae pertractationi causarnm mixtorum matrimoniorum catholicorum applicari neutiquam posse. Relate ad adductam legem „uxor catholica reum maritnm in Consistorio reformatorum prosequetur," respondeo: catholicos hanc legem non noscere; et, si nefors tunc, dum catholici nec Sacerdotes habere potnerunt, vigorem habuisset — ab eo tempore, quo catholici maiori libertate frui coeperunt, eidem prorsus oppositam praxin invaluisse; in praetensa lege contentum, ac libertati catholicae Ecclesiae obstantem usum desiisse et a reformata quoque Ecclesia neglectnm fuisse. Ex hac consideratione ergo Maria Borosnyay causam snam coram foro reformatorum occipere non potuit. Id antem, ut catholicum Iudicium matrimoniale in respectu Ioannis Barcsay sententiam iuxta principia reformatae Ecclesiae ferat, a catholica Ecclesia, quae indissolubilitatem atque perpetuitatem valide contracti matrimonii pro articulo fidei habet, quaeve Mariam Borosnyay et Ioannem Barcsay velnt catholicos indissolubili matrimonio coniunxit, — expectari non potest. Quod vero forum reformatorum ideo, quia catholicum Iudicium matrimoniale in respectu Ioannis Barcsay sententiam non tulit, — iuxta principia reformatae Ecclesiae adactum, imo legaliter obstrictum fuerit, sententiam catholici fori relate ad Ioannem Barcsay in divortium mutare: — id prorsus non intelligo. Ubinam existit haec lex? Neque in synopsi iuris connubialis reperitur huiusmodi lex. Dicitur: Ioannes Barcsay, qua reformatus in situ, per perpetuam separationem a Maria Borosnyay causato, permanere non potuit, id nempe legibns nostris repugnat. Ubi sunt hae leges?

Ego e documentis tabularii eppalis, item e synopsi iuris connub. tit. XV art. 209 scio: partem nocentem ligae subiiciendam esse; item iuxta tit. XVII art. 222 „nocens vero magistratui politico ad puniendum addicatur, excommunicetur; atque ad mortem innocentis in vinculum viduitatis coniiciatur." Ioannes Barcsay in lite cum uxore sua, publici peccati, adulterii, convictus est; quodsi ergo reformata ecclesia cum illo velut reformato agere voluit, cur non processit contra eundem iuxta tenores 222 articuli? Quod Ioannes Barcsay, qua adulter, cum documentis, adulterium eius comprobantibus atque damnantibus, coram reformatorum foro qua actor comparere potuerit, atque sententia, iuxta placitum hominis propriam suam turpitudinem publicam reddentis, lata fuerit? id cum principiis moralitatis componere nescio. Si permittatur, ut maritus a legitima sua consorte separari cupiens, scopo adimplendae huius intentionis, adulterium perpetrare, et posteaquam sceleris convictus et indicatus fuit, huic sententiae innixus, coram alio foro comparere, privilegium cum concubina sua matrimonium ineundi petere et obtinere possit: tunc dicendum erit: „summum ius et summa iniuria;" — tunc reformatorum ministris applicanda erunt verba, quae art. 225 synops. iuris connub. per ecclesiam reformatorum ad sacerdotes Valachorum diriguntur: „Quod plerumque sententia ecclesiasticorum conscientiose, canonibusque conformiter lata, absque executione ratione partis nocentis transmitti soleat. Pars enim innocens Magistratui politico deferre tenetur, is lege prosequi, et si in vita manere contingat, in statu viduitatis permanere vita durante insontis, ex mente canonis LXXI. At vero insons satis habet, si a vinculo coniugii liberetur, magistratui deferre, is lege prosequi, insuperhabent. Poenitentiam qualemqualem si agat, atque ecclesiasticam impetret absolutionem, tunc etiam nemine curante nubit alteri. Minister, ut copulet, variis artibus circumvenitur: aut si induci is non possit, quaerunt hierologiam apud popas Valachorum. Atque ita peccatis scelera accumulant."

4) Dicit insuper Synodus reformatorum: „Profecto omnes supra adductae fundamentales leges infringerentur, atque signanter articulus 53 a. 1791 violaretur, — quem tamen

gloriosus quidam antecessor actu regnantis Suae Mattis his verbis confirmavit: „Quatnor receptae religiones vigore legum patriarum, ben. diplomate Leopoldino firmatarum, in aequalitate iurium et libertatum suarum, liberique exercitii, non obstantibus in contrarium editis ordinationibus, porro etiam conservabuntur;“ — si sententia per nostram generalem synodum hoc in obiecto lata, instar incompetentis iudiciarii actus consideraretur.“ Supra iam demonstravi, hunc legis articulum, de libero exercitio religionis atque de aequalitate iurium generatim loquentem, ac per articulos 55, 57 et 58 circumscriptum, de matrimonialibus causis catholicorum et acatholicorum quomodo decidendis, nihil statuere. Obiectum mixtorum matrimoniorum in Comitiis Regni 1791 distinctim pertractatum fuit, et ea, quae per protestanticos Ordines adversus catholicos hoc in merito conclusa fuere, non tantum altissimam sanctionem non obtinuerunt; quin potius Sua Mattas Franciscus I. Imp. — ut supra narratum est — huic concluso oppositam ben. resolutionem edidit. De laesione igitur fundamentalium legum sermo esse nequit, cum huiusmodi fundamentales leges non existant. Quod vero reformatus coniux, ad cath. fidem conversus, competens iudicium apud matrimoniale forum catholicum quaerere debeat, dum ex adverso catholico, ad reformatam confessionem transeunti, iuribus et statutis reformatos concernentibus uti non licet: id ex respectu magni momenti foederis matrimonialis, publicaeque moralitatis potius gaudii argumentum constituere deberet; nam si indulgeretur, ut catholicus coniux, reformatam confessionem amplexus, coram foro reformatorum divortium e causis non dirimentibus petere possit: tunc latissima porta aperiretur coniugali infidelitati, familiarumque dissolutioni, hoc praesertim aevo, dum matrimonia tanta cum animi levitate conciliantur; dum catholicae secus proles ideo nonnunquam a reformatis ministris baptisantur, ut adultae, contractoque matrimonio, praetextum a gravi nefors coniugali vinculo se liberandi consequantur; dum catholica pars saepe ante nuptias a sua fide deficit, ut successu temporis coram foro reformatorum a coniuge suo facilius separari possit; dum denique defectiones a fide passim propter contrahenda vetita connubia, aut obtinendum divortium

magno numero consumantur. Iuxta relationes, quae isthic praesto sunt, ab a. 1857 usque 1862 inclusive, 524 catholici defecerunt a cath. fide; et inter hos quidem adminus 137 ideo, ut cum asseclis aliarum confessionum matrimonium inire possint; 28 ideo, ut cum divortiatis aliarum confessionum personis nuptias contra principia catholicae Ecclesiae celebrare queant; 49 demum eo scopo: ut apud forum protestantium solutionem vinculi matrimonialis obtineant; — haec apud protestantes fiunt; — dum ab opposito ne unus quidem protestantium catholicam fidem amplectitur, ut facilius a coniuge suo liberetur. Multiplicatio divortiorum manifestum indicium est dissolutionis ordinis socialis. Quo deveniet societas, quo fundamentum illius constituens familia, si cuivis levis mentis homini, taedio convictus cum uxore, prolibusque capto, liberum fuerit, domo, uxore, prolibus relictis, concubinam assumere, in adulterio vivere, atque uxore contra eundem procedere adacta, ipsoque adulterii convicto ac separato, ad aliam confessionem transire, et in ea concubinam suam ducere, instar proemii violatae coniugalis fidei, causatae familiae ruinae, vinculorum familiae disruptionis, publicae moralitatis vilipensionis? Quem conceptum fovebit quivis maturi iudicii homo de confessione, quae proselytas non medio convictionis, sed per illicia facilius obtinendi divortii, facere videtur? Non possum supponere, reformatam ecclesiam tali modo dilatari cupere; idque eo minus suppono, cum contra huiusmodi incrementum ipsa protestata fuerit 2-o puncto Circularium, anno 1798 sub Nr. 4561 Gubernii publicatarum, prohibendo: ne prostitutae moralitatis atque in publicis peccatis viventes homines ad reformatam confessionem admittantur. Utinam reformata Ecclesia hoc punctum prae oculis haberet; tunc enim nobis ansam querulandi non suppeditaret, atque hoc, alioquin sat turbulento aevo, maiori reciproca pace frui possemus! — Id vero, ut lex enunciet aequalitatem iurium receptarum confessionum relate ad catholicos et acatholicos coniuges; ipse quoque vehementer opto; sed id tunc tantum fieri poterit, si aut matrimonia inter catholicos et acatholicos penitus prohibita fuerint; aut actu praeexistentes ordines suum vigorem retinuerint; secus autem, nunquam. — Satis desudarunt hoc in

opere patres patriae sub Comitiis 1791; ast incassum; nam catholica Ecclesia suis principiis, prosperitatem, floremque familiarum et societatis promoventibus, valedicere neutiquam potest; et, si attentaretur legislatio, principiis catholicae Ecclesiae opposita: contra huiusmodi ausum, publicam et positivam professionem catholicae religionis, sanctorumque dogmatum nostrorum impedientem, vitam ex fide restringentem, patriisque legibus, aequalitatem iuris in libero religionis exercitio nobis asserentibus, adversam, protestari, iura nostra defendere, instar sanctissimi officii mei reputarem; perfecte mea faciens verba, quae S. Hieronymus cuidam adversario dixerat: „In uno tibi consentire non possum, ut me catholicum non probem. Si ipsa causa discordiae est, mori possum, tacere non possum.“

5) Generalis Synodus Reformatorum, ad factam in substrata abhinc reg. Cancellariae Aulicae Trans. dd. 16 Septemb. 1862 Nr. 2182 repraesentatione animadversionem: quod ecclesia reformatorum e recentissima lege matrimoniali, editisque in huius nexu altissimis patentalibus ea, quae ipsi favent — signanter indultum, mixtae religionis sponsos copulandi, reformatorum ministris tributum — adoptet, minus faventia vero puncta reiiciat, et hac ratione sibi non constet; — sequentia reponit: „Ministri Ecclesiae nostrae districtim obligantur quoad mixta matrimonia normis a lege praescriptis se accomodare; lex autem dicit: „ubi sponsa, ibi copula“; dum itaque ministri hoc in casu ubique mixtae religionis sponsos copulant, non favore novae legis matrimonialis utuntur, sed concessum ipsis per leges ius exercere intendunt.“ Relate ad haec provoco ad declarationes Superintendentis, quarum prima, in causa matrimoniali Ladislai Markus et Aloysiae Bedő per Exc. Gubernium R. dd. 2 Martii a. c. Nr. 8875 — altera vero in causa matrimoniali Stephani Nagy et Carolinae Kassay dd. 13 April. a. c. Nr. 12642 horsum transposita fuit. In utraque causa Superintendens instar argumenti adducit § 19 novae legis matrim.; ad quod observationes meas dd. 25 et 27 Maii a. c. Nr. 691 et 894 communicavi. Ex his declarationibus apparet: quod ministri reformatorum respectivos mixtae religionis coniuges unice fundamento § 19 novae legis matr. neutiquam vero vigore axiomatis „ubi sponsa, ibi co-

pula" copulaverint; nam hoc axioma, — priusquam a. 1860 vigor. Instructionis Lambruschinii ad Transilvaniam quoque extensus fuisset, — in respectu catholicorum et acatholicorum sponsorum iam ab uno seculo et amplius, non applicabatur; cum in b. Resolutione p. m. M. Theresiae dd. 19 Augusti 1751 dispositum fuerit: „Interdictis trium reformatae et lutheranae in illo principatu religionum ministris, ne deinceps diversarum religionum personas, si una earum catholicam profiteatur religionem, sine licentia Episcopi catholici copulare audeant;" et si huiusmodi coniuges, praeterito Eppo, copulati fuissent, ipsorum matrimonium pro clandestino, adeoque invalido declaratum fuit; quae praxis usque ad recentissimum tempus, quo Instructio Lambruschinii ad Transilvaniam quoque extensa est, in vigore mansit. — Haec regula „ubi sponsa, ibi copula" quemadmodum in respectu mixtorum matrimoniorum catholicorum ab uno seculo iam observata non fuit, ita nec nunc in effectum deduci potest; nam ordines, priori seculo editi, ne coniuges mixtae religionis, quorum unus catholicus est, absque indultu catholici Eppi copulentur, — hodiedum revocati non sunt; imo novum robur consecuti sunt in § 19 legis matrimonialis catholicorum, ubi expresse dicitur: „In matrimoniis inter catholicos et acatholicos Christianos declaratio consensus coram catholico Parocho fieri debet." Favor, in ulteriori contextu huiusce §-i ministris protestantium concessus, contra nos prorsus nihil probat; cum ibi quoque nullus respectus habeatur regulae „ubi sponsa, ibi copula;" — nam si protestans mulier satisfaciat praescriptis catholicae Ecclesiae, per catholicum Sacerdotem copulatur cum viro catholico, — et si protestans vir, postulatis cath. Ecclesiae satisfacere renuens, cum catholica sponsa sua penes passivam assistentiam cath. parochi copulari nolit, iuxta hunc §-um a protestantico Ministro quoque copulari potest.

6) Generalis Synodus Ecclesiae Reformatorum asserit: non fuisse necessarium, ut Maria Borosnyay, — scopo immutandae perpetuae separationis, a catholico Iudicio decretae, respectu Ioannis Barcsay in divortium, — ad faciem gen. Synodi evocetur, partim ideo, quia iudiciaria praxis id non praescribit, partim ideo, quia eadem non spectat ad illud forum. —

Ubi est lex, vigore cuius Maria Borosnyay ad Synodum reformatorum citari non potuisset? Huiusmodi lex non datur; eo minus vero existit similis praxis, — nisi pro praxi sumatur gravis ille abusus, quem ecclesia reformatorum ab aliquot annis committere coepit, et cuius sublatio ab Exc. Reg. Gubernio — quamvis hucdum sine effectu — petita fuit. Si itaque seu partialis, seu generalis synodus in respectu Ioannis Barcsay se pro competente foro, — quod ceteroquin non erat — consideravit: tunc Mariam Borosnyay quoque citare debuit; etenim Iudex, non audita adversa parte, iudicare nunquam potest. D. Superintendens in sua declaratione dd. 28 April. 1863 Nr. 369 dicit: enunciatum per SS. Sedes Alba-Carolinensem et Colocensem in causa Ioannis Barcsay et Mariae Borosnyay divortium, mutari aut anullari nec debuisse, nec potuisse. Particularis synodus declaravit: perpetuam separationem nonnisi relate ad Ioannem Barcsay, qua reformatum, in perpetuum divortium (a vinculo) mutandam esse. — Recte dicit D. Superintendens: sententiam in matrimoniali causa Ioannis Barcsay et Mariae Borosnyay latam immutari non potuisse; nam utraque S. Sedes perpetuum divortium, sed nonnisi quoad thorum et mensam, neutiquam vero quoad vinculum, enunciavit. Ut divortium quoad vinculum quoque pro perpetuo declarari possit, hoc scopo — si D. Superintendens suum forum, non obstantibus supra adductis, pro competenti arbitratus est — Mariam Borosnyay quoque exaudire debuisset; quod tamen nec ipse praestitit, nec ab aliis fieri iussit. Ex hucdum expositis sufficienter evincitur, novas nuptias Ioannis Barcsay cum Anna Virág ex obtutu legali impediendas fuisse. Quod vero hae novae nuptiae ex respectu morali admitti non possint, omnino certum est. Nam quo, quaeso, devenient familiae, quo moralitas et virtus, si indultum fuerit coniugem suam nauscanti marito cum alia, concubina, adulteria patrare, ut a legitima uxore sua separari, et in proemium adulterii, atque apostasiae suae, cum concubina, pariter fidem negante, ad novum matrimonium admitti possit? Ubi erit religio, ubi supranaturalis character matrimonii, ubi religiositati insistens familiarum felicitas: si huiusmodi, fors etiam paganis ignoti, excessus pro legalibus,

et moralibus habiti fuerint? Et, si una pars coniugum, tali ratione coniunctorum, remorsus conscientiae supprimere non valens, gratiaque Spiritus S. permota, contrito corde redire desideret ad sinum Ecclesiae, quem propter peccaminosum et in sequelis suis infelicem nexum deseruit, — quod nonnisi sub conditione derelinquendi scelesti coniugis fieri potest -- quae sors manebit illam sub obtutu morali atque materiali? quae sors proles, quas pro sobole peccati considerare debebit? quae sors manebit huiusmodi familias, atque societatem, ex talibus familiis compositam? Reipsa ex morali obtutu matrimonium Ioannis Barcsay cum Anna Virág, ecclesiastice admitti nullatenus potest.

7) Si denique expendamus Ioannem Barcsay tunc, dum matrimonium cum catholica Maria Borosnyay contraxit, catholicum fuisse, atque iuxta principia catholicae fidei cum Maria Borosnyay indissolubile matrimonium contraxisse, hocque indissolubile vinculum matrimonii iuramento etiam confirmasse, — suapte quaestio oritur: an Ioannes Barcsay per suum ad reformatam confessionem transitum ab hoc vinculo absolvi possit? numquid miles, ad hostilia castra transfugiens, per id a iuramento fidelitatis, Imperatori suo praestito, absolvitur? Tales sunt hae quaestiones, ad quas iuxta principia moralitatis, et ex respectu salutis reipublicae negative respondendum est. Propterea ipse Iosephus Imp. a liberis principiis suis celebratus, causas matrimoniales 1786 secularibus Iudiciis committens, dd. 5 Iulii 1787 disposuit: ut vinculares processus conformiter principiis, secundum quae matrimonia contracta fuerunt, decidantur. — Itaque matrimonium Ioannis Barcsay cum Maria Borosnyay quoad vinculum dirimi non potest.

Spectata gravitate huius negotii Exc. R. Gubernium, qua ben. Resolutionum, Legum, legitimorum iurium et aequalitatis religiosorum iurium custodem, demisse orare sustineo: ut a Synodo Ecclesiae reformatorum cum iniuria catholicae Ecclesiae adhiberi solitam, tot, tantisque altioribus ordinationibus adversantem huiusmodi agendi rationem, impedire, — signanter matrimonium Ioannis Barcsay cum Anna Virág pro irrito declarare et annullare, — porro Ministros pro testantium ad observantiam legum et ordinationum inviare, a

similibus legum infractionibus vero inhibere, — catholicam Ecclesiam Transsilvaniae in religionis et iurium libero exercitio conservare, — demum has iustissimas preces Suae C. R. et Apost. Matti, fonti gratiarum, substernere dignetur: ut sub altma protectione Suae Mattis libero exercitio iurium nostrorum, unius seculi usu confirmatorum, perfrui, conscientiae vocem libere sequi, vitam iuxta sanctissima dogmata nostra instituere valeamus; et ne altmae ordinationes Praedecessorum Suae C. R. et Apost. Mattis, in emolumentum humanitatis, civilisationis et christianorum morum tendentes, effectu frustrentur. — Albae Carolinae, die 29 Dec. 1864. — (Ex Tabul. Dioec. Transilv. Nr. 2470/1864.)

1121. 1122.

Vicarius Capitularis Transilvaniensis Metropolitae sui Colocensis sensum ac mentem exquirit in negotio sententiae matrimonialis pro divortio perpetuo quoad thorum ac mensam per Consistorium latae, et per Synodum Reformatorum in divortium quoad vinculum transmutatae. 1865.

1121. Maximae nobis actu sunt cum Consistorio respective Synodo reformatae ecclesiae differentiae, ex eo exortae, quod sententia de divortio perpetuo quoad thorum et mensam in causa matrimoniali Ioannis Barcsay et Mariae Borosnyai a V. Consistorio Alba-Carolinensi in Sessione diei 13 Dec. 1860 enunciata, atque a Ven. Cons. Metrop. Colocensi ceu foro appellatorio sub 7 Mart. 1861 approbata, in Synodo reformatae ecclesiae in divortium perpetuum quoad vinculum transmutata, atque Ioanni Barcsay apostatae, iudicialiter adultero declarato, Annam Virág pariter apostatam concubinam suam ducendi in uxorem facultas data sit, hocque matrimonium in opprobrium catholicorum et in obversum legis civilis matrimonialis etiam coaluerit. Ad reprimendos ausus similes, matrimoniumque Ioannis Barcsay et Annae Virág invalidum declarandum Exc. R. Gubernium sub 26 Sept. 1861 Nr. 1844, Excelsa vero Cancellaria R. Aulica sub 10 Sept. 1862 Nr. 2182 requisita sunt. Nil tamen hucusque in tanti momenti

negotio actum, nisi quod correspondentiis inter Ordinariatum Transilv. et Synodum reformatae ecclesiae fovendis via aperta fuerit. Synodus reformatae ecclesiae Claudiopoli die 9 Iun. 1864 celebrata in Concluso declarat: se iuri, aequitati ac iustitiae conformiter egisse, dum divortium Ioannis Barcsay quoad thorum et mensam in foro catholico latum in divortium perpetuum quoad vinculum commutavit. Contra hoc Conclusum Synodi reformatae ecclesiae declarationem Exc. R. Gubernio exhibendam censui. In hac declaratione vi antiquorum et recentiorum documentorum publicorum cuncta praecitati Conclusi argumenta enervantur, immoralitasque actus matrimonialis inter Ioannem Barcsay et Annam Virág admissi, imo tristes huius exempli in familias et societatem sequelae ad vividum expositae sunt. Nolo tamen in tanti momenti re solus procedere, et antequam adnexam declarationem praelaudato Dicasterio exhiberem, consilia sensaque sapientissimorum Ecclesiae Catholicae Antistitum discere volo; id vero, ut Excellentiae Vestrae altam mentem in praesenti causa expeterem, officii ratio postulat. Quapropter Exc. Vestram humillimis precibus adire sustineo, quatenus perlecto operato adnexo, perlustratis actis ad illud spectantibus, pensatisque argumentis et principiis in illo adductis, altam mentem sensaque sua in merito rei, cynosurae instar servitura mihi gratiose notam reddere dignetur. — Albae Carolinae, die 11 Ianuar. 1865.

1122. AEppi Colocensis responsum. Ex actis documentisque a Rssma DVra comitibus aestimatis dd. 11 curr. literis mecum communicatis dolenter admodum intellexi, quod sententia in causa matrimoniali coniugum Transilvaniensium Ioannis Barcsay et Mariae Borosnyai per duo fora catholica e capite adulterii per virum commissi pro perpetuo a thoro et mensa divortio lata, in foro reformatae ecclesiae Transilv. in divortium perpetuum quoad ipsum vinculum transmutata, viroque apostatae et adultero, non obstante ligamine, quo memoratae uxori catholicae indissolubiliter nectitur, concubinam suam, quae pariter a fide catholica defecit, in uxorem ducendi facultas data fuerit. Huiusmodi fori ecclesiae eiusdem reformatae factum praevigentibus legibus tantopere

adversatur, tamque temerarium involvit ausum, ut id nullo prorsus pacto dissimulari possit, tanto quidem minus, quo evidentius est, ex idmodi exemplis tristia admodum nedum in rem catholicam, sed in ipsas familias, atque in socialem vitam consectaria redundare posse. Quam igitur ad praecavendos similes ausus Rssma DVra ad Exc. Gubernium R. Transilv. adornavit mecumque communicavit repraesentationem, eam ceu legibus altissimisque Resolutionibus Regiis fundatam et perniciosa huiusmodi actuum consectaria apprime adumbrantem non solum magnopere approbo, verum etiam utpote causam communem, quantum in me est, opportuna inprimis, quam ipse sum quaesiturus, occasione semet offerente succolare nullus intermittam. — Colocae, 24 Ianuar. 1865. — (Ex Tabul. dioec. Transilv. Nr. $^{241}/_{1865}$.)

---

c) Appendix ad Monumenta Transilvanica.

1123—1168.

Acta nonnulla, quae ad famosam conditionem ‚donec in honestate permanseris' apud Calvinistas occasione copulationis matrim. adhiberi solitam se referunt.

1123. Decretum S. Congr. Officii super matr. Calvinistarum in Transilv. 1748. Feria V prima Aug. 1748 in Congr. Gen. S. Rom. et univ. Inquis. habita in Palatio Apost. Montis Quirinalis coram SS. D. N. D. Benedicto Divina Providentia Papa XIV, ac Emin. et RR. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Gener. Inquisitoribus, a S. Sede Apost. specialiter deputatis: relatis infrascriptis casibus propositis ad S. Congregationem de Prop. Fide a P. Sebastiano Bodó Ord. Min. obs. Reform. Missionario in Transilvania, et ab eadem S. Congregatione ad S. Officium remissis, videlicet 1. Sempronius Calvinista Dioecesis Albensis Transilvaniae ante 5 annos coram Curione suo Calvinista, nam nec ipsimet clandestina matrimonia valida admittunt, sub conditionibus ‚Contraho tecum, si, vel quamdiu manseris in honestate coniu-

gali, vel si fidem thori servaveris' contraxit matrimonium cum Sempronia Calviniana; haec Sempronium aliquoties infideliter deseruit, redire renuit; Sempronius taedio affectus, et, ut animae suae saluti consuleret, fidem catholicam suscepit; angitur nunc et dubitat, num recipere teneatur in haeresi Calviniana remanentem, veram, an putativam uxorem? item, quod forum eiusdem in causa divortii quoad vinculum, Calvinistarum, an Catholicorum? 2. Titius Calvinista coram ministro eiusdem sectae et testibus in Dioecesi Albensi Trans. contraxit matrimonium cum Titia Calviniana ante annos 20 sub praedictis conditionibus. Iidem nunc recenter conversi ad fidem catholicam dubitant, an ad hoc, ut simul manere possint, consensum, et quidem coram parocho et testibus renovare teneantur? Quaeritur: 1. an Sempronius ex Calvinismo conversus, qui coram Praedicantio Calvinista sub hac vel aequivalenti forma cum Sempronia contraxit: ‚duco te, si, vel quamdiu manseris in honestate coniugali, vel si, vel quamdiu fidem thori servaveris,' validum contrahat matrimonium? siquidem et ipsi haeretici violatis dictis conditionibus coniuges ad alia vota transmittunt. 2. An ad forum haereticorum pro declaratione nullitatis matrimonii neo-conversus teneatur? 3. An taliter in haeresi contrahentes, postquam convertuntur, iuxta formam Conc. Tridentini consensum renovare teneantur? Ad haec: Tridentinum Concilium usu et consvetudine catholicorum in hac Dioecesi receptum esse omnino certum est. SSmus Dnus noster Papa praedictus auditis votis DD. Emin. Card. censuit rescribendum esse per eandem S. Congr. de Prop. Fide dicto P. Seb. Bodó Ord. Min. Missionario in Transilvania: Matrimonia in utroque dubio relata nulla prorsus esse et invalida; ad primum dubium specialiter: Sempronium non teneri ad recipiendam uxorem in haeresi Calviniana manentem, imo nec teneri ad eandem recipiendam, si ad catholicam fidem converteretur, posse tamen ad catholicam fidem conversam recipere, si velit, in uxorem, renovato coram parocho et testibus utriusque consensu, si nullum alias inter eosdem intercedat impedimentum. Indignum prorsus esse recurrere ad Calvinistas pro declaratione divortii quoad vinculum. Stante veritate expositorum matrimonium illud nullum sua natura

corruere, nec simpliciter et absolute indigere Sempronium declaratione fori ecclesiastici, ut possit ab asserta uxore separari. Ad 2. dubium: debere recenter conversos renovare consensum coram parocho et testibus, ut tamquam legitimi coniuges in coniugio manere possint. Paulus Antonius Capellinius, S. R. et univ. Inquis. Notarius.

1124. Relatio et species facti de matrimonio Michaelis Dósa et Christinae Macskási a. 1752 in sensu praevii decreti S. Congr. Off. inito, per Parochum Bözödfalvensem Vicario praestita. Anno 1752 die 14 mensis Aprilis, dum Makfalvae apud Sp. D. Michaelem Dósa, ab eodem vocatus pro confessione paschali nonnullorum ibidem existentium catholicorum nondum pro Paschate confessorum, a Ven. Capitulo sub iurisdictionem meam denominato loco essem, die 13 Apr. Ill. Domina Vidua D. Comitis Stephani Bethlen, dein Domino Váradio nupta, ad praefatum locum etiam venit, certa sua literalia instrumenta, ut aiebat, Sp. Domino Dósa communicatura. Ubi dum die 14 Apr. hora 7 matutina Sacrificium Missae in oratorio domestico penes facultatem Exc. D. D. Ordinarii celebrassem, in instanti finito Evangelio ultimo, allocutus est me Sp. D. Dósa, ac ibi existentes R. Patrem Plebanum Attyhaiensem, et Magistrum eiusdem Plebaniae, ac Cantorem Makfalviensem, ut audire placeret, quae vellet significare: ubi unus alteri annulo transposito, clara et distincta voce formulam matrimonii de praesenti Sp. D. Dósa recitare coepit, qua necdum finita dum advertissem, quid vellent, mox contra protestatus sum, nil me velle audire neque conscium esse; illi tamen protestationem meam nulli pendentes, etiam Domina Illma formulam matrimonii ex Rituali descriptam ex charta recitavit; de quibus, uti prius, iterum solenniter protestatus sum, me nihil in hoc passu velle audire, scire. Quod factum fide sacerdotali a me antea inscio, licet coram me ac R. P. Attyhaiensi, ac Magistro eiusdem loci, necnon Cantore Makfalviensi perfectum, ne culpa in me redundet, humillime Rmo Dno perscribere obligationis meae duxi. P. Georgius Lukácsy, Plebanus Bözödujfalvensis.

1125. **Repraesentatio Michaelis Dósa ad Vicarium et Capitulum de suo matrimonio cum Chr. Macskási praevio modo inito.** Abunde innotuit Rmo Dno Praeposito ac Vicario Generali, non ita pridem evolutis diebus, qualiter cum Domina Christina Macskási, existimata Stephani Váradi coniuge, coram facie Ecclesiae validum in substantia, ut reor, contraxerim matrimonium. Verum non sine iusto doloris sensu ac conscientiae disturbio desiderato effectu potiri haud valui. Quibus vero ex motivis et eo quo celebratum est modo adductus sim ad contrahendum cum praefata Domina matrimonium, ut Rmo Dno Praeposito et quorum interest palam sit, praesenti pagella cum specie facti, rationibus ac motivis ex catholica veritate erutis, Conciliis item ac SS. Congregationum decisionibus, classicorum Doctorum Theologorum ac Canonistarum infallibilibus practicis conclusionibus deductis, humillima submissione praesento; supplicando demississime, perpensis meis rationibus si quid in hac mea causa matrimoniali cum praefata Domina coram Parocho et testibus contracta, ex paterno affectu, officii sui ratione ac zelo efficere possunt, catholicae veritatis in hanc rem expendendo fundamenta, decisiones et motiva, rationes item et argumenta, gratiose digneutur ostendere. **Species facti.** Anno 1752 die 14 Aprilis, dum meus parochus in meo domestico sacello Missae Sacrificium ultimo perlecto Evangelio finivisset, in ianua Capellae cum D. Christina Macskási penes invicem stando allocutus sum praesentibus testibus Plebanum meum his verbis: A. R. Pater, placeat audire et videre, praesenti Dominae offero hunc annulum in signum sponsalitii coram Vestra Reverentia, et illa vicissim alium annulum digito applicando, mox dixi: hanc personam, quam per manus habeo, amo, et illam in vitae sociam, uxorem meam accipio iuxta divinam et Ecclesiae Romanae Cath. ordinationem, et mea ac illius vita durante eam in nullis necessitatibus deseram: ita me Deus adiuvet, Beatissima Mater, et omnes Sancti Dei. Et illa omnia ea dixit in praecitata forma. Quo viso et audito parochus protestatus est, se non velle audire, nec assentiri. **Motiva:** 1. De nullitate matrimonii, utpote conditionati Christinae Macskási olim ritu Calviuistico contracti sum asse-

curatus, et certa fide teneo, vel exinde, quia passim ad alia vota ipsimet Calvinistae suos transmittunt, et dum convertuntur ad fidem catholicam, divortio ab ipsis obtento, nostrates quoque ad alia vota transire permittunt conversos. 2. Communiter Catholici Doctores tam theologi quam Canonistae docent, quod si substantiae matrimonii, bono videlicet prolium, fidei, et sacramenti, (quibus adnumeratur perpetuitas) contraria adiiciatur conditio, matrimonium reddatur nullum, et irritum; huiates autem Calvinistae matrimonium sacramentum esse pertinaciter negant, per adulterium alterius partis solvi quoad vinculum tenent, conditionem perpetuitati contrariam adiiciunt expressis verbis. 3. Nulli dubium esse potest, quin C. Trid. decretum Sess. 24 de ref. matr. de celebratione matrimonii a Catholicis receptum sit in Transilvania, qua lege tenentur etiam ipsi haeretici, ii autem sine praesentia parochi legitimi (cuius nomine venit unice parochus catholicus, ita Holtzmann th. Mor. tract. 2. de Matr. c. 3. n. 342. et alii passim) contrahunt. Unde nullum esse matrimonium eorum etiam ob impedimentum clandestinitatis omnino certum suppono, quod etiam S. Cardinalium Congregatio de Prop. Fide et S. C. Trid. Interpretum, ac S. Poenitentiaria ex diversis mundi, praesertim Europaeis partibus requisita catholice et unice respondit, responsionem confirmantibus ipsis successive Ecclesiae Cath. Capitibus. Primum punctum evidentissime constat Rmo Dno Praep. et Vic. Generali ac Ven. Consistorio, nec alia probatione eget, quam consideratione ab ipsismet Calvinistis usuata, habenturque plura exempla; inter illa sufficiat in Com. Hunyadiensi anno circ. 1746 pago Szálláspataka, ubi provectae aetatis Calvinista paciscendo cum Sartore Ill. Dominae contheralis quondam Gregorii Barcsai iuvenem uxorem pro certa pecuniae summa vendidit praelibato sartori aeque Calvinistae, et copulata sartori ipse quoque senecio parem sibi duxit. 2. Post conversionem alterius partis ad fidem catholicam, si divortium obtineatur in foro acatholico, nostri quoque pastores animarum curam habentes ad secunda vota partem conversam transmittunt. Pro exemplo in Transilvania sit inter plures Senator quidam Claudiopolitanus, cuius actualis Contheralis ad fidem cath. ex Calvinismo conversa, vivente priore marito

putatitio, copulata est cum moderno viro ritu catholico anno circ. 1740. Unde aliud impedimentum fere nullum discussum, quam ligaminis prioris ritu calvinistico initi; quod factum certo haud probari potuisset a ven. Consistoriis tam Claudiopolitano ADiaconali, quam supremo Carolinensi Vicariali a Rmis Dnaonibus Vestris, si matrimonium Calvinistarum ratum atque firmum iudicassent. Ita in Hungaria D. Boronyai de Miske, qui vivente priore uxore duxit aliam, et illa mortua iterum tertiam, cum qua, licet priore adhuc in vivis existente, hodiedum convivit. In qua causa Ven. Consistorium Strigoniense non tantum cum moderna posse sed et debere convivere respondit; uti spero, in hac materia Rmo D. Praeposito ab Exc. Dno iam quidem defuncto AEppo Colocensi Comite a Patachich ante circiter novem annos transmissae literae curiose reservantur, in qua scripserat, se hanc causam cum viris doctis et in causis consistorialibus multum versatis et expertis contulisse, qui omnes asseruerunt hanc esse communem praxim et iudicium Consistoriorum Eccles. R. Hungariae, indicantium ob adiectam conditionem matrimonium Calvinistarum esse nullum. Secundum punctum pariter certissimum est ex classicorum doctorum sententia, quos prae manibus habeo, videlicet Honorati Tournellii S. Fac. Paris. Doctoris et Canonici; Remigii a S. Erasmo Clerici Regularis; Reiffenstuhl in morali et canonico opere; Benjamini Elbel, Schmalzgruber, Pichler, Holtzmann, et ab ipsis citatorum, unanimi consensu docentium: quod substantiae matrimonii contraria adiecta conditio vitiet et irritet matrimonium et annullet. Hoc titulo praelaudatus Remigius in suo Cursu Iuris Can. l. 4. tit 5. nr. 17 cum aliis hanc rationem affert: ‚spectato iure naturali nulla res subsistit sine suis substantialibus.‘ Reiffenstuhl lib. 4. tit. 5. §. 2. nr. 40 et 48: ‚matrimonium haereticorum est contra bonum sacramenti, individuam societatem exigens, — in quibus tribus substantialia bona matrimonii consistunt.‘ Patet eadem veritas ex Conc. Trid. Sess. 24. c. 1. et c. 7. Docet ultimate perpetuitatem matrimonii aeternae veritatis Christus Matth. 19. — Quod autem huiates Calvinistae perpetuitati contractus matrimonialis contrariam adiiciunt, et quidem claris verbis expressam

conditionem, patet Rmo D. Praeposito et Ven. Consistorio, fatentur omnes Calvinistae hniates, testantnr Agendorum formulae ab ipsis in celebratione matrimonii usitatae, uti habentur in libro Claudiopoli nuper excuso lingva latina et hungarica, ad cuius finem de solennitate matr. forma cum hac conditione ‚quamdiu pars in fide coniugali vel honestate manserit' fuit impressa etvulgata. Nullum proin esse matrimonium eorum, difformeque Christi Domini institutioni ob adiectam conditionem manifestum est; et confirmat S. Congr. de Prop. fide a. 1748 die 1 Aug. in Congr. gen. S. R. et univ. Inquis. habita coram Benedicto XIV, in qua ad casuum et dubiorum propositorum resolutionem absolute respondet S. Congregatio: propter adiectam conditionem matrimonium nullum esse, et natura sua corruere. Huius resolutionis authenticum originale exhibitum, uti mihi relatum est, tam Exc. D. protunc Eppo Transilv. nunc AEppo Colocensi, quam Rmo D. Praeposito qua in spirit. Vicario Generali. Tertii puncti resolutio, quod videlicet in locis recepti C. Tridentini quoad celebrationem matrimonii formae, haereticorum matrimonia coram suis praedicantiis et testibus contracta nulla sint, declarata fuit pluries per Sacras Congregationes ob imped. clandestinitatis. Sic refert Honoratus Tournely in sua Prael. theol. XI Tom. Art. 4. qu. 10: „iidem Cardinales die 19 Ian. 1603: publicatio decreti (de ref. matr.) facta praesumitur, ubi decretum ipsum fuit observatum aliquo tempore; haeretici, in quorum parochia dictum decretum fuit publicatum, tenentur praesriptam formam observare, et propterea ipsorum matrimonia absqne forma Concilii, quamvis coram ministro haeretico vel magistratu loci contracta sunt nulla." Similem eiusdem S. Congr. resolutionem refert Reiffenstuhl ex P. Gobat tract. Mor. Theol. 14. qu. 4. §. 14. nr. 130.; P. Holtzmann clarius non speculative duntaxat et probabiliter haereticorum matrimonia coram ministris eorum et testibus contracta videtur impugnare, sed respiciendo ad petram solidam, super qua Ecclesia Dei militans, utpote columna et firmamentum veritatis, aedificata est, pro magistra habendo, certissime deducit et infallibiliter, praetacta matrimonia haereticorum in locis recepti Conc. Trid. ex impedimento clandestinitatis nulla prorsus esse et invalida, elumbens

adversae sententiae speculativae probabiles rationes, catholicam doctrinam stabilit et firmat. — P. Vitus Pichler postquam haereticorum matrimonia ob imped. clandest. valida propugnasset lib. 4. tit. 1. suam opinionem indicio S. Matris Ecclesiae submittit et decisioni, quam meus libellus sufficienter exhibet. Qnarta resolutio apud P. Elbel S. Poenit. p. 3. confer. 12. de imp. cland. Accedit qninta S. Congr. de Prop. Fide ad casus et dubia prioribns conformis a. 1748 die 1 Ang. — Nec in oppositum memini me legisse aut audivisse nnquam S. Congr. decisionem. Eaedem rationes militant, caedem S. Congr. decisiones favent meae comparti neoconversae, ex qnibus, Ven. Consistorium, certissime persvasum habui et habeo, cum vel maxime SS. Congr. decisiones in materia morum, fidei praeponderent mille doctorum particnlarinm opinionibus, Christinam Macskási neoconversam ad contrahendnm ritu catholico matrimoninm fuisse liberam, nec nllo ligaminis aut alterius dirimentis impedimenti vinculo innodatam, quin matrimonium realiter et effective secundum Christi Domini et Ecclesiae Cath. institntionem mecnm contrahere quivisset; quod etiam factum est, licet non adaeqnate servato modo a C. Trid. praescripto, h. e. non praemissis denunciationibns. Causae autem, cur, intermisso banno, alioquin legitime coram parocho et testibus matrimonii vinculo copulati simus, snnt: Prima: demandatnm erat Praedicantiis, quod causam D. Christinae Macskási et praetensi mariti Calvinistae intra mensem dirimerent et finaliter terminarent; ast Praedicantii ultra bienninm protraxerunt, nunc nnum nunc alinm calvillum adinveniendo, qui etiam legalia Dominae instrumenta annihilarunt, plurimum favere volentes in Calvinismo remansae adversae parti, unde Domina illa neoconversa manere debuisset cum gravissimo animae snae pericnlo contra expressam S. Congr. mox citatam resolutionem et C. Trid. Sess. 24. canonem ultimum: ‚Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos, anathema sit.‘ Ubi per Iudices Eccles. de divina fide teneo non haereticos praedicantios aut Snpcrintendentes intelligere Concilium, scd vere catholicos eccles. Iudices, causis matr. audiendis et dirimendis praepositos velle nobis innuere. Secunda causa, qnod invito, et, ut videbatnr, contradicente

parocho meo matrimonium contraxi cum D. Macskási, ratio mea fuit, quod parochum et testes pro testimonio ferendo duntaxat, non autem pro ministro matrimonii debere adhiberi cum gravissimis et classicis Iuris Can. Theologiaeque doctoribus infallibiliter censui, et absolute iudicavi; qui sive sint inviti, sive non, modo moraliter sint praesentes, et intelligant quid agatur, ad testificandum sufficientes sunt ex declarationibus Card. Congr. Trid. interpretum sub Clemente 8: ‚Verum ac ratum est matr. etiamsi parochus nulla proferat verba, imo etsi ipse dissentiat, et invitus praesens adsit, dum contrahentes mutuo sibi dant et accipiunt fidem.' Ita refert Tournely. Tertia causa, quod practermissis denunciationibus praesumserimus matrimonium contrahere, fuit praevisa impeditio, et quidem, ut rebamur, malitiosa; iuxta autem C. Trid. Sess. 24 de ref. matr. c. 1. §. ‚quodsi aliquando' eo casu contrahere possunt aliquo impedimento non ligati etiam praetermissis denunciationibus: ‚Quodsi aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho et duobus vel tribus testibus praesentibus matrimonium celebretur.' In causa autem et casu nostro certo certius matrimonium impeditum fuisset, fors etiam ab iis, quibus illius procuratio ex officio incubuisset; nolens autem ullo modo alienus esse a sacri et oec. Concilii decretis de denunciationibus fiendis, humillima qua par est submissione supplico, supplicat et mea in hac causa compars, dignetur Rma D. Vestra dispensare in denunciationibus, siquidem iam in tota Transilvania denunciati sumus, et eas e gratia remittere, vel, si hoc fieri nequiret, gratiose demandare meo parocho, ut suo fungatur officio iuxta Concilii praescriptum. Fateor, Rme Due Praeposite et Vicarie Generalis, ac Ven. Consistorium, contrariae sententiae faventes Doctores etiam me legisse, qui sequentibus rationibus meam oppugnant: 1. quod generalis intentio faciendi id quod facit vera Ecclesia, et Christus instituit, corrigat intentionem particularem minus efficacem, et erroneam haereticorum conditionate contrahentium; 2. quod si esset invalidum haereticorum matrimonium, sequeretur proles natas illegitimas esse ex tali matrimonio; 3. quod matrimonium

baptisatorum, quales sunt Calvinistae, sit validum. Quas contrariae sententiae rationes P. Lohner in Bibl. sua Concion. fuse diluit, ita et citati ab eodem doctores; P. Vitus Pichler lib. 4. tit. 19 de divortiis decis. 142 postquam haereticorum matr. validum et indissolubile esse ex supra specificatis rationibus propugnasset, ait: si contrariae et erroneae intentioni particulari alligarent haeretici suum consensum, et hoc constaret, (quod certe ex praxi locique consvetudine satis constat) illorum matr. esse invalidum, tamquam in aliquo substantiali deficiens. Revolvi et consideravi etiam iura nostra Approb. Const. P. I. tit. 57 art. 4. quo vetatur ‚sub poena amissionis honorum et officii degradationis, traditionis brachio seculari ex reatu poenae per secularem magistratum ad querulantium instantiam infligendae, ut antequam divortium per illius religionis tribunal eccles. coram quo coeptum est declaretur, ecclesiasticus nullus praesumat talem ad religionis immutationem admittere, vel cum alia persona copulare.' Sed hanc legem iudico per Principes et Status Acatholicos ad palliandam sententiam tribunalis ecclesiastici, scilicet uxorum permutationem, illa dissolubiliter contrahendi et divortiandi facultate inductam et esse conditam in iniuriam et oppressionem legis catholicae, adeoque Ecclesiam Cath. non ligare; (ceterae Ecclesiae videant, qui suam immunitatem, quam sibi attribuunt, tueantur,) esse in re spirituali, in re ad animarum salutem pertinente, adeoque per tit. 9. Prol. Decr. Trip. ad cuius observationem Principem suum Gabrielem Báthory iuramento adstrinxerunt, et consequenter tamquam fundamentales patriae leges receperunt, et etiamnum observant in iudiciis; per hunc enim tit. 9. haec lex est nullius vigoris. Praeterea non puto Ven. Capitulum unquam iuxta hunc articulum Approb. Const. protulisse sententiam, aut proferre velle, cum sit in odium fidei catholicae olim cusus, et directe impingat in Bullae Coenae Domini punctum primum. Deinde si nunc pronunciaretur sententia divortii a Synodo Calviniana, aut fuisset pronunciata seu ante seu postquam D. Christina Macskási catholicam religionem amplexa est, licuisset illi matrimonium aliud sine impedimento foro eccl. obiiciendo contrahere, et sic matr. contractum ab illa ritu calviniano evidenter erat nullum.

Calviniana enim Synodus non habet potestatem, matrimonium reipsa validum quoad vinculum dissolvendi, invalidum autem matrimonium, si nullum aliud sit impedimentum, non potest esse causa, ut tribunal eccles. impediat alterum matrimonium ritu catbolico contractum vel contrahendum, docente Reiffenstuhl, et declarante SS. D. N. Benedicto XIV pro declaratione divortii quoad vinculum nec remitti potest catholica D. Christina Macskási ad Calvinistas, uti superius exposui: hoc enim iudicando esset, contra cath. fidem facto suo agnoscere in praedicantibus potestatem dissolvendi matrimonia quoad vinculum, et exponeretur sic Domina catbolica odio praedicantium ob ciuratum Calvinum in eam concepto, exponeretur vexis ulterioribus, quas in horas experitur, ut in annos multos declarationem differant; quid si, quod et certo praevidetur, ex hoc odio iudicarent non adesse causam divortii (quoniam iam efficaciora instrumenta cassaverunt deliberative), et Dominam redire ad maritum putatitium, reipsa non suum, deliberarent? poteritne, postquam indissolubiliter coram parocho catbolico et testibus in hunc finem adhibitis publice contraxit, cohabitare illi? vix catholicum puto qui asserat. — Ex his rationibus et motivis matrimonio copulari volui cum D. Christina Macskási, nec me latuit casus a P. Vito Pichler relatus in Casuum decisionibus lib. 4. tit. 3. dec. 126. et ratihabitus: quae omnia meo tenui iudicio sufficientissime excusant et vindicant me et illam ab omni ausu temerario in proposito matrimoniali casu. Si enim catholicorum doctorum omni exceptione maiorum auctoritati deferendum est, si S. Matris Ecclesiae resolutionibus, Conciliorum vel maxime Tridentini definitionibus, imo aeternae veritatis Christi Domini oraculo, cum matrimonium ex institutione divina et natura sua debeat esse perpetuum, debet pariter celebrari iuxta formam ab Ecclesia Cath. praescriptam; qui proin cum errore et pertinacia, ut faciunt haeretici, perpetuitatem tollunt, formam negligunt, quomodo dicendi iuxta Christi institutionem et S. Matris Ecclesiae praescriptum matrimonia solemnisare? Nec hoc mirum cuiquam videri debet; si ex una parte illorum errores, ex altera ab opposito catholicae veritatis inspiciantur fundamenta, illi septem dari Sacramenta negant, in ven. Sacr. Eucharistiae re-

alitatem Corporis et Sangvinis Domini, sola figura contenti, mordicitus explodunt, purgatorium et cetera, quae fides catholica docet, pertinaciter execrantur; sic etiam in sua reformatione cum Sacramento Matrimonii destruendo egerunt. Si proinde nullum fuisse uti certum iudico D. Christinae Macskási matrimonium, tunc iuxta Christi Domini institutionem mecum contrahere potuit et contraxit; proin, Rme Dne Praep. et Ven. Consistorium, quia iurisiurandi sacramento interposito datam fidem in re possibili et licita violare nefas duco, iterum atque iterum humillima qua par est reverentia supplico, supplicat et mea compars, quia inter nos intercessisse verum matrimonium ratum iudicamus, nec aliquod impedimentum prohibens cohabitationem sciamus, remittere dignetur factam prohibitionem ad cohabitandum; pro qua gratia, zelo ac sollicitudine pastorali Deus O. M. hic longaevos conservare velit, et in aeterna vita corona donet aeterna. Ita ex corde vovet Michael Dósa.

1126. Recursus Mich. Dósa et Christinae Macskási ad S. Congregationem de Propaganda Fide in merito sui matrimonii. Sacrae Emin. ac RR. DD. S. R. E. Cardinalium Congregationi de Propaganda: Ad Emin. Vestrarum pedes provoluti, humillima veneratione accedimus oratores Michael Dósa Dioecesis Albensis Transilvaniae pagi Makfalva, et Christina Macskási ex haeresi Calviniana quinque abhinc annis ad fidem Rom. Cath. conversa eiusdem Dioecesis pagi Harina, in causa nostra matrimoniali: quod anno priore 1752 die 14 Aprilis in Oratorio, ubi haereticis permixtim viventes catholici divina audiunt, sacramenta suscipiunt, omissis denunciationibus, nec manifestata pro priori Domino nostro Parocho intentione nostra simul contrahendi, hoc modo illud contraximus: videlicet absoluto Missae Sacrificio, coram meo oratoris legitimo parocho ac praesentia trium testium oratricem manu mea tenendo D. Parochum sic allocutus sum: hanc personam, quam manu teneo, praesentibus testibus coram Paternitate Vestra Reverenda secundum institutionem S. Matris Ecclesiae accipio in meam coniugem, quam ad dies vitae meae non deseram; sic me Deus adiuvet, Beatissima V. Maria, et omnes Sancti. Eadem formalia protulit articulate et ipsa oratrix. Mutuo hoc consensu ab

utraque parte complete prolato, respondit D. Parochus, se nihil velle scire nec audire. A cuius matrimonii taliter contracti effectu et simultanea cohabitatione cum honoris et famae dispendio, et aeternae salutis meae periculo non solum prohibemur, verum etiam matrimonium illud in omni veritate hic expositum verbali sententia finaliter pronunciavit, et scripto ad me oratorem anno currente 1753 die 13 Febr. dato confirmavit esse nullum et invalidum Illmus ac Rmus Dnus praefatae Dioecesis Albensis Transilvaniae Oratoris Ordinarius eiusdemque venerabile Capitulum Consistoriale: et quidem principaliter ex sequenti ratione, videlicet, quod ego ipsa oratrix a parentibus haereticis Calvinistis nata ante 12 circiter annos pro tunc haeretico ritu, quem haeretici Calvinistae in Transilvania tenent, alteri viro aeque haeretico Calvinistae copulata, in foro Praedicantium haereticorum a priori viro haeretico, in sua haeresi hodie pertinaciter permanente, necdum sim iudicialiter divortiata quoad vinculum: licet dum ante 5 annos effective fidem R. Catholicam amplexa fuissem, ob factam ab eo bonorum ac facultatum mearum dilapidationem, diram item ac inhumanam illius saevitiem, quam in me oratricem is exercebat, in obscuris habitationis nostrae obseratis locis recludendo, dira fame vexando, et arcendo ne ullatenus possim habere occasionem conversandi cum Rom. Catholicis ad eamque fidem convertendi, ob has inquam causas Regio Augustissimae nostrae Hungariae Reginae Mariae Theresiae decreto, eiusdemque intimorum in Transilvania Consiliariorum praeceptivo mandato ante 5 iam annos fuerim separata quoad thorum et simultaneam cohabitationem, prout et hodie separata vivo. Et nihilominus, quod inauditum est, virum illum haereticum a me supra fato modo separatum a tempore separationis quoad victum in hodiernum diem intertenere compellor, pro diurno victu effective pendendo tres Paulos italicos. Intra hoc quinquennium ego oratrix, utpote iam catholica et fide hac unice salvifica firmata, non mediocribus in lites saepe factis sumtibus et expensis continue urgebam, ut in foro (etsi incompetenti) praedicantium haereticorum ab eo haeretico viro etiam quoad vinculum divortiarer, prout passim in Transilvania ministri haeretici divortiarunt et divortiant suos et quoad vincu-

lum neutra etiam parte ad fidem R. C. conversa, cum absolute negent matrimonium esse sacramentum, negentque ei inesse perpetuitatem et indissolubilitatem etiam quoad vinculum, contrahantque illud sub hac semper explicitis verbis substantiae matrimonii repugnante adiecta conditione: ‚duco te, si vel quamdiu in fide coniugali et honestate permanseris.‘ Et quamvis prioribus annis mandato Regio eisdem praedicantiis haereticis demandatum fuerit, ut causam meam matrimonialem cum viro haeretico controversam intra mensem finaliter terminarent, nihilominus iam ultra triennium protraxerunt, nec quidquam hodie effecerunt. Pertaesa igitur ego oratrix tantis sollicitationibus frustrancis, tot notabilibus sumtibus et expensis absque ullo effectu hactenus factis in foro incompetenti, utpote haeretico, pertaesa tot vexis ac protelationibus haereticorum praedicantium, postquam catholice edocta fuissem de nullitate matrimonii cum viro haeretico sub mox relata substantiae matrimonii repugnante adiecta conditione coram ministro haeretico contracti, cum antelato Oratore nato catholico modo supra exposito et genuine, ut res contigit, expresso, matrimonium contraxi omissis denunciationibus, nec manifestata D. Parocho pro priori intentione nostra contrahendi: quod studio et ex praeviso fecimus, innixi favori C. Trid. Sess. 24 c. 1. de ref. matr. haec statuentis: ‚quodsi aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denunciationes, tunc vel una tantum fiat, vel saltem parocho et duobus vel tribus testibus praesentibus matrimonium celebretur‘; matrimonium autem nostrum infallibiliter malitiose fuisset impeditum, prout et hodie ab omni eius effectu impedimur, nec D. Parochus complete excepisset mutuum nostrum coram testibus proferendum in matrimonium consensum, et iuramentum, ob metum et respectum Illmi et RR. sui Ordinarii. Quod autem ulterius non expectato ex parte mea oratricis divortio quoad vinculum a viro haeretico in foro haereticorum praedicantium, contraxerimus matrimonium: ad hoc licite et valide contrahendum movit nos oratores: 1. invaliditas et nullitas prioris matrimonii cum haeretico superius relata, et effective expressis verbis adiecta conditione contracti coram minitsro haeretico in loco recepti Conc. Trid.

2. Resolutio a S. Poenitentiaria anno circiter 1718 data, ubi Claudius haereticus Lutheranus copulata sibi Bertha haeretica coram ministro haeretico, postquam Claudius abiurata haeresi Cajam Catholicam duxisset, cum Caja permissus est permanere, accepto hoc a S. Poenitentiaria rescripto, quod matrimonium cum Bertha haeretica, quia clandestinum secundum Tridentinum, per se fuerit nullum; 3. Sacrae huius Congregationis de Prop. fide super casibus et dubiis propositis ex hac dioecesi Albensi Transilvaniae novissimum dd. 1 Aug. 1748 rescriptum et responsum: propter adiectam conditionem matrimonium nullum esse et natura sua corruere, item indignum prorsus esse recurrere ad Calvinistas pro declaratione divortii quoad vinculum, nec simpliciter et absolute indigere Sempronium in casu positum declaratione fori ecclesiastici, ut possit ab asserta uxore separari. His proinde SS. Congregationum rescriptis ut Ecclesiae R. C. infallibilibus veritatibus et fundamentis nos oratores fidei catholicae fideles professores firmissime inhaerentes et innixi, hocque recens altefatae S. Congr. de Prop. rescriptum in copia authentica prae manibus nostris habentes, in conscientia tutissime nos facturos absolute indicavimus, si in foro haeretico ulterius non expectato divortio quoad vinculum a viro haeretico, nullo ceteroquin impedimento ligati, coram parocho et testibus praesentibus favore C. Tridentini supra citati ex causis ibidem expressis, ea modalitate et forma, ut in causa huius nostri recursus in veritate exposuimus, mutuo consensu matrimonium contrahamus, prout et de praesenti illud dicta forma et modalitate contraximus. Et quamvis de taliter contracto nostro matrimonio, deque resolutionibus ac rescriptis SS. Congregationum hic memoratis, quibus innixi id egerimus anno priore 1752 mense Octobri scripto per extensum deductam relationem exhibuerimus et facti rationem reddiderimus praefatae dioecesis Albensis Transilvaniae Illmo ac Rmo Dno Ordinario eiusdemque Ven. Capitulo Consistoriali, matrimonium tamen nostrum nullum et invalidum iudicatum et pronunciatum est. Humillime proinde supplicamus Sacrae Emin. DD. Card. Congregationi de Propaganda, quatenus dignetur nos Oratores pro amore Dei consolari, et saluti nostrae prospicere, contractumque nostrum

matrimonium in veritate hic expositum ratihabere, ac facultare ad effectum matrimonii simultaneamque cohabitationem. Michael Dósa, et Christina Macskási.

1127. Eppus Transilvaniensis, informationem et opinionem de matrimoniali hac causa Sacrae Congregationi dare iussus, exquirit sensum quinque Epporum Hungariae: Varadinensis, Agriensis, Iaurinensis, Vaciensis, et Weszprimiensis. Reliquos inter, quibus Lutheranae, Calvinianae, Socinianaeque sectis adhaerentes in Hungaria ac Transilvania heterodoxi scatent, errores multum notabilis est ille, quo initae semel matrimonialis vitae ligamen ex causa adulterii alterutrius coniugum probati nedum perpetualiter dissolvunt, verum partem, ut vocant, insontem atque innocentem, quin successive passim utrasque ad alias transire nuptias sinere sui ducunt esse dogmatis. Factum ipsorum huiusmodi cum isthoc praesertim in Principatu frequentissimum esset, continuumque, nonnulli ex Religioso quodam Ordine, plus quam deberent sapere conati, occasionem sibi ex illo sumsere, matrimonia haereticorum in Hungaria et Transilvania ita invaliditatis nullitatisque laborare vitio passim docendi et in vulgus subinde spargendi, ut qui ex ipsis eiurata haeresi catholicam amplecterentur religionem, obice absque omni illico, si vellent, ad secunda vota matrimonialia transire possent. Quo autem suam hanc plenam sat periculis sive doctrinam sive opinionem firmius stabilitam indubitatae loco veritatis ignarorum mentibus inserere magis, magisque imprimere quirent, confictis quibusdam conscientiae, ut ipsis placuit, minus veracibus circumstantiis investitis casibus, quaestionibusque eatenus propositis, S. Romanae et universalis contra haereticam pravitatem Inquisitionis consulere desuper oraculum, privati licet omnisque publicae ad huiusmodi tractanda convenientis potestatis vacui, non dubitavere. Nacti sunt hi subinde de a. 1748 conformem relationi, informationi, mentibusque suis ab eiusdem S. Inquisitionis Congr. Generali Resolutionem, quae sub usitata quidem illa clausula ‚stante expositorum veritate' innuebat; matrimonia haereticorum in Transilvania,

(eodem iure etiam in Hungaria) quod ea cum et sub conditione (ut iidem retulere) inirentur: ‚contraho tecum, si vel quamdiu manseris in honestate coniugali vel si fidem thori servaveris', nulla prorsus ac invalida esse; consequenter partem ad religionem cath. conversam, illam, quae in haeresi remanet, recipere non teneri, posse tamen ad cath. fidem conversam recipere, si velit; indignum prorsus esse recurrere ad Calvinistas pro declaratione divortii quoad vinculum; simpliciter et absolute non indigere partem conversam declaratione fori ecclesiastici, ut possit ab uxore taliter sibi iuncta in haeresi manente separari; denique debere recenter conversos renovare consensum coram parocho et testibus, ut tamquam legitimi coniuges in coniugio manere possint. Receptis his laudatae S. Congregationis resolutionibus audaciores sed et insolentiores simul facti, iisdemque iam suffulti, eo mentis suae inquietudine adducti sunt, ut, contradicente etiam quin et positive inhibente tum meo in Eppali munere immediato D. Antecessore, tum vero me ipso quoque nequicquam curato, dictas resolutiones subsequenterque matrimonii haereticorum in Transilvania nullitatem non solum in publicis suis in scholis thesibus ac disceptationibus, neque solum in sancto poenitentiae tribunali, sed publicis etiam in Congressibus qua consulendo qua svadendo qua cooperando palam annunciare, publicare, vulgare in hodiernum usque non desistant. Quo quidem inconsulto improvidoque suo facto eos iam hac mea in Dioecesi causavere causantque etiamnum in populo tam orthodoxae quam heterodoxae religionis animorum motus et confusiones, quae, nisi mature eis medeatur, utrique Reipublicae, tam ecclesiasticae quam politicae illaturae sunt abs dubio vulnera, vix multo labore sudoreque reducenda. Istiusmodi pernicioso motui confusionique posuere initia indiscreto suo consilio impertinenteque sua cooperatione mediante boni illi zelotes, dum virum meae dioecesis viduum, cetera nobilem catholicum, in existimatione habitum, publicis etiam muniis functum, eo induxere, ut mulierem aeque nobilem, antea Calvinistam, fine vero potissimum obtinendi a marito Calvinista iam fastidito divortii conversam, in acatholico quidem, ut vocant, Consistorio intuitu obtinendi mox mentionati divortii

sub actuali litis processu constitutam, nondum tamen diavortitam, cum ingenti scandalo probroque religionis eo modo ipse sibi iungeret in uxorem, quem in suo supplici ad S. Congregationem dato libello, cuius exemplum hic adiectum est, ipsemet deduxit. Quod porro annunciato subinde mihi tam iusveto invisoque partium attentato, cohabitationem iisdem interdixissem, matrimonii sic contracti nullitatem iudicialiter declarari fecissem, easdemque certa poena pecuniaria ob tam illegale scandalosumque factum mulctari iussissem, praestituti pessimi sui finis consequendi levaminisque reportandi intuitu ad dictam S. Congregationem recurrere. Placuit nihilominus Purpuratis Patribus nihil prius certi hac super re decernere, quam me audirent. Quamobrem annexo suis ad me datis literis memorati viri ac mulieris oratorum supplici libello informationem a me cum opinione sibi submittendam desideravere. Quantumvis autem rem hanc, periculosarum sequelarum non obscure praesagus, intactam maluissem, quo tamen iussus officio muneris mei praestarem satis, meam desuper opinionem scripto complexus sum; quam tametsi cum meis Consistorialibus, viris qua in theologia, qua in utroque iure graduatis probeque doctis ac eruditis rite contulerim, quia tamen res, quae agitur, non meam duntaxat afficeret dioecesim, sed universas etiam perinde tangeret Ecclesias Hungaricas, summa contineret gravissimarum momenta difficultatum, eam praetitulatae S. Cardinalium Congregationi non censui prius submittendam, quam sapientissimam desuper Exc. Vestrae mentem experirer. Eam proinde annexo hoc scripto comprehensam cum Exc. Vestra communem facere cupii, impense orans, quatenus habita super eo reflexione, quod Acatholici in Transilvania, praesertim qui Augustanae Helveticaeque Confessioni adhaerent, secus ac in Hungaria, non tolerati duntaxat, verum publica lege recepti, ac in libero religionis dogmatumque suorum exercitio diplomatice stabiliti existant, viribus, numero, facultatibus, splendoreque familiarum potenter polleant, publica in Principatu officia ac munia, altiora perinde ac minora numerosi gerant, his, inquam, tamquam quibus Acatholicis in Hungaria toleratis potiores longe longeque potentiores sunt, in considerationem assumtis, dignetur Exc. Vestra

suam circa rem hanc, oppido gravem nec periculis vacantem, opinionem in authentico scripto mihi gratiose aperire. — Albae Carolinae 1753. Sigism. Ant. Baro Sztoyka, Eppus Transilv.*)

1128. Eppi Agriensis sententia. Notum et fidem facio, quorum interest, quod in tribunali Sacrae Sedis meae Eppalis Agriensis, et, quod sciam, etiam in reliquis dioecesibus Hungaricis, constans et perpetua Iudicum Eccles. sententia praxisque obtinuerit, ut matrimonia acatholicorum, dummodo sine ullo canonico impedimento alio contrahantur, habeantur pro validis, prolesque ex iis natae pro legitimis, ita, ut ad fidem orthodoxam conversi numquam cogantur consensum suum revonare coram Parocho Catholico, multo minus alter altero coniuge superstite permittatur transire ad alia vota. Unde etsi Ministri Acatholici posthabitis sanctionibus patriis, indicatum causarum matrimonialium solis Dioecesanis Catholicis reservantibus, interdum attentaverint suae Confessionis asseclarum matrimonia propter edoctum alterutrius partis adulterium rescindere, data innocenti facultate convolandi ad alia vota; cumprimum tamen similis eorum ausus legitimae potestati cognitus fuit, illico et ipsi temeritatis suae poenas dederunt, et matrimonia idgenus nova etiam post complures ex iis susceptas proles nulla ac irrita declarata, subque gravissimarum poenarum incursu vetita sunt; nihil curato eo, quod priora talium matrimonia in loco recepti Tridentini contracta fuerint coram acatholicis ministris, aut etiam cum praetensa conditione solubilitatis, in casum violatae fidei reservatae; quum ex una parte ministri acatholici quoad suos lege publica admittente vicem parochorum obeant, communique suorum errore veri parochi putentur; ex altera vero parte ex Agendis seu Ritualibus ipsorum acatholicorum constet, praetensam conditionem substantiae matrimonii repugnantem exprimi in solo iuramento, quod absolutum matrimonialem contractum consequitur, et de solis illius obligationibus implendis sonare videtur. Sicut igitur iuxta probatorum auctorum sententiam valet votum solenne cum intentione se obligandi emis-

*) Opinio, quae hic provocatur, inferius occurrit penes relationem Eppi ad Sacram Congregationem.

suum, etiamsi vovens simul habeat peccaminosum propositum non persolvendi promissa Deo: ita etiam valere censentur haec matrimonia praevie sine ulla conditione contracta, licet subinde addatur peccaminosum pactum violandae indissolubilitatis pro casu adulterii; eo a fortiori, quod pactum huiusmodi substantiae matrimonii iam positae superveniens eam vitiare nequeat. Sed etiamsi ipsi mutuo consensui substantiam matrimonii constituenti pactum hoc admisceretur, tamen in nostris casibus valori obstare non posset, cum non qualiscunque materialis talium conditionum adiectio contractum vitiet, sed requiratur perfecta cognitio et restrictus consensus, imo protestatio, quod nolint valere suum matrimonium, nisi sit dissolubile, quod apud nostros haereticos plerumque materiales non fit neque praesumitur; licet enim fors arbitrentur, se celebrare matrimonium dissolubile, absolute tamen valorem sui consensus non restringunt ad dissolubilitatem, imo volunt celebrare contractum iuxta leges talis contractus validum, etsi materialiter et externe illa verba proferant. Unde appretiative maior adeoque efficacior est apud eos voluntas contrahendi valide; neque enim praesumitur ullus in re adeo gravi velle actum suum irritum; et licet de hac perversitate dubium esset, tamen in dubio semper pro valore matrimonii iam contracti pronunciandum est. Ex his proinde et plurimis aliis causis quemadmodum praemissam de valore sententiam teneo, observo, et per mihi subiectos ad instar decessorum meorum semper urgeo: ita oppositam paucorum privatorum, qui aut rempublicam ignorant, aut solam vitiligandi materiem, interdum specioso pietatis praetextu, captant, velut impracticabilem, praeterea utrique reipublicae nostrae perniciosam, mille odiorum matrem, conversionis haereticorum potiorum impeditivam, in mea quidem dioecesi reiicio, veto, neque unquam in praxim deduci permitto. — Agriae die 11 Aug. 1753. Franciscus, (L. B. Barkóczy) Eppus.

1129. Eppus Transilv. desideratam a S. Congregatione informationem cum opinione eidem S. Congregationi transmittit. Acceptis S. Congregationis iussis super negotio matrimoniali Michaelis Dósa et Christinae Macskási dioecesanorum meorum cum

supplici eorumdem libello prima die Aprilis anni praesentis ad me datis, quod paulo serius morem geram, id effecit, quod, tametsi usitatam circa huiusce momenti ac generis negotia in aliis Regni Hungariae dioecesibus praxim non ignorassem, quo tamen S. Congregationem super eodem negotio pleniori fide redderem instructam, etiam nonnullorum aliorum in dicto Hungariae Regno Co-Epporum meorum, in quorum dioecesibus hominum haeresi Calvinianae adhaerentium et vis potentior est, et numerus frequentior, sententiam censuerim desuper expetendam, informationique meae adiungendam. Submitto itaque humiliter S. Congregationi meam, quam dare iussus sum, de eorumdem Michaelis Dósa et Christinae Macskási negotio matrimoniali informationem cum supplici ipsorum libello, tum etiam meam de matrimonio Calvinistarum in his partibus late diffusorum ac lege publica stabilitorum opinionem, adnexa duorum speciatim in Hungaria Epporum, Agriensis nimirum et Weszprimiensis, sententia, calculoque munitam; ex quibus proinde quemadmodum pro alta sua sapientia perspectura est S. Congregatio, quam arduum omnino sit minusque securum, pro invaliditate matrimonii haereticorum Calvinistarum, in his partibus tanta adhuc et potentia et frequentia degentium palam decernere, ita oro instanter Eandem, dignetur pro suo in bonum animarum et communem fidelium ac locorum tranquillitatem studio eo Suam Sanctitatem inclinare, quatenus, si ex adductis in mea opinione adiunctaque duorum memoratorum Epporum sententia rationibus pro valore matrimonii haereticorum in his partibus existentium positive definire supremo suo oraculo visum non fuerit, saltem in adversum seu pro invaliditate matrimonii eorumdem, ne publicum quodpiam edatur statutum; quin potius illam, quae procurante Religioso fratre P. Sebastiano Bodó Ord. Min. S. Fr. striet. Obs. Provinciae Transilv. feria V prima Aug. 1748 de invaliditate matrimonii Calvinistarum in hac dioecesi edita est, declarationem, tamquam ob minus germanam minusque genuinam expositionem, quam meae relationis hic annexae series abunde evincit, non immerito subreptitiam reputandam, insuper autem magnorum motuum animorum, inquietudinis conscientiarum, status publici huius pa-

triae, et communis malatiae perturbationis evidens fundamentum, de benignitate apostolica revocare dignetur. Tandem ut et pro suprema sua potestate de specifico Michaelis Dósa et Christinae Macskási praedictorum casu sententiam meam ratam habere, et de matrimoniis heterodoxorum in mea hac dioecesi Transilv. constitutorum exposito in eadem submissa hac mea opinione ac relatione rerum in illa statui accomodatam ad me dare instructionem ne dedignetur, suppliciter peto. Albae Carolinae, die 6 Oct. 1753.

1130. Informatio ac opinio Eppi praecedentibus literis adnexa. Priusquam causa matrimonii Calvinistarum in Transilvania, num illud validum an invalidum censeri debeat, explicetur, necessarium est, particularem oratorum Michaelis Dósa et Christinae Macskási casum Sacrae Congregationi Concilii genuine proponere, quam iidem oratores, ut eo facilius favorabilem a S. Congr. obtinerent resolutionem, non sat integra fide neque cum debitis circumstantiis videntur retulisse. Nobilis femina Christina Macskási, nata Calviniana, primo nupsit Stephano Comiti de Bethlen aeque Calvinistae, ex quo prolibus aliquot susceptis, eoque vita functo, secundo nupsit Stephano Váradi, liberorum suorum Instructori domestico pariter Calvinistae, quocum pluribus postquam convixisset annis, prolesque ex eodem quoque suscepisset, muliebri levitate ducta, facti sui poenitens, quasi inferioris conditionis viro nupsisset, revera autem priore amore, quo illum deperibat, ut saepe fit inter coniuges, in odium verso, de divortio cogitare coepit, ac se a suo marito separavit. Sperans autem se facilius apud Catholicos divortium obtenturam, apud quos (forte intellexerat a quibusdam Religiosis spargi tamquam Romae decisum,) matrimonium Calviuistarum invalidum et pro nullo reputari, religioni catholicae nomen dedit. Quo facto, iamque causam divortii sui serio prosecutura, recurrit ad Generalem Eppi Vicarium: qui, non ignarus, hominem Calvinistam legibus patriae libertatique religionis, qua hic locorum heterodoxi plena gaudent, innixum, indicatum suum minime agiturum, neque citatum pariturum, causae cognitionem declinavit. Hic spe sua se fru-

stratam videns mulier, ex consilio amicorum recurrit ad Principem, postulans, sibi auctoritate regia dari iudicem ecclesiasticum catholicum, seu tribunal Eppale, in quo causa petiti divortii revideatur ac finaliter decidatur. Sed quia Principi non est integrum, Constitutiones legesque patriae, quales quales illae sint, donec in vigore sunt, convellere, vi quarum heterodoxi quoque hic ministri in causis matrimonialibus iudicis officio funguntur, precibus eius in Augusta Aula in tantum locus datus non est, ut iudicem eccl. catholicum obtineret, verum iussa est viri tamquam reiconventi forum sequi, mandatum insuper Calvinistarum Superintendenti, ut causam in suo Consistorio intra unum mensem revideat, diiudicet, sententiamque desuper ferendam Augustae Aulae submittat. Assumta igitur vi mandati regii in foro Superintendentis causa ob incidentes difficultates iteratas dilationes passa est. Interea dum causam suam hoc modo prosequeretur mulier, per submissos animum Eppi pertentare cupiebat, num, si divortium in foro calvinistico obtinuerit, sibi facultas tribuetur ad alia vota transeundi? Eppus aliunde iam edoctus, hoc solum fine mulierem tam ardenter divortium petere, ut alteri nubere possit, respondit: id sperare illam haud posse, sed secundum praeceptum Apostoli illam debere manere innuptam, donec vir eius viveret, eo, quod tale divortium Calvinistarum Ecclesia Catholica velut divinae legi adversum damnaret, ac proinde svadere se, ut potius viro suo reconciliaretur, et per exemplarem vitam iam catholica bonamque suam conversationem studeret maritum quoque lucrari et ad fidem adducere. Neglecto salubri Eppi consilio, et dispendiosi processus pertaesa, causam deserens, aliam consequendi sui finis viam arripuit. Persvasa quippe cum proco suo Michaele Dósa, viro catholico viduo, feminae locupletis nuptias vehementer appetente, per eosdem Religiosos, qui praetensam illam Romanam decisionem procuraverant, posse se refragante licet Eppo, nec expectata causae inchoatae decisione, matrimonium contrahere, ad irregularem illam et scandalosam suornmet ipsorum coniunctionem, quam ipsimet oratores in supplici suo libello describunt, parocho nequicquam reclamante, non levi cum religionis probro, populique catholici offensa progressi sunt. Certior factus de casu Eppus, iussit ex-

templo male iunctos coniuges separari, interdictaque iisdem cobabitatione, ad suum citatos Consistorium ob scandalosum actum mulcta pecuuiaria ad pias causas croganda punivit, pronunciata de uullitate matrimouii ipsorum, nequaquam ex allegata per oratores causa, verum diversis prorsus iisque gravissimis ex rationibus, sententia, prout ex sequentibus apparebit.

Matrimonia Acatholicorum coram ministro acatholico contracta etiam in illis locis, ubi decretum Conc. Trid. aliquando fuit solenniter publicatum, a fortiori in Hungaria, ubi uumquam fuit eo modo publicatum, sed usu duntaxat tribunalium eccles. receptum, esse valida, neque sic coniuuctos ad Ecclesiam Catholicam redeuntes posse urgeri, ut coram parocho catholico conseusum matrimonialem renovent, non tantum in Germania, sed etiam in ditionibus Sacrae Hungariae Coronne subiectis, ubi Acatholici liberum habent religionis suae exercitium, ab ipso sectariorum ortu fuit receptum, atque toto quasi orbe spectante pro validis semper reputata fuere, quemadmodum multi et magni nominis Theologi in Belgio, Germania, ubi haeretici mixti sunt catholicis, super hac materia scribentes demonstrant, eorumque validitatem urgentissimis solide adstruunt rationibus, ob quas merito Pontificibus et Eppis visum sit, decretum C. Trid. non comprehendere matrimonia acatholicorum iu provinciis, ubi haeretici dominantur vel impune grassantur, velut in nostra Hungaria, eo magis in Transilvania, cum hic acatholici uedum tolerati sed etiam lege publica ac diplomatice recepti et stabiliti existant. Prima ratio: Ecclesiae utilitas. Si enim matrimonia acatholicorum coram ministro acatholico contracta forent invalida, sequeretur, nullum Calvinistam couiugatum posse ad fidem cath. converti et Ecclesiae reconciliari, nisi aut deserat uxorem haereticam converti nolentem, et nisi agnoscat se hucusque in fornicatione cum putatitia sua uxore vixisse, vel nisi illa consentiat (quod sperari non potest) de novo inire matrimonialem contractum coram sacerdote catholico. Quantum conversioni acatholicorum haec sententia ponat impedimentum, et quantum contra catholicos acatholicorum odium concitare nata sit, si pro dogmate catholico doceretur, et in praxim deduceretur, nemo non videt. Quam hor-

rendas post se traheret sequelas! tot nobilissimos in Hungaria, maxime in Transilvania nostra, magnisque fulgentes honoribus et dignitatibus; alios vero innumeros honestissimae conditionis cives et plebeos coniugatos nonnisi illegitimos et spurios generare filios, futuros olim reipublicae fulcra et ornamenta, Principis Ministros, Consiliarios, Iudices, provinciarum et armorum Praefectos. Quis eorum nos laturus esset, haec credentes, multo magis haec docentes, et non potius execraturus! Secunda ratio: sâlus animarum. Si enim matrimonia Calvinistarum forent invalida, sequeretur, innumera quotidie apud nos committi sacrilegia, dum frequentes ex eadem secta omnis conditionis, nobiles, ignobiles, cives, plebei, rustici matrimonio coniuncti per professionem et absolutionem sacramentalem ad gremium Ecclesiae redeuntes ad communionem altaris et participationem SS. Eucharistiae admittuntur absque eo, ut coniugem in haeresi perseverantem compellantur abiicere, aut novo consensu coram sacerdote catholico matrimonium contractum reiterare. Quis tandem sacrilegiorum finis tam ex parte conversorum ex secta Calvinistica ad tribunal poenitentiae accedentium, quam confessariorum, dum nec illi de huiusmodi cum putatitiis suis (si diis placet) uxoribus continuata fornicatione se unquam accusant, neque confessarii id ab illis exigentes eosdem absolvunt! ut taceam quot in ministerio ecclesiastico tam seculari quam regulari irregularitatis damnandos esse, qui in eadem secta nati et conversi utrobique ad praelaturas, dignitates, et beneficia absque obtenta super illegitimo suo natali dispensatione assumuntur et promoventur. Tertia ratio: salus Reipublicae. Quoniam vi legum patriarum nullus spurius et illegitimo thoro natus in bonis et haereditatibus familiarum succedere potest, infinitis litibus, familiarum eversionibus occasio daretur; cognati namque catholici, edocti consangvineos suos acatholicos e thoro illegitimo et ex fornicatione natos esse, ideoque eos ab haereditatibus excludi iure posse, cupiditate et avaritia ducti iis litem intentare, ad tribunalia trahere, sumtibus gravare, saepius bona eorumdem vi invadere; ex adverso illi sua defendere, manu aliquando rem agere, nec sine mortium homicidiorumve casibus. Quae omnia quantas in animosa gente

et iniuriarum impatiente turbas, reipublicae confusiones generare, quin ipsum Statum et Constitutionem Patriae convellere possint, nemo, qui rerum nostrarum gnarus est, inficiabitur. Quarta ratio: impossibilitas executionis opinionis, invaliditatem matrimonii Calvinistarum asserentis. Refragatura namque esset tota gens, neque notam tam turpem, qua nobilissimarum quarumque familiarum natales illegitimitatis damnarentur, sibi inuri unquam passura. Sed neque Augusta Aula publicationem eiusmodi opinionis suis in ditionibus ullo modo esset latura, tamquam perniciosissimarum in republica sequelarum, confusionis familiarum, dissensionis, odiorum, litigiorum, quietis et pacis publicae turbationis certissimam occasionem. Quinta ratio: constans tribunalium ecclesiasticorum nostrorum in illis Hungariae dioecesibus, in quibus Calvinismus maxime invaluit, usus et praxis. In illis enim validitas matrimonii Calvinistarum usque in praesentiarum numquam in dubium revocata fuit, sed secundum eam causae matrimoniales etiam illorum, quas vi Edictorum Regiorum ad Consistoria Epporum in Hungaria deferre coguntur, diiudicari et decidi solent. Neque ab hac praxi iidem Eppi deterrentur aut deflectunt ideo, quod Calvinistae ministri indissolubilitatem matrimonii minime credentes, illud etiam quoad vinculum ubi et quando possunt, divortiare attentent. Impediuntur enim et puniuntur propter eiusmodi ausus, ubi deprehenduntur, per Eppos, taliterque divortiati prioribus coniugibus restituuntur. Quod ipsum quotidiana probant exempla, et euius ipse plurimis annis in Consistorio Agriensi assidens testis est Eppus.

His et quamplurimis aliis, quas longum esset adducere, urgentissimis rationibus tria praecipue speciosa magis quam solida opponuntur, quibus invaliditatem matrimonii Calvinistarum in Transilvania evincere conantur nonnulli privati tribunalium ecclesiasticorum inexperti. Primum est conditio, quam, ut praetenditur, Calvinistae nostrates contractui matrimonii adiicere solent: ‚duco te, si vel quamdiu in fide coniugali vel honestate permanseris.' His enim terminis exprimitur in supplici oratorum libello. Ast nonnisi ex populari fama videntur boni illi viri oratorum consultores, praetensam illam Romanam decisionem fer. 5. d. 1 Aug. 1748 emanatam pro-

curantes, ista hausisse, aut, si ex libro Agendarum seu Rituali Calvinistarum habent, illum non satis attente legisse, neque considerasse, quid ibi ad substantiam matrimonii pertineat, et quid tamquam extraneum et impertinens adiiciatur, vel ex ipso formulae copulationis matr. contextu convincitur. In illa namque formula consensus contrahentium, in quo solo matrimonialis contractus substantiam consistere indubium est, absolute et sine conditione exprimitur, praetensa vero conditio nonnisi subsecuto post iuramento (quod nihil ad substantiam matrimonii confert, et ex populari duntaxat gentis etiam apud hic locorum catholicos, se alias minime obligari persvadentis, vel quod etiam probabilius videtur, Graecorum sibi vicinorum usu primitus introductum est, tandemque Rituali nostro, quo modo utimur, insertum) a Calvinistis adiicitur. Quod ut evidenter appareat, formulam ipsam ex Agenda Calvinistarum excerptam ad verbum hic subnectere visum est. Formula copulationis matrimonialis Calvinistarum in Transilvania: Praemissa exhortatione et precibus pergit Agenda sub Num. 8: ‚Post haec dicat Minister: Iungite manus, et dicat: Vir interrogo te 1. praeter hanc personam, quam manu tenes, alteri causa matrimonii dedistine manum, fidem, ac donum, vel non? Resp. Non dedi. 2. Amasne illam? Resp. Amo. 3. Accipisne illam in uxorem? Resp. Accipio. Similiter interrogata puella vel femina respondet.' His interrogationibus et responsionibus consensum absolute exprimi, matrimoniumque ratum haberi quis negaverit? Quantum vero haec differant tum ab expositione oratorum: ‚duco te, si vel quamdiu in fide coniugali vel honestate permanseris', tum a casibus conscientiae in Congr. Gen. S. R. et Univ. Inquis. SSmo Dno a. 1748 die 1 Aug. per fr. P. Sebastianum Bodó O. Min. Obs. Ref. Provinciae Trans. propositis, nemo non videt. Iam quod post habitum consensum contrahentium in formula subiicitur, nimirum: ‚Dic vir, verus Deus, qui est Pater, Filius, et Spiritus S. perfecta S. Trinitas, unus vere aeternus Deus, ita te adiuvet in tua vera fide, quod personam, quam manu tenes, amas, ex amore illam accipis in perpetuam uxorem, illa contentaberis, cum illa patieris, nec illam tua et illius vita durante, nec in sanitate nec in infirmitate, nec in felici nec in

infelici statu, nec in ulla eius aerumna deseres, quoadusque in sua honestate et puritate permanserit. Ita te Deus adiuvet', hoc, inquam, iuramentum, quantumcunque primo intuitu conditionalum apparet, et quod seu ex errore sectae, seu e populari gentis nostrae singulari usu adiici solet, praeterquam quod validitatem praehabiti absoluti consensus vitiare nequeat, eo quod iam serius fiat, quam ut in praeiudicium prius praestiti consensus quidpiam operari possit, neque ipsi sectarii illud velut ad valorem matrimonialis contractus necessarium credant, cum non desint exempla doctiorum et prudentiorum inter Calvinistas, qui conditionem eam formulae iuramenti adiectam dum per Ministros matrimonio iungerentur, reiecerint, pronunciareque detrectaverint: si coniux, inquientes, in honestate et puritate non permanserit, non divortium nos sed gladius separabit, intelligentes: lege patriae adulteros capite plecti solere. Sed si ipsa quoque iuramenti formula attentius consideretur, manifeste apparet, conditionem ,quoadusque' etiam in eadem nequaquam in consensum matrimonii, quod ipsa etiam formula perpetuum esse vult, verum in ,non desertionem' mutuam coniugum cadere. Unde iterum clarum evadit, et supra memoratum P. Bodó, casus suos illos conscientiae de matrimonio Calvinistarum nimis oscitanter et supine formasse, inconsiderateque S. Congregationi proposuisse, et oratores consultorum suorum rei ignarorum ductu falsum exposuisse.

Secundum, quod contra validitatem matrimonii Calvinistarum in Transilvania obiicitur, est clandestinitas, cuiusmodi matrimonia Concilium Tridentinum pro irritis et nullis declaravit. Verum, utut hanc sanctam Ecclesiae disciplinam, quam oecumenicum hoc Concilium ex gravissimis rationibus introduxit, in regnis mere catholicis omnem vim habere debere censeam, in regionibus tamen, in quibus haeresis dominatum obtinet vel impune grassatur, velut in Anglia, Confoederatis Provinciis, Germania, nostra denique Hungaria, maxime vero Transilvania, in praxim deducere, et quoad acatholicos ad rigorem observare omnino est impossibile. Interim si scopus ipsius decreti Concilii, qui est, ut incommoda ex matrimoniis clandestinis, quae in foro externo probari non

poterant, provenientia evitarentur, perpendatur, matrimonia Calvinistarum in Transilvania clandestina dici non possunt. Matrimonia enim etiam apud ipsos publice coram ministro et testibus contrahuntur, idque non aliter quam praeviis publicis proclamationibus, adeo, ut non minus apud ipsos quam apud Catholicos his in regionibus exulent matrimonia clandestina, ideoque fine decreti cessante non apparet ratio, cur eius observantia ultra exigi debeat, praesertim cum ad decretorum Concilii omnimodam observantiam illos, ut praemissum est, cogere sit impracticabile, nec sine ingentibus Reipublicae turbis id etiam per ipsum Principem executioni mandari quiret. Hinc cessare debet etiam, si quis superesset, de proprio secundum eiusdem Concilii mentem Parocho scrupulus: quandoquidem his in locis, ubi acatholici nedum liberum habent suae religionis exercitium, verum etiam publica patriae lege, et, ut dictum est, diplomatice in ecclesiarum possessione stabiliti sunt, ministri ipsorum publica itidem auctoritate in iisdem instituti parochorum vicem suppleant. Denique cum quaestio haec non ad dogma, sed ad disciplinam duntaxat Ecclesiae pertineat, quae pro circumstantiis temporum et locorum diversum ferre possit temperamentum, usumque varium admittat, e prudentia Pastorum esse debet, ut conscientiis et animarum saluti, paci item et tranquillitati publicae consulant, ne dum intempestivo zelo matrimonia acatholicorum insectantur, conversioni eorumdem obicem ponant, et rempublicam etiam cum suarum ovium maximo malo conturbent. Atque secundum haec respondisse Purpuratos Patres Eppo Castoriensi per provincias confoederatas Vicario Apostolico, cum a. 1671 Romae negotia suae missionis agens superioribus similes quidem, sed etiam minoris ponderis de matrimoniis acatholicorum difficultates proposuisset, validitatemque eorumdem adstrueret: ‚statueret ipse, inquiunt iidem Patres, quod crederet animarum sibi creditarum saluti maxime expedire.' Et eodem anno etiam Poenitentiariam Romanam eidem Antistiti respondisse: ‚se sentire, quod matrimonia acatholicorum in Belgio foederato inita coram ministro Calvinista deberent haberi valida', refert Martinus de Suaren in Acad. Lovaniensi S. Theol. Doctor in diss. de Sponsa duorum. Ex his

facilem esse responsionem ad tertiam obiectionem, videlicet Sacrae Congregationis resolutionem die 1 Aug. 1748 ad propositos per saepe memoratum P. Seb. Bodó casus conscientiae datam. Eam enim pro subreptitia merito haberi debere ex eo, quod expositio, ad quam resolutio subsecuta fuit, quantum ad contractum matrimonialem Calvinistarum, non integra fide, neque cum debitis circumstantiis Sacrae Congregationi facta fuerit, prout supra iam ad primam obiectionem deducta clare evincunt. Hinc non immerito observandum videri, salvo ceteroquin Sacrae Congregationis sapientissimo iudicio et auctoritate, quantum intersit ecclesiasticae disciplinae et conscientiarum bono, eiusmodi resolutiones publicam animarum curam spectantes non ad privatorum quorumcunque, qui nec administrationem Ecclesiarum ex officio gerunt, neque in tribunalium ecclesiasticorum forique strepitosi praxi versati sunt, verum ad Pastorum, qui Ecclesiarum suarum statum earumque necessitatem perspectam habent, propositiones et quaesita edi, ne secus Sedis Apostolicae dignitas apud imperitum vulgus laedatur, neve per privatorum horum consultorum indiscretam eiusmodi resolutionum evulgationem Regimen Eppale, alioquin etiam per se plus satis grave, gravius reddatur, dum eiusmodi errores ex facto privatorum licet orti, et ita, ut praefertur, evulgati graves ciere soleant in dioecesi animorum motus, quibusdam iis ad suos affectus et cupiditates abutentibus, aliis scandalum sumentibus, potentioribus vero etiam in Ecclesiarum Ministros insurgentibus, quibus medendis et sedandis multum sudandum est Pastoribus; quod ipsum praesenti quoque casu magna sua cum molestia experiri cogitur Eppus. Divortium demum, quod Calvinistae etiam quoad vinculum matrimonii admittunt, quod attinet: illud nihil obstare validitati matrimonii Calvinistarum; quandoquidem error opinionis validitatem actus vitiare non potest. Contractum porro matrimonii Calvinistarum, esto ad rationem Sacramenti elevatum illum esse ipsi negent, civilem tamen esse et firmum, obligatorium nemo in dubium revocaverit; unde et legitimos illos ex matrimonio per talem contractum inito generare liberos admitti necesse est, meo quidem iudicio meliori iure, cum baptisati sint, quam infideles: quorum tamen et

matrimonium cum fideli sanctum, i. e. ut interpretes explicant, legitimum, et filios eorum sanctos, i. e. legitimos pronunciat et docet Apostolus 1 Cor. 7. secundum quam Apostoli doctrinam matrimonium talium in favorem christianae religionis, ut loquitur Pontifex in Cap. 8. X de divortiis, semper ratum habuit Ecclesia. Quin notum est, Concilium ipsum Tridentinum ad preces Oratorum Venetorum in favorem Graecorum interpositas, qui ipsi quoque matrimonium ex causa adulterii dissolvi posse tenent et dissolvunt, canonem de matrimonio iam conceptum moderatum fuisse, ne nimium offenderentur, et novam perpetuae ab Ecclesia Romana secessionis ansam sumerent, satisque duxisse, doctrinam Ecclesiae de indissolubilitate matrimonii ab errore simpliciter vindicare, nihil de divortio statuens, prouti canon ipse, uti hodie extat, palam facit. (Pallavic. l. 22. Hist. C. Trid. c. 4.) Quidni in favorem nostrorum quoque acatholicorum eadem indulgentia utatur Ecclesia? ne nimio matrimonii illorum causam rigore habendo reditum eorumdem ad Ecclesiam difficiliorem reddat.

His gravissimis et urgentissimis rationibus ex utilitate Ecclesiae, salute Reipublicae, periculo animarum, praxi tribunalium ecclesiasticorum Hungariae, traditione Ecclesiae, doctrina denique Apostolica deductis nixi Eppi opinionem esse: 1. contra validitatem matrimonii Calvinistarum in Transilvania nihil adversi statuendum esse; 2. resolutionem illam in Congr. gen. S. R. et univ. Inquis. ad supine atque ideo minus veraciter a P. Sebastiano Bodó O. Min. propositos casus conscientiae 1 Aug. 1748 editam velut subreptitiam rescindendam et revocandam esse, ne sub illius obtentu conscientiae fidelium in Transilvania, prout usque in praesens factum est, per indiscretos et supinos illos conscientiarum directores ultra vexentur, graventurque, et consequenter periculo salutis exponantur; 3. sententiam de nullitate matrimonii Oratorum Michaelis Dósa et Christinae Macskási ex cognitione causae valide latam in vigore relinquendam esse, cum mutari nequeat absque gravissimis incommodis et perniciosissimis sequelis in utramque Rempublicam, ecclesiasticam videlicet et politicam, redundantibus. Datum in Palatio Eppali Albae Carolinae die 6 Oct. 1753.

1131. Sententia Benedicti XIV. PP. super dicta conditione, prout illam ipse Summus Pontifex exponit in cel. opere De Syn. Dioec.' lib. 13. cap. 22: De postulato proposito circa matrimonium inter duos Calvinistas in Transylvania contractum, cum alter ex iis einrata haeresi ad fidem catholicam conversus esset. Formula, qua haeretici Calvinistae in celebrandis matrimoniis utuntur, ex eorum Rituali libro seu formulario desumta haec est: „Dicat minister ad contrahentes: iungite manus; et dicat: Vir, interrogo te primo, praeter hanc personam, quam manu tenes, alteri causa matrimonii dedistine manum, fidem, ac donum, vel non? Respondet: Non dedi. Secundo: Amasne illam? Resp. Amo. Tertio: Accipisne illam in uxorem? Resp. Accipio." Ad feminam inde conversus eodem modo de iisdem etiam interrogat. Habitisque ab utroque coniuge responsionibus, minister ita prosequitur: „Dic vir: verus Deus, qui est Pater, et Filius, et Spiritus S. perfecta S. Trinitas, unus vere aeternus Deus, ita te adiuvet in tua vera fide, quod personam, quam manu tenes, amas, ex amore illam accipis in perpetuam uxorem, illa contentaberis, cum illa patieris, nec illam tua et illius vita durante nec in sanitate, nec in infirmitate, nec in felici, nec in infelici statu, nec in ulla illius aerumna deseres, quoadusque in sua honestate et puritate permanserit. Ita te Deus adiuvet." Eadem postea conversus ad feminam repetit. Cum autem inter virum et feminam Calvinistas in Transilvania initum fuisset modo praedicto matrimonium, factum postea fuit, ut femina eiuratis illius sectae erroribus Religioni Catholicae nomen daret, et primo marito Calvinista in vivis adhuc agente alteri viro catholico nuberet. Hoc matrimonium occasionem dedit Transilvaniae Eppis interrogandi, num matrimonium, quod mulier recens conversa cum viro catholico celebraverat, validum habendum esset, an nullum? Quod quidem dubium solvi non posse dignoscitur, nisi prius certo constiterit, an primum matrimonium, ab eadem muliere cum viro Calvinista contractum, quo tempore et ipsa in eadem haeresi versabatur, verum firmumque fuerit, an potius nullum et irritum. Scholasticis disputationibus praetermissis, illius

videlicet quaestionis omisso examine, utrum insolubilitas matrimonii consummati, donec uterque coniux vixerit, procedat a iure naturali necne? id certum est, perpetuam illius firmitatem a iure divino scripto profluere. — Nec minus certum haberi debet, matr. vinculum nequaquam dissolvi, si ab alterutro coniugum fides coniugalis adulterio frangatur. — Ex his plane consequitur, matrimonium inter virum et feminam contractum, quo tempore ambo Calvinianae sectae adhaerebant, validum firmumque censendum esse, tametsi cum ceteris eiusdem haeresis sectatoribus falso opinati fuerint, matrimonium etiam quoad vinculum adulterio interveniente dissolvi: siquidem credendum est, eos generali voluntate contrahere voluisse matr. validum, iuxta Christi legem, ideoque etiam adulterii causa non dissolvendum. Privatus enim error nec anteponi debet nec praeiudicium afferre potest generali, quam diximus, voluntati, ex qua contracti matrimonii validitas et perpetuitas pendet, et consequenter inducitur nullitas secundi matrimonii, quo femina post susceptam catholicam fidem primo adhuc vivente marito alteri se coniunxit. — Sed non nunc sermo est de matr. inito inter duos Calvinistas, quibus hoc per errorem tantummodo persvasum fuerit, matr. vinculum adulterii causa dissolvi; sed agitur de eiusmodi matrimonio, quod a duobus Calvinistis ita fuerit celebratum, ut praeter errorem supradictum id etiam in pactum conditionemque deduxerint, et expresse in ipsa matrimonii stipulatione convenirent, quod si ab alterutro coniugalis fides fracta fuerit per adulterium, coniugii societas etiam quoad vinculum soluta remaneat. — Quodsi expressa illa conditio de matrimonio ob adulterium dissolvendo apposita minime fuerit, quantumvis contrahentes in eo fuerint errore, ut matr. vinculum per adulterium dissolvi posset, nihilominus locus est praesumtioni, ut dum matrimonium, prout a Christo institutum fuit, inire voluerunt, illud omnino perpetuum ac interveniente etiam adulterio insolubile contrahere voluerint; praevalente nimirum generali, quam diximus, voluntate de matrimonio iuxta Christi institutionem ineundo, eaque privatum illum errorem quodammodo absorbente, quo fit, ut matrimonium ita contractum validum firmumque maneat. At ubi contrahentes in ipso matr.

contractu expressam apposuerunt conditionem de dissolvendo quoad vinculum matrimonio in casu adulterii: iam fieri nequit, ut error particularis absorptus maneat a generali voluntate contrahendi matrimonium, prout a Christo Domino institutum fuit, sed potius voluntas generalis eiusmodi extingvitur et suffocatur ab errore particulari, qui manifeste praevalet ac dominatur, atque hinc oritur nullitas matrimonii, in quo contrahendo apposita fuit conditio ipsius substantiae contraria. — Doctrinam hanc secuta est semper, atque constanter Congregatio S. Officii, quoties eidem examinanda se obtulit validitas matrimonii vel inter duos Calvinistas, vel inter Catholicum et Calvinistam contracti, cum scilicet vel ambo coniuges, vel alter eorum in ea opinione versaretur, ut matr. vinculum adulterii causa dissolvendum foret. Ita colligitur ex responsione data ad dubium olim ab Eppo Bosnensi propositum, quod ita conceptum fuit: „An sit validum matr. contractum inter catholicam et schismaticum haereticum, cum intentione foedandi vel solvendi matrimonium?" ac die 2 Octobr. 1680 ita resolutum: ‚si ista sint deducta in pactum, seu cum ista conditione sint contracta matrimonia, sunt nulla, sin aliter, sunt valida.' Hoc idem confirmatur ex quadam decisione solemni, quam eadem Congregatio nobis praesentibus edidit die 1 Aug. 1748. cuius hoc erat subiectum: „Sempronius Calvinista Dioec. Albensis Transylvaniae ante 5 annos coram curione suo calvinista (nam ipsimet admittunt clandestina matr. valida) sub conditione: Contraho tecum, si vel quamdin manseris in honestate coniugali, vel si fidem thori servaveris, contraxit matr. cum Sempronia Calviniana. Haec Sempronium aliquoties infideliter deseruit, redire noluit. Sempronius taedio affectus, et, ut animae saluti consuleret, fidem catholicam suscepit. Angitur nunc et dubitat, num recipere teneatur in haeresi Calviniana remanentem veram, an putativam uxorem? item quod forum eiusdem in causa divortii quoad vinculum? Calvinistarum, an Catholicorum?" Primo huic casui secundus subiectus erat his verbis expressus: „Titius Calvinista coram ministro eiusdem sectae et testibus in Dioecesi Albensi Transylvaniae contraxit matr. cum Titia Calviniana ante annos 20 sub praedictis conditionibus. Iidem nunc recenter con-

versi ad fidem cath. dubitant, an ad hoc, ut simul manere possint, consensum, et quidem coram parocho et testibus, renovare teneantur." His autem dicta Congregatio ita satisfecit: „Matrimonia in utroque dubio relata nulla prorsus esse. Et ad primum dubium specialiter: Sempronium non teneri ad recipiendam uxorem in haeresi Calviniana manentem, imo nec teneri ad recipiendam eam, si ad cath. fidem converteretur; posse tamen ad cath. fidem conversam recipere, si velit, in uxorem, renovato coram parocho et testibus utriusque consensu, si nullum alias inter eos intercedat impedimentum. Indignum prorsus esse, recurrere ad Calvinistas pro declaratione divortii quoad vinculum. Stante veritate expositorum matrimonium illud nullum sua natura corruere, nec simpliciter et absolute indigere Sempronium declaratione fori ecclesiastici, ut possit ab asserta uxore separari. Et ad secundum dubium: debere recenter conversos renovare consensum coram parocho et testibus, ut tamquam legitimi coniuges in coniugio remanere possint." His igitur principiis positis — dubium illud, quod a Transylvanis Eppis propositum fuerat de matrimonio a viro et femina Calvinistis cum expressa illa conditione contracto, facile solutum fuit, edita responsione die 20 Maii praesentis anni 1754. nimirum fuisse nullum, omnique effectu carere debuisse. Quia tamen ex aliquibus documentis, quae transmissa tunc sunt, et examini subiecta, nonnemo argui posse putabat, eam conditionem non ita in Calvinistarum matrimoniis apponi, ut coniugali fide violata dirimendum foret coniugii vinculum, sed ut divortium tantummodo faciendum esset quoad thorum; alii vero supradicto Calvinistarum Rituali considerato, ut admisso etiam, hunc esse verum illius conditionis sensum, ut solutionem matrimonii quoad vinculum importet, tamen dici posse contendebant, eandem in contrahendi matrimonii actu non ita apponi, ut contractum ipsum et contrahentium consensum conditionalem efficiat, sed potius eidem contractui superaddi, postquam perfectum iam et completum fuit per mutuam illam responsionem ‚Accipio': hinc antequam super proposito postulato responsum ederetur, opportunae adhibitae fuerunt diligentiae, ut eorum omnium haberetur clara et certa cognitio, ex quibus negotii

resolutio pendebat. Acceptis autem indubiis documentis, perspectum fuit et exploratum, eam desertionem, de qua paciscuntur in celebrandis matrimoniis Calvinistae, si datam fidem fregerint adulterio, nequaquam dici posse simplicem thori separationem, seu divortium, sed veram matr. vinculi solutionem. Si enim eorum quis fuerit de adulterio convictus, alter innocens coniux ad novas nuptias libere transire solet, ipsique haeretici iudices, ubi de unius crimine legitimas probationes adesse cognoverint, potestatem innocenti coniugi faciunt, ut novo matrimonio cum alio coniuge iungatur. Quod vero spectat ad formam contrahendi in Calviniano Rituali descriptam, licet conditio de coniuge tamdiu non deserendo, donec ipse in honestate permanserit, non immediate legatur apposita post verbum illud ‚accipio', sed in subsequenti duntaxat iuramento inseratur; nihilominus cum hoc iusiurandum non alia de causa proferatur, nisi ut praemissum illud verbum ‚accipio' debitam ex eo firmitatem accipiat, facile intelligitur, unum eundemque esse actum, qui ex superioribus responsionibus et ex subsequenti iureiurando efformatur, quique paucis verbis sic exprimi potest: ‚accipio te, et iuro, quod non deseram, donec in honestate permanseris.' Contra vero non satis percipi valet, quomodo conditio illa matrimonii solutionem importans ab ipso contractu ita divelli possit, ut non illius pars constitutiva dicenda sit, sed quaedam potius appendix, quae eidem iam completo perfectoque adiiciatur. —

1132. Breve Benedicti XIV. ad Eppum Transylvaniae Sigismundum L. B. Sztojka pro nullitate matrimonii cum praevia conditione initi. 1754. ‚Christina Macskásy' ex Calvinismo ad catholicam fidem conversa post recursum habitum ad S. Congregationem Concilii humillime nobis per epistolam supplicavit, quatenus declararemus: an matrimonium ab ipsa cum ‚Michaele Dósa' catholico ritu contractum sit validum non obstante, quod eadem Christina illud contraxerit vivente ‚Stephano Várady' Calviniano, cui ipsa, quum eodem errore detineretur, nupserat sub famosa illa conditione ‚donec in honestate et puritate

permanseris', atque coram curione et testibus Calvinianis? Nos igitur debito muneris, quod humilitati nostrae inscrutabile Dei iudicium imposuit, consentaneum esse ducentes, iustis petitionibus annuere, ac Sacramenti matrimonii indemnitati consulere, omniumque pastorali nostrae sollicitudini commissorum tranquillitati providere: (quod sane utrumque enunciata petitio complectebatur) causam istam a Sacra Congregatione Concilii ad nos ipsos immediate avocavimus, ac sedulo perpendentes tum iuris tum facti producti circumstautias omnes; informationem item a Fraternitate tua, et ven. fr. nostris Eppis Agriensi et Weszprimiensi ad S. Congregationem Concilii transmissam prae oculis habentes; tum anditis plurimis viris nedum in S. Theologia, Iure Canonico peritissimis, sed apprime etiam instructis de modo, forma et consuetudine, quibus Calviniani in hisce regionibus matrimonia contrahunt; inhaerentes alias decreto a nobis edito 1. Aug. 1748. quod fraternitati tuae ex tuamet informatione innotuisse deprehendimus, declaravimus, uti per haec apostolica scripta declaramus: matrimonium inter Christinam Macskásy et Stephanum Várady calviniano ritu contractum irritum ac nullum fuisse, ac proinde validum esse illud catholico ritu contractum inter eandem Christinam ad cath. fidem conversam et Michaelem Dósa. Equidem, ven. frater, non te latent, quae Tit. de condit. appos. leguntur: „Si conditiones contra substantiam matrimonii inserantur, puta, si alter dicat alteri: contraho tecum, donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem; matrimonii contractus quantumcunque sit favorabilis, caret effectu." An non aeque opponitur indissolubilitati, proindeque substantiae matrimonii conditio illa: donec inveniam aliam ditiorem, de qua laudatus canon, atque ista, sub qua contrahunt Calviniani: donec in honestate permanseris? Nec sane quoties huiusmodi expressa conditio inseritur, ad intentionem generalem recurri potest, quod contrahant valide ac iuxta legem Christi: potuisset enim generalis haec intentio in casu laudati canonis facillime allegari, et tamen non fuit a Patribus attenta, neque nos illam attendimus, qui iuxta canones iudicamus. Minus autem valet, quod fraternitas tua ex Calviniano Rituali subnectit: conditionem nempe illam proferri a contra-

hentibus non immediate post prolatum verbum ,accipio', sed post praestitum ab iisdem iuramentum. Si namque totam illam contrahendi formulam mature consideraveris, perspicies ex praecedentibus responsionibus, et ex immediate subsequenti iuramento, unicum et continuatum actum resultare, sic ad pauciora verba redactum: accipio te et iuro, quod non te deseram, donec in honestate permanseris. Quapropter praefata conditio consulto a Calvinianis adiecta limitat atque restringit consensum praestitum per verbum ,accipio ad tempus tantum servatae honestatis.' Neque, ven. frater, in hac significatione Calviniana subiicienda moraberis, quoties animum tuum ad ipsosmet haereticos tuae dioecesis convertes: qui solent passim matrimonia quoad vinculum dissolvere, si mulier in honestate non permanserit; quin imo, si verum est, quod cives Claudiopolitani iureiurando testantur, Consistorium ipsum Transylvaniae non semel Calvinianis ad orthodoxam fidem conversis potestatem fecit ad alia vota convolandi viventibus adhuc respective prioribus coniugibus, ea quidem ratione, quod sectarii huiusmodi isthic degentes solubiliter contrahant. Haec, ven. frater, scribenda censuimus fraternitati tuae, ut scias teneasque, matrimonium inter Christinam Macskásy et Michaelem Dósa contractum ratum et validum esse, ac proinde omni cunctatione abiecta permittas faciasque eosdem tamquam veros et legitimos coniuges cohabitare. — Romae die 20 Maii 1754.

1133. Christina Macskási executionem Brevis Apostolici a Consistorio Eppali postulans, ab hoc repellitur, et a cohabitatione cum Michaele Dósa porro quoque inhibetur. 1754. Resolutio ad supplicem libellum Christinae Macskási, executionem Brevis Apostolici de praetenso suo cum Michaele Dósa matrimonio emanati petentis, dd. 8 Aug. 1754: Quandoquidem S. C. R. Maiestas causam Dominae oratricis Christinae Macskási cum suo marito Stephano Váradi vertentem speciali mediante mandato ita ordinaverit in sua competentia ventillari ac diiudicari, ut finalem ipsius decisionem sibi immediate

reservaverit; eadem autem causa iudicialiter terminata adhucdum non sit; ex eo illa adhuc pendente, Sacro Consistorio integrum non est, quidquam in praesentiarum circa preces D. Oratricis finaliter determinare. Terminata autem sua via eadem causa, Oratrici ultro ad S. Consistorium pro clariori resolutione recurrere licebit. Interea supplicanti sub salutaris obedientiae merito et sub poena maioris excommunicationis ipso facto incurrendae praecipitur et mandatur, ut se priori deliberato conformet, et a cohabitatione secretaque conversatione cum nobili Michaele Dósa simpliciter abstineat.

1134. Responsum Eppi Transilv. ad Breve Pontificium, eius executionem impossibilem declarantis. 1754. Apostolicas Beatitudinis Vestrae literas in forma Brevis ad me expeditas, quarum vigore pro altissima sua sapientia dignata est Beatitudo Vestra declarare: matrimonium inter Christinam Macskási, antea Calvinianae sectae adhaerentem, nunc neophytam dioecesis meae filiam, et Stephanum Váradi, eandem sectam etiamnum profitentem, Calviniano ritu primitus contractum, irritum et nullum fuisse ea praecise ex ratione, quod Calvinistae nostri conditionate matrimonia contrahant sua, proindeque validum esse illud contractum inter eandem Christinam ad catholicam fidem conversam, et Michaelem Dósa catholicum, meum pariter dioecesanum, unaque iubere, quatenus omni cunctatione abiecta permittam faciamque eosdem tamquam veros et legitimos coniuges simul cohabitare, accepi veneratusque sum. Equidem nihil potius esse reputo, ac sanctis et salutaribus Beatitudinis Vestrae ordinationibus, quippe summa semper sapientia et alta aequitate praelibratis, atque ab eo promanatis, qui verax sit, et iustitiam Dei in veritate doceat, promte parenterque semper, quantum in me sit, obtemperare non minus quam a meis subditis facere pareri. Verumtamen quominus meae erga Beatitudinem Vestram exolvere debitum fidelitatis, atque ad earumdem Apostolicarum Eiusdem literarum executionem cum effectu procedere usque etiam modo potuerim, praeter potiores longeque graviores, quas inferius relaturus sum, considerationes et impedimenta, obicem iniecit, qui et interiacet

etiamnum, nulla hic et nunc industria eluctabilem illud, quod Augustissima Regina nostra auctoritate edictorum Antecessorum suorum, summaeque iure maiestatis, in causis quorumvis heterodoxorum his in partibus degentium nedum civilibus sed et ecclesiasticis supremum tenens iudicatum, vi potestatis suae causam ipsius Christinae, per ipsam adversus Stephanum Váradi Calvinianum ad divortium ab eodem consequendum in foro Calvinistico iam primitus suscitatam, ad demissas ipsiusmet Christinae preces peculiari mediante decreto ita ordinaverit iusseritque in eodem foro, quod ipsa actrix sequi deberet forum reiconventi, Calvinistico iudiciali forma pertractari, pertractatamque una cum actis iudicialibus ad Regium suum thronum deduci, ut ferendae desuper enunciandaeque finalis sententiae seu determinationis potestatem uni supremo suo oraculo reservavit. Cum itaque causa eadem ne ipso quidem foro Calvinistico, minus coram throno regio sit adhuc sortita finalis complementum terminationis, ea sic pendente per earumdem Apost. Literarum executionem quidpiam innovare sane non aliud fore conclusi, quam in ius maiestaticum involare, Regiam ordinationem interturbare, atque eiusdem impedire effectum, et, quod consectaneum inde esset, indignationi regiae vix ulla excusatione placandae certum suppeditare argumentum. Atque haec eadem extitit causa, utut prae mox adducendis minus gravior minusque universalior, simul et meae in humiliter rescribendo ad eadem Apostolica Beatitudinis Vestrae scripta tarditatis, quod opportunum nimirum censuissem, ab eiusdem causae exitu, si quo illa interea modo terminaretur, tantisper praestolari.

Sed enim etsi causa isthaec quocunque demum modo extiterit terminata, dum tamen praesentes rerum, temporum, Status publici, personarumque istius Principatus circumstantias altius mecum considero, dispicioque, non est mihi modus, Beatissime Pater, non vires, non facultas, non modalitas ulla, quarum adminiculo easdem Apostolicas Beatitudinis Vestrae literas, contentamque illis declarationem in iussam valeam sumere executionem. Notum enimvero sapientiae Beatitudinis Vestrae perquam optime est, quaestiones matrimoniales etiam publici Status politici, totiusque summae,

mediae infimaeque sortis hominum multitudinis involvere rationem; quod cum ita sit, cumve in nobili isthoc Principatu Comitum, Baronum, Magnatum, Nobilium supremis ac mediis Officiis politicis pari cum catholicis numero fungentium, auctoritate valentium, opibus pollentium, viribus potentium, et cum exterarum provinciarum suae religionis Potentiis arctissimo dogmatis foedere iunctorum, civium denique plebeorumque, Calvinianae sectae adhaerentium adeo frequentissima sit adhuc multitudo, ut ob hanc summa habeatur opus cautione ac circumspectione, vel ad ipsa ordinaria religionis nostrae incrementa promovenda, ut per executionem declarationis B. V. matrimonii eorumdem invaliditatem publici iuris faciam, nisi simul coniugibus Calvinistis prioris sui mariti aut uxoris pertaesis, seu etiam quavis de causa iis offensis, libere illico secundarum gratia nuptiarum passim ac turmatim ab invicem recedendi, ac subsequenter ad periculosissimas illas Statui publico politico, communi in patria tranquillitati, multorum nobilissimorum coniugum famae, honori, acatholicorum conversioni, sacrae denique Religionis nostrae, quae iamiam solatiosis post graves illas superiorum seculorum calamitates assurgit initiis, emolumento qua praeiudiciosas qua perniciosas sequelas, quas in altera mea ad S. Congregationem Concilii submissa informatione uberius deduxi, apertam liberamque pandere velim viam, equidem B. P. non est prorsus in mea situm potestate. Sed etsi esset, Sacram tamen Maiestatem nostram Regiam methodum tam novam, fidelium suorum coniugia subditorum tangentem, et ab omni retro observata usitataque in Regno Hungariae praxi alienam per me in ditionem suam invectam certus essem haudquaquam intactam incorrectamque relicturam. Certissimum namque est, in toto Hungariae Regno iam inde, ex quo illam Calviniana haeresis inundavit, ac in omnibus sitis in eo Dioecesibus matrimonia Calvinistarum illic degentium ad moderna usque tempora semper rata, semper legitima, semper valida fuisse reputata, iudicata, reputarique etiamnum ac iudicari, atque in hac eadem fuisse ac esse hodiedum Eppos Iudicesque Ecclesiasticos sensus, consensus atque iudicii unitate. Cuius praeter iam submissam duorum Epporum, Agriensis et Weszprimiensis,

sententiam, aliorum etiam pariter duorum, Vaciensis et Iaurinensis, humillime hic advoluta in extractu iudicia testimonium perhibent luculentum. Nec id absque ratione; tametsi enim statutum esse Canone finali de conditionibus appositis non nesciamus, si conditiones contra substantiam coniugii inserantur, matrimonii contractum quantumcunque favorabilem carere effectu: nos tamen, B. Pater, fatalem illam conditionem ‚quoadusque in sua honestate et puritate permanserit' per Calvinistas iuniates iuramento matrimoniali subiici solitam in ipsam cadere matrimonii substantiam, ipsam tangere, ipsique contrariari nequaquam hactenus credidimus, sed ipsi duntaxat nondesertioni poni per illam terminos tenuimus ac tenemus. Censemus enim, quod substantia matrimonii per mutuum consensum verbis ‚amo, accipio illam in uxorem' undequaque absolutis praevie utrinque datum praestitumque iam integraliter perfecta sit, eidem proinde dicta conditio officere adversarique neutiquam possit; quod serius, nec ipsi formae contractus (quam in solis illis praemissis verbis absolutis, absolute enunciatis consistere, illisque prolatis contractum iam illico perfectum esse iudicamus) sed iuramento subsequo adiiciatur, quod quemadmodum nec forma contractus est, nec illam ingreditur, nec ad substantiam matrimonii est nullatenus necessarium, ita conditio in eius fine pendens consensum iam absolutum, absolute praestitum, conditionatum reddere haud potest. Neque enim arbitramur, nec persvadere nobis possumus, ex praecedentibus responsionibus absolutis ‚amo, accipio', atque ex subsequente iuramento illa conditione vestito unicum et continuum actum resultare, verum duos ab invicem multum diversos, primum videlicet actum esse contractum matrimonialem absolutum undequaque validum, ita quidem, ut si alterutra partium ante depositionem subsequi iuramenti illico post primum hunc actum morte repentina extingveretur, censeremus illam iam in matrimonio de praesenti rato constitutam decessisse; alterum vero esse pure ac tantum iuramentum ad substantiam matrimonii nullatenus pertinens, nec illam iam perfectam ullatenus amplius aut laedere aut vitiare potens. Quae quidem considerationes et argumenta si valorem matrimonii Calvinistarum huiatum plene evincere nequeunt,

dubinm tamen illum, et rationabiliter quidem, certe relinquunt; cnm igitur canonicis doceremur regulis, in dubio pro favore potius matrimoniorum standum, quam eorum valorem esse impngnandum, hinc etiam est, quod eadem matrimonia Calvinistica rata validaque potius qnam invalida fore usqne etiam modo nnanimiter sentiamus. Neque his obstare quidquam, quod Consistorium ipsnm Transilvaniae (si tamen civium Claudiopolitanorum depositio vera est, cum in Actis Consistorialibus non extet,) Calvinistis ad orthodoxam fidem conversis potestatem aliquando fecerit ad alia vota convolandi viventibus adhnc respective prioribus coniugibus ea ex ratione, quod Sectarii huinsmodi solnbiliter contrahant; id enim contingere fors potuit vel accedentibns aliis quoqne circumstantiis, qnae nullitatem prioris matrimonii argnerunt, vel vacante Sede per minus attentnm Vicarium, vel deniqne inconsnltis vicinis Hungariae Eppis.

Qnae cum ita sint, altissimo sapientissimoque B. V. subiicio hnmillime iudicio, qui fieri possit, ut per executionem saepe landatarum Apost. literarum ego solus in re tanti momenti a reliquo Ecclesiae Hungaricae corpore, cui nednm fidei ac religionis unitate, sed et temporalis regiminis identitate proxime existo sociatus, me sciungam, ab nnanimi Coepporum sententia recedam, novam inusitatamqne antehac in puncto matrimonii methodum praximque, omnium Hungariae Ecclesiarum usui universali difformem, inveham, teneam, ac usnrpem? Quod cnm fieri a me solo posse prorsus non videam, ad pedes B. V. humillime provolntus instantissime supplico, dignetur B. V. pro vigilantissima sua providentia altissimaque sapientia, qnibus supremum militantis Ecclesiae Dei gubernium felicissimis svavissimisque successibus moderatur, pro dnbiae quaestionis istius complanatione, si eam veteri suo apnd nos cursui minime censeat relinquendam, ea ordinare media, quatenus illa cum scitu et interventu, quoad convenit, Augustae etiam Aulae, sive in Synodo Nationali Hungarica eatenus cogenda, sive convenientc quavis alia modalitate per Universitatem Epporum et Cleri Hungariae decidatur. Nisi enim hi omnes aut eorum potiores in eandem veniant de invaliditate dictorum matrimoniorum Calvinisticorum iudicii et consensus

unitatem, illam tenendi, inque praxim desumendi onus meam unins tantum ac solius omnino exsuperat activitatem. — Albae Carolinae die 13 Nov. 1754.

1135. Deliberatnm seu sententia Synodi Calvinianae in causa matrimoniali Christinae Macskási. 1754. Snperatis tandem tot ac tantis difficultatum, saepe etiam quaesitarum, ambagibns, quibus in hunc usque diem involutis atque praepeditis benignissimum S. C. R. M. Rescriptum, anno adhuc 1750 die 27 m. Iulii emanatum, causamque matrimonialem inter Magnificam Christinam Macskási velut Actricem et Egreginm Stephanum Váradi velut Incattum suhortam intra spatium unius admodum mensis terminandam clementissime decernens, in effectum deducere nobis maxime invitis permissum haud est, quasque vel in praesens nonnisi iterati eiusdem altefatae Maj. decreti illudque subsecutae Exc. Principatus Trans. Gubernii R. Commissionis, utque non admissa per amplius dilatione, ac rescissis quibusvis exceptionibus, causa substrata infallibiliter assumatur decidaturque, sapientissime praecipientis, ope divinissima adiutis fas aequumque fuit. Lecta sunt universa, pancis solummodo ex utraque parte iudicialiter condescensis, partium dissidentium documenta literalia, ad statum causae quoquomodo pertinentia, nec minus actioni actricis quam exculpationi Incatti firmandis destinata: quumque iis omnibus ad lancem veritatis legumque civilium pariter atque ecclesiasticarum severe libratis, post impensum vel in hac ipsa Congregatione nostra septem solidorum dierum laborem improbum, sola iam definitiva supersit sententia, eam omnem in hosce sequentes placuit compingere limites, et quidem: 1. Sunt oppido quamplura per Actricem in ipsa statim litis contestatione Incatto obmota, postque in diffusis Inquisitoriarum voluminibus ad plenam probam consequendam praesentata accusationum capita; quia tamen 2. in ipsa eiusdem Actricis conclusione causae meritali pro obtinendo totali matrimonii divortio eorum praecipua tribus cum maxime titulis inclusa compareant, ceteris in classe copiarum auxiliarium militare iussis, adulterii videlicet, desertionis malitiosae, et insidiarum

vitae structarum, quae non tantum coniuncta, verum etiam per se singula ad decernendum divortium totale in foris Protestantium sufficere clarum est et evidens; unde 3. an haec sive simul omnia, sive horum alterum seorsim sumtum contra Incattum sufficienter probatum sit, hoc inprimis sub examen censuramque seriam mitti debuisse, nemo non videt. Quo vero in examine 4. quum ex accurata testium utrinque productorum collatione liquido constet, a) adulterium Incatto imputatum, verum quidem et manifestum produci nullum, praetensum vero et adductum testium in inquisitoriis Actricis — ex furtivo pedum virginis cuiusdam contactu, fixis item eidem osculis, et recessu cum eadem in locum secretum solitario elicitum, praeterquam quod haec testantium praecipuus testis, omni exceptione maior, per allegata in conclusione Incatti esse non possit; adulterio praesumto, quod ipso Iure Canonico c. 12. de Praes. praeeunte, etiam apud Protestantes vera divertendi causa esse solet, quodque ex coniecturis violentis proximis, et gravissimis nasci debet, aequiparari minime posse, quum ob solos amplexus et oscula ad divortium agi nequaquam posse, constans sit doctorum sententia; (Boehmer I. E. L. 4. tit. 19. §. 19.) Sed b) neque desertionis malitiosae Incattum convictum teneri: quum nec ipse unquam Actricem titulo sub quocunque deseruerit, neque ipsa Actrix, quamdiu sub potestate maritali Incatti fuit, sacra venerabilis Religionis R. C. amplexa fuerit, quo sic in libero religionis exercitio salutemque suam operandi studio impediri per Incattum potuisset, unde tamen Actrix notam malitiosae desertionis ipsi Incatto inurere praeprimis nititur; quin e contra Incattus satis superque doceat, se intentioni Actricis de mutanda religione, postquam scilicet morbo, in quem inciderat, profligato sibi reddita fuit, numquam obstitisse, quin imo saepius declarasse, ut, si Religionem R. C. amplecti vellet, per ipsum Incattum liberum esset, quam tamen oblationem Actrix constanter recusasset; c) neque vitae Actricis ipsum Incattum insidias struxisse, quodque huic velut affine connectitur, nimiam saevitiem exercuisse; quum in omni illa, quam curando Actricis morbo consultis et in partes vocatis fidei probatae medicis adhibuit, oeconomia nullum propinationis potus venefici compa-

reat vestigium; constet quin ex adverso, omni qua potuit sedulitate ac industria morbo propulsando incubuisse, nec nisi leviculis et ex ardenti morbi pertinacis, in quem Actrix seu vere seu ex opinione sua inciderat, medendi studio profectis verbis sequioribus semel atque iterum ad eam directis usum fuisse. Quibus omnibus 5. quum satis probatum sit, Egregium Stephanum Váradi, non ex alta quidem stirpe oriundum, honesto tamen loco natum, neque contemnendis animi atque corporis dotibus ornatum, ideoque a Magnifica Christina Macskási tunc Illmi condam Comitis Stephani Bethlen vidua (dum filiorum eius e priori coniugio susceptorum ephorum ageret) in vitae thorique socium ambitu spontaneo delectum, moxque solemni foederis coniugalis sacramento adstrictum, toto exinde biennii curriculo, quoad scilicet integra vitae thorique consvetudine eidem frui licuit, cunctis et mariti et patrisfamilias partibus pro suo virili functum, nec ullis fractae et violatae fidei coniugalis indiciis violentis quidem et urgentissimis arctissimae huic coniunctioni dissolvendae iure ecclesiastico paribus notatum fuisse, nobisque simul lege SS. Salvatoris ac Magistri D. N. I. C. cautum sit, ne ab ipso Deo coniuncti ab hominibus vicissim separentur extra rationem tanto foederi dirimendo sufficientem: hinc ut saepius landati Incattus et Actrix velut semel in Domino sibi mutuo nupti fidei Deo iuratae convenienter, posita mox omni feritate, mitescentes, iniuriarumque penitus obliti, rursus in foedus coëant, et castissimo prioris amoris igne succenso toti invicem ardeant, vagisque quibuslibet amoribus procul facessere iussis, Deo pietatique studeant, nihil unquam illibatae religionis a se ipsis adamatae libertati vel in minimo derogantes, probe scilicet gnari, sanctissimum in conscientias dominium soli Deo invictissimo, cordium renumque scrutatori, proprium privatumque esse, legibus qua divinis qua humanis congruum prorsus pronunciatur, sic cunctis aliis, quas alter in alterum habere posset, praetensionibus sua sponte subsidentibus. Extradatum e Sacra Synodo Generali Maros-Vásárhelyini celebrata die 20 Nov. 1754. Per Sigismundum P. Szathmáry, S. Synodi Gen. iur. Notarium.

1136. **Ad literas Eppi Trans. rescribens iussu Benedicti XIV PP. Sacri Officii Assessor, denno monet Eppum ad executionem Brevis absque cunctatione suscipiendam.** 1755. Acceptis a SS. D. N. Benedicto XIV Dom. Vestrae Ill. ac RR. literis, in quibus conabatur ostendere, matrimonium, quod Christina Macskási post Calvinianam haeresim condemnatam, nomenque datum Religioni Catholicae, celebraverat cum Michaele Dósa, viro Romanae fidei, adhuc in vivis agente Stephano Váradi homine Calviniano, cui iam pridem nupserat per eam verborum formulam, quae moris est apud eos in Transilvania, illaque adhibita celebri conditione ‚donec in fide et honestate permanseris', irritum ac nullum esse, idem SSmus Dnus noster eo, quo semper solet, religionis studio, omnique consilii maturitate perpendere ea non destitit, quae in iis continebantur. Cumque mihi S. Officii Assessori honorem hunc tribuere dignatus fuerit, demandato, ut Dom. Vestrae Ill. ac RR. suo nomine responderem, quaeque ipse in hoc negotio sentiret, significarem, hinc eius iussa promto libentique animo executurus, eo quo par est obsequio quae respondenda mihi commisit, expono. Itaque ne in aequivocis laboretur, animadvertendum Sanctitas Sua proponit: non fuisse nec esse sibi rem de iis matrimoniis, quae a Calvinianis haereticis contrahuntur in iisdem erroribus ad obitum usque perseverantibus; quae neque tunc sibi proposuit consideranda, nec adhuc; sed, quod sibi examinandum declarandumque oblatum est, circa eorum matrimonia versari, qui cum fuerint inter se copulati, quo tempore in haeresis Calvinianae tenebris ambulabant, alter postea ex iis ad lumen catholicae veritatis oculos aperit, vivoque adhuc primo coniuge Calviniano, cum catholico matrimonio secundo coniungitur. Neque in hoc ipso rerum systemate affirmavit, primum illud matrimonium a duobus coniugibus initum, quo tempore in eadem haeresi perseverabant, ita semper effectu carere, ut, si alter ex illis Religionem Catholicam amplectatur, semper possit secundum matrimonium cum catholico aliquo coniuge celebrare. Bene vero asserit, id solum licere et posse, quando ea peracta fuerit circumstantia, scilicet, quod matrimonium primum ad certum

tempus coarctatum fuerit a conditione de eodem quoad vinculum adulterio interveniente solvendo; quemadmodum coarctari ab haereticis Calvinianis in Transilvania Sanctitas ipsa Sua certo cognovit. Haec aliaque plura, quae Eadem Sanctitas Sua in superioribus literis in forma Brevis ad D. V. Ill. ac RR. datis inscripsit, ex puris Canonici Iuris fontibus hausit, praecipue ex cap. fin. de Cond. appos. ‚Si conditiones'; quae si ea qua solet attenta et matura mentis consideratione perpendat, non dubito fore, ut Dominatio Eadem Vestra in eodem sensu, quo Sanctitas Sua, conveniat, et in casu proposito capiat sapientissima ea consilia, quae et ratio et aequitas postulant a sanctionibus canonicis, per Sanctitatem Suam apertissime manifestatae. Aliter me iudicare non sinunt ardens illud religionis studium, quo notum est D. V. accendi, et filialis illa obedientia, quam SSmo D. N. religionis eiusdem supremo in terris Capiti semper praestitit. Superest modo, ut D. V. Ill. ac RR. obsequia mea ex animo et corde sincero submittam, meque exequendis Eiusdem iussis, si tanto me honore dignabitur, paratissimum fore pollicear. Romae, 5 Kal. Febr. 1755. Ludovicus de Valentibus, S. Off. Ass.

1137. Eppus Transilv. ad praevias literas respondet: se ad executionem Brevis Apostolici procedere non posse. 1755. Epistolam Illmae ac Rmae D. V. ad me exaratam, cuius tenore altam SS. D. N. circa matrimonium Christinae Macskási primum cum Stephano Váradi, Calvinianae sectae etiamnum adhaerente, habitum, tum cum Michaele Dósa catholicam religionem profitente, illo adhucdum in vivis agente, initum singulariter, atque circa matrimonia Calvinistarum in hac Transilvania generatim mentem sapientissimamque intentionem iussu Eiusdem Suae Sanctitatis explanat mihi detegitque, debito recepi cum honore. Equidem, Illme ac Rme Due, quo ego altissimis religiosissimisque Suae Sanctitatis seu iudiciis seu decretis adversarium me ponere audeam, id profecto tanto a me abesse cupio ardentius, ac ut absit studeo sollicitius, quanto sacratiori iurisiurandi sacramenti vinculo illibatae Suae Sanctitatis fidelitati ac obedientiae sum devinctus. Nefas enimvero,

piaculumve sit Ei obluctari, quem ceu columnae invincibilis Catholicae veritatis insidens purioris religionis Caput et Magistrum praecipimur audire et venerari. Sed quia communis esset notionis illa paterni cordis Suae Sanctitatis benignitas, qua rebus super ecclesiasticis ita in medium iudicat, ut tamen locorum Ordinariorum opiniones non repellat, animum illa mihi addidit, publici huius patriae status ratio imposuit, causae gravitas exegit, quatenus difficultatem, imo pro modernis rerum Status circumstantiis impractibilitatem executionis Brevis Apostolici Suae Sanctitatis humili responso declararem. Et vero tametsi Apostolica illa Suae Sanctitatis declaratio, laudato Brevi comprehensa, non omnia omnium in universum complectatur aut tangat Calvini sectariorum matrimonia, sed ea duntaxat, quae ad certum tempus coarctata forent a conditione de iisdem quoad vinculum adulterio superveniente solvendis, ac in particulari quidem praefatae solum Christinae cum Stephano Váradi et Michaele Dósa intercedens coniugium afficeret; quominus tamen etiam quoad ipsam ad plenam laudati Brevis Apost. executionem eo effectu procedere queam, ut eandem matrimonii consvetudine Michaeli Dósa convivere admittam, id equidem et iura Augustae nostrae Reginae maiestatica prohibent, et gravissimae circumstantiarum rationes, in humili meo beatis Suae Sanctitatis pedibus subiecto responso cum veritate declaratae ineluctabiliter impediunt. Et iam nunc quidem tanto gravius, quod ex quo praelibata Regia Maiestas primam ipsius Christinae litem, quam illa adversum Stephanum Váradi priorem suum coniugem fine consequendi ab eo divortii coram foro Calvinistico iure movit, in eodem modis legalibus pertractari, concludi, finalisque determinationis intuitu Regio suo oraculo subiici praecepisset,. evenerit tandem, ut lis eadem in eodem foro ita iam sit finali termino conclusa, ut simul ipsi Christinae, quandoquidem in positionum suarum comprobatione legali defecisset, repetenda cum Stephano Váradi coniugalis vitae societas sit iniuncta, de quo advolutum hic genuinum Calvinistici superinde Deliberati par instrumentum testimonium perhibet luculentum. (ut supra.) Deducetur hoc iudicii Calvinistici instrumentum ad supremum Regiae Maiestatis thronum, ibique

consequetur tandem causa isthacc finale ultimi iudicii complementum. Hoc itaque priusquam Regium edicat oraculum, quo pacto matrimonialem ipsorum Christinae Macskási et Michaelis Dósa cohabitationem admittere queam, nisi in ius maiestaticum involare, Regio iudicio impedimentum ponere, imo eius obiectum subtrahere, scandalum et offensionem publicam, quam tam catholicus in hac patria populus, quam etiam heterodoxi ipsi ex insveto ipsorum matrimonium ineundi molimine gravem sumserunt, auctum ire velim, (horum siquidem etiam universali iudicio ipsa Christina indubitata tenetur esse Stephani Váradi coniux cousque constanter, donec ex obiecta illi adulterii vitio consummata coniugalis fidei violatione, sufficienti legalitate comprobata, divortii sententiam non consequetur) nullus mihi suppetit modus. Ceterum in amplius argumentorum pro valore matrimonii Calvinistarum huiatum, non obstante conditionato illo iuramento, militantium stabilimentum humiliter adhuc submitto in genuino hoc exemplo dogmaticum Calvinistarum huiatum de hoc puncto articulum ex libello, cui titulus: ‚de disciplina ecclesiastica seu gubernationis ecclesiasticae legitima forma in Ungarica natione Cis Tibiscum, composita opera Georgii Gönczi Pastoris Ecclesiae Debrecinensis. 1577.' extractum, ex quo pervidere, submisseque Suae Sanctitati repraesentare dignabitur Ill. ac RR. D. V. ipsorum etiam sensu dogmatico consensu personarum contrahentium libero legitimo, non vero sacerdotali copula per fidei iuramentum perfici matrimonium, ipsum proinde iuramentum ad matrimonii substantiam nequaquam pertinere. Atque haec sunt, quae erant a me Illmae ac Rmae Dom. Vrae rescribenda, quibus demum me in Eiusdem favores impense commendans pleno aestimationis cultu persevero. Albae Carolinae, 8 Mart. 1755. — Adnexum: Articuli ex libello: De disciplina ecclesiastica etc. (ut supra) excerpti. Art. 13. Nuptiarum celebrationes et copulationes coniugum diebus Sabbathi et Dominicis prohibemus. Scriptum enim est: Sabbatha sanctifices. Vitandae autem ἀταξίας seu confusionis causa S. Ecclesia decernit, ut priusquam coniuges copulentur iuramento, coram Ecclesia in publica concione eorum nomina promulgentur. Art. 14. Liberae et honestae tantum personae

coniugio copulentur; aetate autem nimium dispares et desertores vel desertrices coniugum non copulentur, nisi Synodi Generalis iudicio sese prius submiserint. Art. 23. Decenter et ordinate omnia fieri in Ecclesiis oportere, non uno loco Apostolus praecipit. Quare Ecclesia S. legitime constituit, ut Sacramentornm Coenae et Baptismi administrationes, coniugumque copulationes in publico loco antemeridiano tempore honeste et legitime fiant. Qui secus fecerint, a Seniore suo ad tempus Synodi ab officio removebuntur. Ex Articulis ex Verbo Dei et lege naturae compositis: Art. 22. Nuptiarum celebrationes diebus Dominicis non permittimus, quia est peccatum contra IV praeceptum: Sanctifica Domino Sabbathum. Exod. 20. Diversa et divisa sunt haec: Nuptiae, et sanctificatio Sabbathi. Deut. V. Isai. 56. 58. Gen. 12. — Art. 23. Etsi consensus contrahentium personarnm et superiorum aut parentum liber, legitimus, non coactus, non fraudulentus faciat matrimonium, non sacerdotalis copula per fidei iuramentum, tamen iuramentum tanquam confirmationem coniugii approbamus et retinere volumus; sed observandum propter has causas: 1. quia omnis legitimus nubentium consensus implicitum habet iuramentum, quod annulus, dotes, et dextrarum mutua coniunctio indicat. 2. Deinde Malach. 2. Gen. 24, et saepe alias, ut Ezech. 16. Osee 2. scriptum est: uxores cum foedere seu iuramento fuisse copulatas, ut in V. T. cum, inquit, in adolescentia copularem te, iuravi tibi; tu uxorem foederis Dei et societatis tuae, quam foedere Dei tibi copulasti, repudias. Mal. 2. Ita Dominus arguit sacerdotes. 3. Ut spirituali Ecclesiae cum Christo coniugio, quod fide fit, apte respondeat. Art. 24. — Adulteras personas, separatas per divortium, illas excommunicari volumus, nec cum libera persona in uno codemque loco maneant, nisi violenter resistatur, interdicimus ex verbo Dei 1 Cor. 5. — 2 Cor. 2. — 2 Thess. 3. — Art. 25. Captivitas communis non propter notorium scelus, civiliter ex legis sententia pronunciata, sed cum illegitime, violenter in communi depraedatione et vastatione fit, tamdiu non solvit matrimonium, quamdiu captiva persona vivit, et affectus non est mutatus, h. e. si non mutavit religionem, neque nupsit in captivitate, redire conatur. — Ubi autem captiva persona red-

ierit, ex iure divino coniux alteri nubens aut transiens ad secundas nuptias, ad priorem maritum redeat, qui ex captivitate rediit. Nam Rom. 7. — 1 Cor. 7. — Matth. 5. 19. scriptum est: Mulierem viventi marito priori esse alligatam. — Ex Appendice: Art. 35. Ne statim de divortio pronuncietur, verum per biennium aut triennium protrahatur negotium, praecipue fugitivorum, praecipitur.

1138. Eppus Trans. meritum matrimoniale Macskásianum Regiae Maiestati repraesentat. 1755. Ex quo fidelis Maj. Vestrae SSmae subdita Christina Macskási, coniux Stephani Váradi, animi ducta levitate evolutis superioribus annis ab eodem marito suo descivisset, atque perpetui ab illo divortii consequendi gratia causam suam benigno Maj. Vestrae iussu coram foro iudiciali Religionis Reformatae sic dictae longo sat litis processu prosecuta fuisset, quam grave interea facessivisset Ecclesiasticae administrationi negotium, cum istud etiam publici Status Politici involveret rationem, muneris mei esse cognovi, quo SSmae Maj. Vestrae ceu Regio-Apostolicae, profunda cum submissione repraesentarem. Pendente nempe sua lite, nequedum iudicialiter terminata, illa dispendiosi processus pertaesa, aliam consequendi sui finis viam arripuit, atque subinde cum viro viduo Nobili Michaele Dósa, dato coram Parocho viri et testibus alio sub colore convocatis necquidquam talis suspicantibus, mutuo sibi invicem consensu, connubium iniit, eo fulta argumento, quasi suum cum priori marito Stephano Váradi coniugium ob certae conditionis in actu copulationis matrimonialis per huiates Reformatae Religioni addictos adiici solitae ac per ipsam etiam adiectae obicem iure nullum fuisset. Re ad me delata, male sociatis cohabitationem coniugalem interdixi, matrimonii sic initi nullitatem indicialiter declaravi, scandalose iunctis mulctam pecuniariam ad pias caussas erogandam imposui. Offensi eventu hoc, forte non sperato, irregulares hi coniuges remedii causa Apostolicae Sedis interpellavere auctoritatem. Remissus inde est ad me supplex eorumdem libellus, informatioque desuper cum opinione submittenda postulata. Concinnatam ego informationem opinio-

nemque meam, in qua nullitatem huius ipsorum coniugii, pri oris vero cum Stephano Váradi intercedentis, ut et omnium in communi Helveticae Confessionis in hac patria hominum, non obstante memoratae conditionis adiectione, valorem validis asserui argumentis, prius cum Agriensi, Vaciensi, Weszprimiensi, Iaurinensi Eppis amice collatam communicatamque, eorumdem responsis ac sententiis innetam, Sanctae Sedi humiliter submisi, in eo supplex, quatenus lata mea de huius ipsorum matrimonii nullitate sententia in vigore relinqueretur, neve quidpiam adversi circa matrimonia Calvino-heterodoxorum harum partium palam decerneretur, id quod gravissimorum incommodorum perniciosarumque sequelarum in utramque, ecclesiasticam pariter et politicam, Rempublicam redundantium esset fundamentum. Mea attamen memoratorumque Epporum argumenta infirmiora S. Sedi visa sunt, quam ut meae preces petitum effectum retulissent. Dedit quippe ad me gloriose gubernans SSmus Dnus noster Benedictus Papa XIV literas in forma Brevium apostolicas, quarum tenore dignata est Sua Sanctitas pro altissima sua sapientia et auctoritate declarare: matrimonium inter Christinam Macskási et Stephanum Váradi Calviniano ritu contractum irritum et nullum fuisse, proindeque validum esse illud catholico ritu contractum inter eandem Christinam ad Catholicam fidem conversam et Michaelem Dósa; subindeque iniungere, quo omni cunctatione abiecta permitterem faceremque eosdem tamquam veros et legitimos coniuges simul cohabitare. Conscia Apostolici huius rescripti reddita mulier, quo ad eiusdem executionem procederem, preces fudit, eam interim e Consistorio meo nacta resolutionem: quod, quandoquidem SSma Maj. Vestra causam ipsius cum suo marito Stephano Váradi vertentem singulari mediante Regio Rescripto in sua competentia ita ordinasset ventillari ac diiudicari, ut finalem eius decisionem suo oraculo reservasset, eadem autem causa iudicialiter terminata adhucdum non esset, ex eo in eadem causa adhuc pendente Consistorio integrum non esset quidquam finaliter terminare; finita autem illa oratrici pro clariori resolutione ad Consistorium recurrere liceret; interim eidem sub obedientiae salutaris merito ac sub poena excomm. maioris ipso facto

incurrendae praeciperetur et mandaretur, ut se priori deliberato conformaret, et a cohabitatione ac conversatione privata cum nobili viro Michaele Dósa simpliciter abstineret. Submisi secundum haec demissum meum ad Suae Sanctitatis pedes beatos responsnm, in quo prementes, ut potui, exposui humiliter rationes, quae ineluctabilem mihi ponerent obicem, quominns ad laudatarum apost. literarum executionem procedere quirem. Sed neque hae quidem rem evicerunt. Alteras siquidem a S. Inquisitionis Assessore accepi non multo post literas iussu Suae Sanctitatis ad me inscriptas, quarum medio suam detegi mihi iubens mentem, suam nempe declarationem non omnia omnium in universum tangere Calvini sectariorum matrimonia, sed ea dnntaxat, quae ad certum tempus coarctata forent a conditione de iisdem quoad vinculum adulterio superveniente solvendis, quemadmodum coarctari ab haereticis Calvinianis in Transilvania Sanctitas Sua certo cognovisset, fecit mihi insinuari, quatenus in eandem cum Sua Sanctitate sententiam convenirem. Obversantibus mihi utriusque Reipublicae statum tangentibus rationibus gravibus rescripsi: me ad executionem Apostolici Brevis Suae Sanctitatis tanto iam nunc minus posse progredi, quod interea lis ipsius Christinae Macskási cum marito suo Stephano Váradi iamdudum pendens et anceps ita sit nuper finali conclusa termino in foro Calvinistico, ut simul ipsi repetenda cum Stephano Váradi coniugalis vitae societas sit iniuncta, quod in positionum suarum comprobatione legali adversum ipsum defecisset, hanc autem illa iudicum eorumdem deliberationem interposita in forma iuris appellatione ad supremum Reginm Maj. Vestrae thronum provocasset; id quod annexo genuino Calvinistici superinde deliberati instrumenti pari, cui certae etiam Debrecinensis Synodi conclusum de matrimonio Calvinistarum articulnm adiunxi, comprobavi, totius proinde causae huius finale complementum ab alto Maj. Vestrae oraculo Caes. Regio dependeret, nisi praelibata Actrix appellationem suam, prout usque huc pertinaciter fecit, prosequi negligeret, Romanorum Agentium suorum pollicitationibus iugiter lactata, animata. His in terminis consistente causae huius statu, quandoquidem illa nedum ecclesiasticam administrationem, verum et publici

Status politici huius patriae rationem involvi viderem, ne in tale quid notarer consensisse, quod adversus benignam SS. Maj. Vestrae esset mentem, publicaeque tranquillitatis inter diversae religionis homines in eadem statui adversaretur, totam rei usque modo actae seriem suis numeris distinctam in exemplis istis demisse advolutis pedibus Maj. Vestrae humillime substerno, atque instantissimis oro precibus, dignetur Maj. Vestra pro Regio-Apostolica sua providentia, quid conformiter ad benignas Maj. Vestrae intentiones facto mihi opus sit, clementia ad me iussa dare. Qui demum in perpetua illibatae fidelitatis meae integritate emorior. Albae Carolinae, die 5 Iul. 1755.

1139. Rescriptum Regium ad Eppum, de neo-conversis Calvinistis ad nova vota matr. haud admittendis. 1756. Ad ea, quae in causa Michaelem Dósa et Christinam Macskási concernente, Stephano quoque Váradi a priori cointeressato, nobis successive repraesentasti, clementer resolvimus: ut in tua, quam ad casum praefatorum Michaelis Dósa et Christinae Macskási, ne videlicet cohabitare praesumant, Consistorialiter tulisti, deliberatione usque ad ulteriorem benignam dispositionem nostram perseveres; nec B. Adamum Kemény, aut ullum alium sub specie conversionis reiecta priori uxore novum matrimonium inire permittas, idque in tua Dioecesi Clero tam seculari quam regulari serio, caute tamen, ne in vulgum dimanet, observandum intimes, contravenientes punias, ubi necessarium fuerit, Regii etiam in illo Principatu Gubernii auctoritatem interpelles, imo iuxta praevias benignas ordinationes nostras, si casus et meritum rei postulaverit, Maiestatem nostram demisse informes. Demum vero si contra expectationem nostram memoratorum Christinae Macskási et Michaelis Dósa de omissa tua ex parte literarum apostolicarum executione monereris, isthuc ad Aulam nostram recurras, uberiorem pro tua directione accepturus instructionem. Cui de reliquo etc. Viennae Austriae, die 21 Dec. 1756. Maria Theresia.

1140. Eppus Trans. rescribit: se iussis Regiis ad amussim conformaturum. 1757. Benignam

Maj. Vestrae SSmae resolutionem clementiaque iussa ad casum Michaelis Dósa et Christinae Macskási atque rem matrimonialem ei similem tendentia homagiali veneratus sum cum devotione. Erit mihi curae in cunctis primae, ut iisdem me atque mea pastoralia pro homagialis lege fidelitatis sancte conformem. At enim incumbit nova mihi necessitas, quo SSmae Maj. Vestrae pro muneris, quod gero, ratione demisse repraesentem. Pertentasse annos abhinc ante non multos Carolum Singer in legione pedestri Maj. Vestrae Baden-Badensi attune Locumtenentem catholicum cum Iulianna Talaba antea Helv. Conf. addicta, coniugata, tum ritu suae confessionis divortiata, ac subinde catholica sacra professa, vivente adhucdum marito, eodem pene qua Michael Dósa et Christina Macskási ratione in matrimonium convenire. Re subintellecta ego quidem ceu mulieris Ordinarius ipsam, illum vero Ignatius Kampmüller qua Capellanus maior castrensis a coniugali cohabitatione seiunximus, qua etiam de causa supplices recurrerant iam tum ad SSmam quoque Maj. Vestram. Evenit tamen exinde, quod iidem auctoritate Regii Maj. Vestrae Consilii Aulae Bellici ad conveniendum cohabitandumque nunc recenter licentia sint donati. Edocuit me id ipsum istud vidimatum ad me perlatum impertitae licentiae instrumentum: quod quia cum clementissimis Maj. Vestrae ordinationibus praeattactis minus convenire viderem, censui ad Augustum Maj. Vestrae thronum reverenter submittendum esse pro altissima determinatione. Ceterum pro ea, quam erga SSmam Maj. Vestram debeo, fidelitate non possum intermittere, quin submisse revelem, inordinatis istis coniugalis coniunctionis modis usque adeo graves in animis hominum hoc in Principatu Helveticam Confessionem profitentium, etiam stemmate et officiis conspicuorum, concitatos esse motus, ut ad gravitatem pessimi abusus istius exprimendam, quo alter alterum coniuge sibi lege sociata sine lege privat, sibique sine lege impune associat, etiam in publicis Congressibus deteriores nos esse Iudaeis ac Turcis prae amaritudine animorum palam inclament; ut adeo vehementer verear, ne (quod Deus avertat) legitimi talium coniugum mariti eas ut suas etiam cum internecione talium quasi raptorum virorum processuri sint revindicare. Dignetur proinde SSma Maj.

Vestra, quod submisse oro, pro altissima sua sapientia et regia auctoritate ea circa haec ordinare media, quorum adminiculo et tales animorum motus componi, et talia pericula opportune valeant anteverti. — Cibinii, die 5 Febr. 1757.

1141. Deductio synoptica historica de statu quaestionis usque annum 1757 in Tabulario Transilv. praeexistens. Anno 1748 advenit Roma resolutio Sacrae Card. Congregationis de nullitate matrimonii Calvino-haereticorum in Transilvania. (ut sub A.) At eius acceptationem publicationemque recusavit Eppus Transilvaniensis Franciscus Baro Klobusiczky, eiusdemque Vicarius Ioannes Kastal. Patres tamen Franciscani Reformati ubi ubi potuere, publicare non cessarunt. Atque subinde liberum fore illius resolutionis vigore intelligentes Michael Dósa et Christina Macskási matrimonium ita inter se iniere, prout Species facti refert. (sub B.) Anno 1752 die 14 Aprilis sic per eos contracti matrimonii usum mutuamque cohabitationem Eppus Baro Sigismundus Antonius Sztoyka de Szala interdixit; deinde eosdem ad Consistorium evocatos in poena 100 aureorum, facta praevia nullitatis matrimonii sic contracti declaratione, convinci iussit, quos dictus D. Dósa personaliter praesens, recognito erroneo facto, paternaeque commendans se correptioni, depositurum se appromisit vigore reversalium. Expost subinde repraesentationem submisit tum ad Eppum, tum ad Consistorium, qua legitimare conatus factum suum, a poena absolvi, et ad matrimonialiter cohabitandum admitti petebat. (sub C.) Ad quam cum nullum favorabile responsum accepisset, ad S. Congregationem recurrit porrecto supplici libello. (sub D.) Anno 1753 remissus est libellus eiusdem ad Eppum, opinioque cum informatione submittenda petita. Eppus concinnatam suam opinionem (sub E.) prius cum DD. Consistorialibus collatam, communicavit cum quinque Hungariae Eppis, Comite Forgách M. Varadinensi, Comite Barkóczy Agriensi, Comite Zichy Iaurinensi, Comite Althan Vaciensi, Martino Biró Weszprimiensi. (sub F.) Eppi Agriensis, Weszprimiensis, Vaciensis, et Iaurinensis conformem opinioni Eppi Transilvaniensis dederunt attestationem; sed ex his non

nisi Agriensis et Weszprimiensis sententia est Romam pro maiori testimonio submissa. (Agriensis attestatum est sub G.) Anno 1753 die 6 Oct. submisit informationem cum mox memoratis instrumentis Eppus Romam ad S. Congregationem Conc. Tridentini. (sub H.) Anno 1754 Summus Pontifex Benedictus XIV causam hanc a S. Congregatione ad se avocavit, et collatis, cum quibus conveniebat, consiliis, decidit pro invaliditate matrimonii Calvinistarum in Transilvania, et pro valore illius, quod Dósa iniit cum Christina Macskási. Super quibus Breve Apost. datum est ad Eppum Trans. iniunctumque eidem, ut ipsos absque dubio et cunctatione permittat matrimonialiter cohabitare. (sub I.) Postquam igitur D. Christina Macskási suppliciter apud eundem institisset pro debita executione earumdem literarum apostolicarum, idem Eppus eodem anno die 8 Aug. Albae Carolinae Consistorium celebravit, in quo oratrici talem dedit resolutionem: Quandoquidem Sacra Caesarea Maiestas etc. ut supra. (inter documenta.) Subinde a. 1754 die 13 Nov. misit Eppus responsum ad Pontificem. (sub K.) Anno 1755 die 28 Ianuar. Pontifex rescribi curavit per D. Ludovicum de Valentibus S. Officii Assessorem Eppo, per quem explicans suam intentionem, monuit Eppum ad idem secum in hoc negotio sentiendum. (sub L.) Et anno eodem Eppus rescripsit 8 Martii: se ad executionem dicti Brevis procedere non posse, cum iam Christinae Macskási impositus sit reditus ad Stephanum Váradi. (sub M.) Eodem anno mense Iunio Eppus inquisitionem fecit peragi de D. Dósa et Christinae Macskási cohabitatione et conversatione, literasque relatorias Consistorio commisit examinandas, opinionem sibi cupiens dari, an ex illis sufficiens possit erui ratio ad id, ut latam excommunicationem incurrisse denunciari possint ac debeant. Sed Consistorium negativam dedit opinionem. Atque abinde Eppus causam hanc cum tota sua serie, processu et actis penes repraesentationem suam ad Regiam Maiestatem transmisit die 5 Iul. 1755. (sub N.) Anno 1757 mense Ianuario Eppus Rescriptum accepit ab Augusta Aula, quo iubebatur suo in causa hac lato deliberato inhaerere, nec ullos conversos ad secunda coniugia admittere. (sub O.) Ad quod respondit: se ei omnino

conformaturum. (sub P.) (Omnia hic sub literis citata documenta superius occurrunt.)

.1142. Deductio et remonstratio differentiae de matrimoniis Acatholicorum in Transilvania circa annum 1748 obortae et adhuc durantis, post a. 1770 concinnata. Occasionem huic differentiae primam praebuit nobilis quondam femina Christina Macskási, Comitis Stephani Bethlen relicta vidua, nata Calviniana. Haec enim dicto suo marito vita functo, secundo nupsit ritu Calvinistico Stephano Váradi pariter Calvinistae, liberorum suorum instructori domestico, quocum postquam pluribus convixisset annis, prolesque ex eo quoque suscepisset, muliebri subinde levitate, facti sui poenitens, diversis praetextibus obtentis de divortio cogitare coepit, ac se a suo marito separavit. Sperans autem facilius se apud catholicos voti compotem futuram, Religioni Catholicae nomen dedit. Postquam vero rem mentemque suam cum Religiosis quibusdam contulisset, causae ipsius patrocinio in se assumto P. Sebastianus Bodó Ord. Min. reform. sub nomine Missionarii in Transilvania, illius gratia proposuit praenotato anno (1748) sub generalibus terminis causam illius S. Congregationi de Propaganda fide ac per eam Generali S. Romanae ac Universalis Inquisitionis Congregationi. Acceptam porro inde decisionem de nullitate matrimonii Calvinianorum sub et cum famosa illa conditione contracti, ac pro libertate transeundi taliter contrahentium ritu catholico ad alia vota factam, sibique exhibitam Eppus Baro Klobusitzky acceptare publicareque recusavit, quinimo ne eam dictus Religiosus publici iuris faceret, severe prohibuit; illa tamen, quantumvis iam causa ipsius ad divortium obtinendum tendens in foro Calvinistico iussu Regio sub processu agitaretur, eiusdem decisionis argumento ac beneficio a. 1752 die 14 Aprilis coram parocho et testibus fraudulenter inductis dato mutuo consensu cum nobili viro viduo Michaele Dósa, (iam defuncto,) in matrimonium convenit. Hoc eorum facto subinde ad Eppum Baronem Sztojka perlato, matrimonii usum mutuamque cohabitationem

ipsis severe interdixit, deinde in iudicium vocatos poena 100 aureorum mulctari, matrimonium vero ipsorum iure nullum esse declarari iussit. Anno 1753 supplicem illi miserunt ideo libellum Romam, quo ad memoratum Eppum remisso, opinio eum informatione ab eodem fuit expetita, quam etiam, utpote pro valore matrimonii Calvinistarum pugnantem, prius cum Eppis Varadinensi, Agriensi, Iaurinensi, Vaciensi, et Weszprimiensi collatam, ac per singulos eorum probatam, Romam submisit a. 1753 die 6 Oct. Anno 1754 Summus Pontifex Benedictus XIV in Brevi suo Apostolico ad eundem Eppum dato matrimonia Calvinistarum, quae sub et cum illa conditione ,quamdiu in sua honestate et puritate permanserit' essent contracta, proinde et ipsius Christinae Macskási antea cum Stepha Várady taliter initum iure nullum, validum vero, quod ipsa posterius cum Michaele Dósa absolute contraxit, esse declaravit, iniunxitque ut iidem absque dubio et cunctatione matrimonialiter cohabitare permittantur. Accepta hac Pontificia decisione paulo post suppliciter orarunt eundem Eppum, quo ad earumdem apost. literarum executionem procedere vellet: is vero pleno in Consistorio hanc eisdem dedit resolutionem: ,Quandoquidem Sacra Caes. Regiaque Maiestas causam Dominae oratricis Christinae Macskási cum suo marito Stephano Várady vertentem speciali mediante mandato in sua competentia ita ordinaverit ventillari ac diiudicari, ut finalem eius decisionem sibi reservaverit, eadem autem causa iudicialiter terminata adhuedum non sit, ex eo in eadem adhuc pendente Sacro Consistorio integrum non ést quidquam finaliter determinare. Finita autem illa Dominae oratrici pro clariore determinatione ad S. Consistorium recurrere licebit. Interim supplicanti sub obedientiae salutaris merito ac sub excommunicationis maioris poena ipso facto incurrenda praecipitur et mandatur, ut se priori deliberato conformet, et a cohabitatione atque conversatione privata cum nobili viro Michaele Dósa simpliciter abstineat.' Postea a. 1754 die 13 Nov. misit idem Eppus Romam suum cum nova repraesentatione responsum, in quo demonstrare satagebat, Pontificiae illi decisioni in usu et praxi in hac provincia absque Principis Augustae offensa publicique Status Patriae vehementi longe-

que periculosissima perturbatione, atque totius etiam Religionis nostrae discrimine locum nullatenus esse posse. Responderi ad istud postea fecit Pontifex a. 1755 die 28 Ianuar. per D. Ludovicum de Valentibus S. Officii Assessorem in hunc modum: ‚Ne in aequivocis laboretur, animadvertendum Sanctitas Sua proponit, non fuisse nec esse sibi rem de iis matrimoniis, quae a Calvinianis haereticis contrahuntur in iisdem erroribus ad obitum usque perseverantibus, quae neque tunc sibi proposuit consideranda, nec adhuc, sed quod sibi examinandum declarandumque oblatum est, circa eorum matrimonia versari, qui cum fuerint inter se copulati, quo tempore in haeresis Calvinianae tenebris ambulabant, alter postea ex iis ad lumen catholicae veritatis oculos aperit, vivoque adhuc primo coniuge Calviniano, cum catholico matrimonio secundo coniungitur. Neque in hoc ipso rerum systemate affirmavit primum illud matrimonium a duobus coniugibus initum, quo tempore in eadem haeresi perseverabant, ita semper effectu carere, ut si alter ex illis Religionem Cath. amplectatur, semper possit secundum cum catholico aliquo coniuge celebrare; bene vero asseruit, id solum licere et posse, quando ea peracta fuerit circumstantia, scilicet quod matrimonium primum ad certum tempus coarctatum fuerit conditione de eodem quoad vinculum adulterio interveniente solvendo, quemadmodum coarctari ab haereticis Calvinianis in Transilvania Sanctitas Sua certo cognovit. Moneri demum eundem fecit, ut in hoc negotio unum idemque secum sentiret.‘ Rescripsit paulo post idem Eppus die 8 Martii, denique se ad executionem dicti Brevis Pontificii procedere non posse, cum iam Christinae Macskási iudicialiter iniunctus sit reditus ad priorem suum maritum Stephanum Váradi; tandemque hanc eandem causam cum tota sua serie, et omnibus actis Augustae Aulae submisit die 5 Iul. 1755 unde huius tenoris Rescriptum recepit: ‚Maria Theresia etc. Reverende etc. Ad ea, quae in causa Michaelem Dósa et Christinam Macskási concernente, Stephano quoque Váradi a priori cointerressato, nobis successive repraesentasti, clementer resolvimus: ut in tua, quam ad casum praefatorum Michaelis Dósa et Christinae Macskási, ne videlicet cohabitare praesumant, Consistorialiter tulisti, delibe-

ratione usque ad nlteriorem benignam nostram dispositionem perseveres. Nec Baronem Adamnm Kemény ant nllum alium sub specie conversionis reiecta priori uxore novum inire matrimonium permittas; idque in tna dioecesi Clero tam seculari quam regnlari serio, caute tamen, ne in vulgum dimanet, observandum intimes, contravenientes punias; ubi necessarium fuerit, Regii etiam in illo Principatu Gubernii auctoritatem interpelles, imo inxta praevias benignas nostras ordinationes, si casus et meritum rei postulaverit, Maiestatem nostram demisse informes. Demum vero si contra expectationem nostram memoratorum Christinae Macskási et Michaelis Dósa intuitu de omissa tua ex parte literarum apostolicarnm executione monereris, isthuc ad Anlam nostram recurras, uberiorem pro tua directione accepturus instrnctionem. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae die 21 Dec. 1756.'

Succedens post haec acta in hunc Eppatum Comes Eppus Ios. Batthián quaerentibus eius Vicario et Consistorialibus, quae iam norma esset tandem tenenda in huiusmodi matrimoniorum casibus? respondit: edictum sibi esse Regiis verbis ab Augusta, ut in eiusmodi casibus deinceps emersuris normam ante casum praedictorum Michaelis Dósa et Christinae Macskási observatam teneret. Consistebat autem illa in hoc, eratque in usu iam inde ab ingressu primi post novam fundationem Eppi Baronis Mártonffi usque ad tempora Eppi Baronis Sztojka, quod videlicet matrimonia Calvinistarum nostratum ob expresse adiectam fatalem illam conditionem, utpote substantiae matrimonii in sensu catholico considerati repugnantem in eodem sensu iure invalida fuerint habita, at vero in secreto tantum, ne publicus Status quoqno modo offenderetur. Interea vero coniuges ad catholica sacra ab iis conversi admittebantur quidem ad nova coniugia, ritu catholico incunda, nullatenus tamen prius, quam in foro Calvinistico divortium effective consecuti fuissent, sententiamque talis divortii Eppis aut eorum Vicariis in authentico prius exhibuissent; atque ideo pro causa admissionum huiusmodi nequaquam assignabatur externe invaliditas priorum connubiorum Calvinisticorum, verum libertas tantum talium coniugum ipsis per tale divortium ipsorum reformatorum iudicio tributa. Et secundum hanc nor-

mam paulo post sub regimine praelaudati Com. Eppi Batthián aliquot eiusmodi conversi et divortiati novis coniugiis fuerunt potiti. Atque haec ipsa tenet iam hodieque in hac dioecesi praxis.

Patent iam ex his utcunque responsa ad quaesita Com. Francisci Berchtold Vicarii Strigoniensis: patet, inquam, 1. declarationes et rescripta piae memoriae Benedicti XIV superius memorata in hac dioecesi nondum esse in usum assumta; ne autem assumerentur, praeter publici status provinciae rationem, inauferibiliter adhuc hic et nunc obstantem, Regio etiam Rescripto indirecte saltem adhuc vetari; patet 2. quae hodie in hac dioecesi obtineat praxis circa praescriptos casus matrimoniales Calvinistarum, ac etiam Socinianorum, qui vulgo Ariani seu Unitarii dicuntur, nam et hi sub et cum eadem omnino cum Calvinistis conditione ineunt coniugia; patet 3. quod quemadmodum certum notumque est, Lutheranos in hac Provincia perinde sicut in exterioribus nullam omnino conditionem explicitam et expressam matrimonii substantiae contrariam adiicere matrimonialibus suis contractibus, verum eos forma undiquaque absoluta inire, esto erronea fide credant, eorum vincula ob subsequens adulterium solubilia esse, ac etiam identidem solvunt eadem: ita clarum est, valorem matrimonii eorumdem usque modo in dubium vocatum non fuisse, nec posse rationabiliter vocari, postquam analoga horum matrimoniis exterorum Lutheranorum coniugia tot iam tum Pontificum, tum SS. Congregationum sententiis pro undequaque validis et legitimis fuerunt asserta, nec proinde praecitatas etiam Benedictinas declarationes, etsi in usu forent, ad ea posse extendi. Unde si inter coniuges Lutheranos absque ullo alio impedimento dirimente coniunctos similis eveniret casus casui Calvinistico vel Sociniano, quantumvis alteruter ipsorum et divortiaretur in foro lutherano, et catholicam fidem amplecteretur, ad secunda tamen vota etiam ritu catholico ineunda, altero vivente, non admitteretur. Atque ideo Barbara nata Partin, cum obtenta per eandem mariti sui lutherani saevitia ne ad temporale quidem divortium decernendum sufficiat, quantumvis iam catholica ad cohabitandum marito suo omnino compellenda esse videtur. Proficuum tamen foret, si ante eius reditum obligatoria cautio ab eius marito haberi

posset de ipsa in suae religionis libero exercitio nullatenus turbanda aut impedienda, et de prolibus utriusque sexus in Catholica religione educandis, formandis et relinquendis. — (Acta in praesente documento contenta existnut in Tabul. Dioec. sub Nr. $^{60}/_{1748}$ tametsi serius sit concinnatum documentum.)

1143. Rescriptum Regium ad Eppum Transilvaniensem de norma in iudicandis causis matr. mixtorum reflexe ad Breve Benedictinum anni 1754. tenenda. 1763. Maria Theresia etc. Reverende etc. Relata sunt nobis ea, quae in matrimonialibus duarum mulierum Iuliannae Com. de Bethlen, et Theresiae Szélyes 16 Febr. c. a. eo fine retulisti, ut ne quid, Pontificia, quae nostri illius Principatus Calvinianorum matrimonia irrita declarasset, extante decisione, observantiae tuae non congruens statueres, instruereris. Quod itaque ad Pontificiam, quam adduxisti, decisionem attinet: illa, utpote in materia Statum Politicum concernente, absque praevia Regii nostri Placiti impetratione lata, vim Constitutionis normalis obtinere nequit: Regium autem nostrum Placitum eo duntaxat concedimus, ut Acatholici, qui matrimonia ritu ipsorum sub conditione contraxere, et catholicam postea Religionem amplectuntur, separationem legitime impetrare teneantur, antequam ad novum matrimonium progredi valeant. Quod dum tibi benigne significamus, una iniungimus, ut pro norma hac, in quantum similes casus tuam concernunt iurisdictionem, iudicium feras, in quaestiones autem de successione te non immisceas, sed illas discussioni iudiciorum, quo huiusmodi causae spectant, relinquas. — Datum in Castro nostro Laxenburg, die 31 Maii 1763. — (E Tabul. dioec. Transilv. Nr. $^{81}/_{1763}$.)

1144. Eppus Transilvaniensis ad Maiestatem Regiam repraesentat pro iure Fororum sacrorum iudicandi causas matr. mixtorum. 1766. Dignata est Maj. Vestra SSma Regio, quod ad Nonas

Maii editum fuerat, decreto mihi benigne declarare, sese causam matrimonialem Baronis Gregorii Kemény et consortis eiusdem Baronissae Mariae Bánffi arbitris terminandam commisisse. Et sane, Augusta Domina, suscepto hoc Maj. Vestrae consilio nihil unquam sanctius neque salubrius esse poterat, hac enim ratione tota causa prope iam inveterata absque ulteriori animorum dissensione amice utrinque transigi, et sine iuris strepitu salvo illustrium familiarum honore ac existimatione probe componi potuisset. At quoniam improbi consilii auctorum studiis res praeter spem meam infecta mansit, idque, quemadmodum animadverti, ex eo potissimum motivo, ut causae huius examen et decisio Reformatorum denique foro relinquatur: idcirco patiatur Maj. Vestra me pro conscientia et muneris mei ratione gravissima illa momenta, quae huic obstant vehementer, spectanda sibi exhibere. Ut autem eorum veritas tanto etiam clarius elucescat, primum quidem in medium afferam argumenta, quibus Reformati causam hanc ad suum forum remittendam contendunt, deinde vero ad singula adiungam demisse responsa mea ex aequitatis fontibus depromta. Tria sunt, Aug. Imperatrix, praecipua momenta, quibus Reformati innituntur: 1. benignum Maj. Vestrae Rescriptum a. 1764 die 12 Nov. Regio huic Gubernio suo exaratum, quo Maj. Vestra causam istam Superintendenti ac Ministris Helv. Conf. eorumque foro, ubi iam lis coepta est, intra unius anni decursum decernendam committere dignabatur. 2. Commissio Regii huius Gubernii, qua ad Baronissae duntaxat expositionem, altera parte nec audita, interdicta fuerat Helv. Conf. Consistorio ulterior causae huius prosecutio. 3. Adprob. Constit. P. 1. Tit. 1. art. 4. quo statutum est, ne Minister alterius religionis personas ad copulam, divortium, aut Ecclesiae reconciliationem admittere praesumat, etiamsi tali tempore religionem mutare vellet, quo facta nociva aut conatus ad divortium, copulationem, Ecclesiae reconciliationem manifesta evasissent, verum prius coram eiusdem religionis Ecclesiasticis, in qua fuit, dum res mota fuisset, dein si voluerit, religionem mutare liberum erit. Verum enimvero, Clementissima Domina, adducta haec Reformatorum argumenta corruunt per se se. Nam 1. quum Regium illud Maj. Vestrae decretum conditum fuisset,

Baronissa Helv. Confessioni addicta fuerat. Quapropter quemadmodum tunc in spiritualibus eiusdem Confessionis Superintendenti ac Ministris suberat, ita matrimonialem illius causam sapientissime profecto Maj. Vestra eorum foro concredidit. At posteaquam orthodoxam fidem amplexa est, mutata religione iurisdictionem pariter mutari oportebat, ac proinde cum illa partem, ut vocant, incattam sustinuerit, litem tamen nondum contestata fuerit, neque iam ad forum Reformatorum comparere tenetur, neque sine gravi Religionis Catholicae iurium laesione debet, quod iuxta commune iuris axioma actor debeat sequi forum rei. Nec potest a Reformatis obiici: praelaudatum Maj. Vestrae decretum, quod generalibus verbis ipsorum Superintendenti ac Administris causae istius decisionem committat, ita intelligendum esse, ut, quamquam Baronissa ante contestatam litem religionem suam desereret, in hac tamen causa eorum foro subiecta maneat; hoc enim adversatur tum cognitae orbi universo Maj. Vestrae in Cath. Religionem pietati, qua eius iura apostolico maiorum suorum Augustorum exemplo vindicare ac tueri dignatur, quam municipalibus huius Provinciae legibus, quae iurisdictionum terminos iuxta receptas Religiones definiunt. 2. Posteaquam Baronissa Regio huic Gubernio magnis cum querelis exposuisset, se iam in Cath. Religionis sinu existentem, Synodum, ut appellant, Reformatorum legitimum forum suum agnoscere haud posse, tum quod causa sua in puris exceptionibus constituta, neque ipsa litem contestata fuerit, tum propterea quod inquisitio per Helv. Conf. Ministros contra se peracta ex odio mutatae religionis suspecta sibi videatur; tametsi enim regulariter lite non contestata nequit procedi ad testium receptionem, dicta tamen Synodus ad hanc processit, testesque non de iis duntaxat, quae iuxta Reformatorum etiam canones causam divortii respiciunt, verum de totius vitae suae actis cum summo honoris et famae discrimine inquirendum curavit: his itaque aliisque gravibus ex rationibus mox in medium afferendis Regium Gubernium dignum omnino et aequum, Maiestatisque Vestrae voluntati conforme esse censuit, Synodo Reformatorum causae huius ulteriorem prosecutionem interdicere; idque tanto magis, quod 3. adducta lex patria Refor-

matorum proposito patrocinari nequeat. Nam, ut per membra Regio Maj. Vestrae obtutui sistam, prima legis huius pars videtur, praecipue si cum sequenti legis huius parte conferatur, in illos lata fuisse, qui copulationem, divortium, aut Ecclesiae reconciliationem peterent; Baronissa autem neutrum unquam petiit. Secunda pars loquitur de iis duntaxat, qui religionem suam mutare vellent, quorumve facta manifesta forent; Baronissa vero religionem suam non tantum mutare voluit, sed id, quod voluit, Dei gratia etiam perfecit, eo quidem tempore, quo eius actiones ad decernendum divortium forte deservientes nondum manifestae fuerunt, illae enim per legitimam inquisitionem huiusque publicationem evadunt manifestae. Tertia pars legis supponit clarissime utrumque litigantium eandem adhuc profiteri religionem, alterum tamen mutare eam velle, secus enim non fuisset ulla ratio huic postremo facultatem concedendi ad aliam religionem post causae decisionem amplectendam. Quoniam igitur alter iam labatur annus, quod Baronissa salvificae fidei professionem in manibus meis deposuerit, e legis huius dictamine causa eiusdem in foro Reformatorum non modo definiri, sed ne assumi quidem amplius potest. Accedit, Augusta Princeps, quod in posteriori hac legis parte per verba ‚in qua fuit, dum res mota fuisset' aut intelligatur simplex litis motio, aut ipsa litis contestatio; illa intelligi non potest, secus cum lex generalis sit neque actor posset ante contestatam litem causam suam deserere, quod tamen adversatur iuri et praxi; haec idcirco intelligi debet, quae est fundamentum et basis iudicii. Iamvero Baronissa numquam fuit litem contestata, imo in omnibus fere responsis suis ad partis adversae allegata protestata est, se nolle meritum rei tangere, ac litem contestari, quod apparet luculenter e penultimo etiam fori Reformatorum deliberato a. 1764 die 19 Iunii ad interpositam a Baronissa appellationem lato in sequentibus verbis: ‚quia causa adhuc versatur in exceptivis, non transmittitur.' Iuxta Regulam autem 63 in VI-o exceptionem opponens non videtur de intentione adversarii confiteri, seu litem contestari. Unde suapte rursus consequitur, Baronissam hac lege minime obstringi.

Sed etsi horum quidpiam obstaret per sese, Decretum

Tripartitum, quod generale nobis est cum Regno Hungariae, derogat privatae huic legi, Catholicae Religioni admodum praeiudiciosae. Prologi namque articulus IX declarat: Statuta contra libertatem Ecclesiarum et diuturna privilegia non valere. Imo Maiestas quoque Vestra pro sua in Deum pietate prorsus singulari, quam nec venerari satis nec praedicare unquam pro dignitate possum, anno 1744 art. 7 huiusmodi leges Cath. Religioni praeiudiciosas rescindere abrogareque dignata est. — Quod autem hoc articulo lex etiam ista singulariter rescissa ac abrogata sit, patet cum ex ipsa articuli clausula, tum e Religionis Cath. praeiudiciis, quae inde consequerentur. Nam clausula illa consistit in verbis ‚et immunitati ecclesiasticae quoquomodo adversantur.' Hanc autem legem immunitati eccles. adversari elucet e sequentibus: 1. ius divinum, quod matrimonium reliquis Sacramentis annumerat, et clarissima SS. Canonum statuta aperte definiunt, matr. causas ad forum pertinere ecclesiasticum. Sic enim C. Trid. Sess. 24. Can. 12. de matrimonio: ‚Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit.' Qui vero Iudices essent illi Ecclesiastici, ad amoliendum omne dubium eadem Sess. cap. 20 his verbis declarat: ‚Causae matrimoniales non decani, archidiaconi iudicio, sed Eppi tantum examini et iurisdictioni relinquuntur.' Id ipsum longe antea Alexander II PP. Can. Multorum caus. 35. q. 6. — Innocentius III in Gen. Conc. Later. relato Cap. Accedentibus. 12. de excess. Prael. constituerunt. Quamobrem cum Baronissa Cath. Religionem colat, iuxta sacras has sanctiones causae ipsius decisio mihi soli competit. Nicolaus I PP. ep. 8 declarat haereticum non posse esse iudicem. Benedictus autem XIV lib. 13. c. 22. §. 8 asserit: indignum prorsus esse recurrere ad Calvinistas pro declaratione divortii. Quod vero ad praeiudicia attinet, tametsi illa cum immunitatis eccl. laesione coniuncta sint, attamen patet inde etiam, quod apud Reformatos usuvenit, ut in causis divortii pars, quae huic causam praebuisse comperiretur, ligae subiiciatur, et ex fidelium communione excludatur. Si itaque Baronissa probaretur esse divortii causa, eam Synodus Reformatorum e fidelium communione excludere non posset, nisi iurisdictionem, quam ta-

men non illa, sed Religio Catholica in eandem habet, exerceret, quo maius praeiudicium Religioni Cath. adferri nequit. At concedamus Reformatis, legem hanc vigorem habere hodieque; nihilominus tamen, quemadmodum superius demisse referebam, quia de iis duntaxat loquitur, qui Religionem mutare vellent, et non de iis, qui iam ante causae meritum seu litem contestatam eam mutavissent, idcirco Baronissa, utpote lite nondum contestata ad veram Religionem transiens, nullatenus hac lege obligatur. Alia autem lex nulla de his extat seu in Approbatis seu Compilatis Constitutionibus. Sed quamquam statuamus legem hanc de iis pariter loqui, qui religionem iam mutassent, quia tamen ex allatis utriusque rationibus apparet, illam dubiam esse, elucet quoque in favorem dominantis Cath. Religionis interpretari oportere. Tueatur igitur, oro Maj. Vestram SSmam infimis precibus meis, Religionem illam, quae in hac provincia dominans est, et quam Maiores Augusti insigni ad posteros pietatis exemplo coluerunt; tueatur sanctissimam legem suam, quam auctoritate a Deo sibi concessa bono eiusdem religionis condidit, atque causam memoratae Baronissae non patiatur in foro Reformatorum amplius assumi, verum ad Consistorium meum benigne transmittendam praecipere dignetur. Quod dum certa cum fiducia polliceor mihi a cognita Maj. Vestrae in Deum pietate, assidua inter debitae fidei profundissimaeque venerationis officia persevero. — 23 Aug. 1766. — (E Tabul. dioec. Transilv. Nr. $^{221}/_{1766}$.)

1145. Intimatum Consilii RLH. de ministris Helv. Conf. ab adhibenda occasione copulationis famosa conditione inhibitis. 1774. Relato existente eo, conditionem et clausulam per Helv. Conf. ministros occasione administratae copulae matrimonialis antea in M. Principatu Transilvaniae, in Regno vero Hungariae et notanter in Dioecesi M. Varadinensi etiam nunc in his formalibus: „donec in honestate et puritate permanserint" observatam fuisse: quandoquidem clementer resolvisset SSma Sua Maiestas, ut, quemadmodum conditio haec, velut in ma-

nifestum illegitimae coniunctionis et inde provenientis morum corruptelae periculum vergens, quinimo tranquillitati publicae quoque adversans in attacto M. Principatu Transilvaniae iam abrogata habetur, ita etiam in regno hoc Hungariae memorati Helv. Conf. ministri eorumque superiores a praemissa ac alia etiam substantiae matrimonii adversa, dissolubilitatem contractus importante, conditione prorsus inhibeantur: hinc E. V. de altissimo iussu regio insinuandum esse duxit Consilium hoc Loc. Regium, quatenus praemissam benignam Resolutionem et ordinationem C. Regiam iis, quorum interest, mox publicam reddere, atque in consequentiam huius ministros Helv. Conf. ab indebita illa coniunctioni matrimoniali addenda conditione inhibere, eoque rem agere et disponere haud gravatim velit, quo praemissa aut alia Publico praeiudiciosa et substantiae matrimonii adversa conditio e Ritualibus seu Agendis Helv. C. addictorum expungatur, neque unquam imprimi admittatur. Datum ex Consilio LRH. Posonii die 12 Dec. 1774 celebrato.

1146. Consistorium Alba-Carolinense Eppo Transilvaniensi Ignatio Com. Batthián opinionem depromit super nullitate matrimonij Calvinistarum cum famosa conditione initi. 1781. Praesentem causam dedita opera ad gratiosum Exc. Vestrae in provinciam hanc adventum distulimus, quod ad eandem ex voto nostro terminandam auctoritas ac zelus Exc. V. potissimum necessaria videantur. Sic autem succincta eius facti species habet: Samuel Iszlai, Reformatus possessionis Fele Sedis Siculicalis Marus, ductam in haeresi uxorem pariter reformatam, tresque ex ea susceptas proles deserens, a. 1778 venit Thordam, reperitque ibidem Annam Okländi alias Hegyi, Arianam, quae sub idem tempus aut paulo ante ad idem oppidum venerat, contractaque mutuo notitia, postquam ambo circiter integro anno ibidem habitassent, virque diversis interea declarasset, se in eodem oppido, utpote loco victui pauperum propter frequentes manuales labores maxime opportuno constanter habitaturum, a D. Parocho et ADiacono

Martino Molnár, hic quidem eiurata haeresi Calviniana, mulier vero suscepto baptismate Ecclesiae Catholicae sunt aggregati: hacque ratione ambo iam catholici praemissis solitis denunciationibus initio anni 1779 per eundem D. Parochum in matrimonium sunt copulati, atque etiam ut coniuges ibidem aliquamdiu habitarunt. Verum subinde, ignota hactenus nobis ex causa, Claudiopolim transiverunt: ubi propter crimen bigamiae arrestati et incaptivati, inde vero Marus-Vásárhelyinum, ad locum scilicet praetorii eiusdem Sedis Marus reducti 22. Oct. 1779 iurisdictioni eiusdem Tabulae Continuae sunt traditi; erectaque est contra eos ut bigamos a D. Vice-Iudice Regio Iosepho Szilágyi actio criminalis, ad quam comprobandam eadem Tabula Sedis Marus interpellavit Magistratum Thordensem; qui consulto etiam D. Parocho rescripsit, illos Thordae per Parochum Catholicum fuisse in matrimonium iunctos, quod ipsum rei quoque conventi confitebantur. Nihilominus praedicta Tabula Sedis Marus absque ulteriori investigatione aut requisita sententia Ecclesiae in eos sententiam pronunciavit, ac viro quidem 60 baculos, mulieri vero 25 scuticas decrevit, declaravitque una, eosdem, si deinceps ante causae ipsorum in foro spirituali decisionem simul invenirentur, ut bigamos mortis poena plectendos fore. Quam sententiam Incatti quidem ad Inclytam Tabulam Regiam interposita appellatione die 4 Sept. 1780 promoverunt: sed qua de causa, ex Actis non liquet, ad Excelsum Regium Gubernium transmissa, ab eodemque Excelso Foro 10 Octobr. eiusdem anni ad mentem sacrorum canonum usumque huius patriae, ut de valore praesentis matrimonii velut fundamento totius processus sententiam dicamus, ad hoc Consistorium est relegata. Cum autem videremus ex Actis, informationes D. Parochi copulantis necessarias esse Consistorio, ut in gravi hac causa tuto procederet, eas repetitis literis nostris postulavimus. Quas etiam una cum Actis a Tabula Marusszékiensi nobis iussu Exc. R. Gubernii communicatis isthic Exc. Vestrae reverenter adnectimus.

Antequam autem de valore praesentis matrimonii opinionem nostram declaremus, animadvertimus: errasse D. Parochum et ADiaconum Thordensem in eo 1. quod, etsi certo

sciret virum hunc uxori reformatae suo modo illigatum, neque ab ea nllatenus divortiatum fuisse, tamen contra antiquam huius dioecesis consvetudinem, pacis publicae, ut credere licet, studio introductam, atque a gloriosae etiam memoriae nuper demortua Aug. Principe nostra confirmatam, ne scilicet convertitae ex Reformatis ad alia vota transire cum catholicis admittantur ante, quam a prioribus coniugibus in foro reformato divortiati fuerint, contra inquam hanc consvetudinem virum hunc cum praefata muliere catholica copulaverit. Allegat is quidem ignorantiam huius Rescripti Regii; sed enim in viro non mediocriter in omni iure versato haec ignorantia vix praesumi aut tolerari potest, et alioquin ignorantiam iuris non excusare eum, qui illud scire et poterat et debebat, cognitum est. Erravit 2. in eo, quod, dum a Magistratu Thordensi, eo nomine ab Incl. Tabula Sedis Marus requisito, de hoc matrimonio consultus fuisset, brevissime tantum responderit, has personas a se matrimonio iunctas esse; ubi tamen tunc plane debebat pro miserorum horum spiritualium suorum filiorum impunitate se interponere protestarique contra iudicatum Tabulae Sedis Marus in hac materia, cuius nempe fundamentum mere spirituale esset, aut saltem rem Exc. Dno C. Praesuli vel Vicario, aut Consistorio denunciare, ut hi causam hanc a foro eiusdem Tabulae opera Exc. R. Gubernii avocarent. Proinde ab aequitate alienum plane nobis non videretur, virum hunc ab Exc. Vestra deinceps atque ex isthic advolutis etiam epistolis eius ad nos in hac materia datis satis noscendum propter praemissa certa mulcta affici, quae subinde miseris his personis, iam a 22 Oct. 1779 usque in praesentem diem in squalloribus carcerum tabescentibus pie erogaretur. Verum enimvero longe amplius erravit ipsa Incl. Tabula Sedis Marus, quod, etsi ex relatione Magistratus Thordensis cognitum haberet, personas has a Parocho Thordensi in matrimonium iunctas esse, proinde quaestionem hanc, an bigami sint, pendere a valore eorum matrimonii, tamen inconsulta Ecclesia in eos sententiam dixerit. Est namque laudabilis huius patriae omnium secularium tribunalium praxis, ut, quandocunque et in quacunque parte processus incidit de valore matrimonii, illius decisio ad forum ecclesiasticum remittatur, suspenso

interea toto processu, ac conformiter ad sententiam sacri fori de incidente quaestione edendam tota causa in priori foro seculari reguletur. Agnovit errorem hunc ipsum Exc. R. Gubernium, cum nempe sententiam Sedis Marus ad se transmissam cognoscere non voluit ante, quam de valore praesentis matrimonii Consistorii iudicium requireret. Itaque plane non dubitamus, ardentem Exc. Vestrae zelum ita suis viis hanc rem moderaturum, ut D. Supremus Iudex Regius et Tabulae Iudiciariae Marusiensis Praeses hunc suum errorem intelligat, deincepsque in huiusmodi processibus cautior sit.

Iam quantum ad valorem huius matrimonii, existimaremus ad evitandam DD. Reformatorum offensionem, et querelas, breviter et absque ullis rationibus (quas alioquin Iudex Ecclesiasticus in sua sententia exprimere non tenetur) Exc. R. Gubernio respondendum esse in vim deliberati sequentibus: praesens matrimonium ab his personis contractum spectata mente et dispositione canonum Ecclesiae Cath. validum firmumque esse, proinde illis e carcerum squallore libere impuneque dimittendis iura, quae legitimorum coniugum sunt, concedenda esse. Ut huius nostrae opinionis rationes declaremus, bina impedimenta valori huius matrimonii obiici posse videmus, clandestinitatem nempe, quod incolae Sedis Marus Thordae copulati sint, alterum ligaminis, quod Samuel Iszlai vivente priore sua uxore cum Anna Oklándi matrimonium inierit. At enim quod ad primum attinet, ex isthic advolutis literis relatoriis elucet luculenter sex testium testimoniis, has personas ante contractum hoc matrimonium uno circiter anno Thordae habitasse, deinde virum ibidem constanter se habitare velle declarasse, atque adeo in eodem oppido domicilium fixisse, consequenter Parochi Thordensis parochianos per conversionem factos fuisse, ab eodemque ut legitimo ipsorum parocho spectato hoc puncto copulari potuisse. Longe gravius est, fatemur, alterum impedimentum, ligaminis viri cum priore uxore reformata, optassemusque utique, ut D. Parochus observasset praedescriptam huius dioecesis consvetudinem, neque processisset ad copulationem prius, quam vir ab eadem uxore sua fuisset in foro reformato divortiatus. Verum post factum locum iam hic habent omnia illa, quae conditor cano-

num Benedictus XIV in Syn. Dioec. l. 13. c. 22 de nullitate matrimonii reformatorum in Transilvania disserit; locum item habet Rescriptum illud eiusdem Pontificis, quod in simili plane materia a. 1754 die 20 Maii ad D. piae memoriae B. Sztoyka eiusdem temporis Eppum dedit, et in quo explicans authentice cap. fin. de cond. appos. declarat, matrimonium Christinae Macskási, quod illa, vivente viro suo reformato, nec ab illo in foro reformato divortiata, post suam ad fidem cath. conversionem cum Michaele seniore Dósa catholico ritu contraxerat, validum firmumque esse, taleque haberi debere. Quamvis autem ad repraesentationem praelaudati D. Eppi rescripserit tunc Augustissima Domina, priori consvetudini insistendum esse, neque Reformatos etiam post conversionem ad alia vota admittendos, nisi prius a prioribus coniugibus in foro reformato divortiati fuerint: subinde tamen a. 1764 D. Barone Bajtay Eppo in causa Comitissae Iuliannae Bethlen ad fidem cath. conversae et cum iuniore Dósa matrimonium, deserto coniuge suo reformato Földvári, ineuntis, postulante, indulsit a. 1765 Aug. Princeps, ut hae personae poenitentiae causa ad monasterium certo tempore recludantur propterea, (nulla alia ratione adducta) quod contra eius temporis Eppi voluntatem nupserint, peracta vero poenitentia concedantur illis iura, quae legitimis coniugibus indulgeri consveverunt. Ex quo tempore vi huius decreti regii coepit vim suam praefata declaratio Pontificia etiam in foro externo habere, adeo, ut ante biennium expresse consentiente D. Com. Eppo a Kollonicz praefatorum Iuliannae Bethlen et Michaelis Dósa proles ab hoc Consistorio legitimae pronunciatae fuerint; ut proinde praefata declaratio Pontificia hodie in hac dioecesi non tantum pro foro interno, quod semper habere debuit, sed pro externo quoque vim suam cum magna quidem discretione in casibus illis, in quibus offensio publica non timetur, sensim obtinere videatur. Ne quid tamen dissimulemus, agnoscimus Augustam Principem circa a. 1765 interdixisse Regio suo Rescripto Reformatis, ne conditionem illam ‚donec in honestate et castitate coniugali permanseris' contractui suo matrimoniali adiiciant; ex quo inferri posset, hodierna Reformatorum matrimonia absque conditione contracta valida esse. Sed

enim non constat, Reformatos huic decreto regio sese conformasse, imo vero cum Augusta superioribus annis iisdem obstetrices instructas baptisandi in necessitate proles recens natas ad obsequium puerperarum adhibendas esse praecepisset, expresse rescripserunt, id fidei suae professioni aperte refragari, nec alium se agnoscere baptismi ministrum, quam publicum, qui in Ecclesia deservit. Nec desunt exempla Reformatornm, qni etiam post praefatam prohibitionem praesentibus licet catholicis sive cum praefata conditione, sive cum hac ,ita tamen sicut Christus dixit', solubiliter ex errore suo intelligentes verba Evangelii, contraxerunt. Quid quod nihil frequentius apud ipsos audire sit, quam Reges et Principes conscientiis subditorum dominari non posse, atque adeo praesumendum sit, eos huiusmodi decreta regia articulis professionis suae contraria pro nullis habere itaque dum inter se soli sunt praefatam conditionem expresse adiicere, praesentibus vero Catholicis ita circumscribere, ut sensus conditionis permaneat, intentioque actualis solubiliter contrahendi praedominetur; quod ipsum ex frequenti in casu adulterii matrimoniorum dissolutione per eosdem etiam post laudatum Rescriptum Regium fieri consveta elucet. Atque hae sunt rationes nostrae, ex quibus praesens matrimonium validum esse censemus, taleque ab Exc. Vestra sive coram Exc. R. Gubernio, sive etiam exigente necessitate apud Aug. Principem sustineri et manuteneri demisse oramus. — Albae Carolinae, die 6 Mart. 1781. Consistorium Eppale Transilvaniense.

1147. Ex literis Pii VI ad Eppum Agriensem de sententia fori civilis circa vinculum matr. 1789. — Nec maioris momenti tertia est addncta ratio, quae nititur famosa illa conditione ,donec in honestate permanseris', sub qua dicuntur acatholici nonnulli matrimonium contrahere, quamque qui non addunt, eam mente retinere perhibentur; etenim rem totam praeclare explicat Benedictus XIV de Syn. Dioec. l. 13. c. 22. et quidem si contrahendo matrimonio conditiones contra substantiam coniugii inserantur, ex ,decretali Gregorii IX in Cap. Si conditiones, decondit. ap-

pos.' constat, matrimonialem contractum carere effectu. Unde sequitur, nullum et irritum censendum esse matrimonium eorum, qui practer crrorem, quo imbuti sunt, conditionem etiam adiiciunt de matrimonii dissolutione quoad vinculum interveniente adulterio. Quodsi expressa illa conditio de matrimonio ob adulterium dissolvendo apposita minime fuerit, quantumvis contrahentes in eo fuerint errore, ut matr. vinculum per adulterium dissolvi possit, nihilominus locus est praesumtioni, nt, dum matrimonium, prout a Christo institutum fuit, inire voluerunt, illud omnino perpetuum ac interveniente etiam adulterio insolubile contrahere voluerint; praevalente nimirum generali, quam diximus, voluntate de matrimonio inxta Christi institutionem inenndo, eaque privatum illum errorem quodammodo absorbente: qno fit, ut matrimonium ita contractum validum firmnmque maneat. Doctrinam hanc secuta est semper atque constanter Congregatio S. Officii. Hocidem confirmatur ex quadam decisione solemni, quam eadem Congregatio nobis praesentibus edidit die 1 Aug. 1748. — Datum Romae, die 11 Iul. 178?.

1148. **Eppi Transilvaniensis epistola ad Parochum Torjensem de quaestionibus matrimonialibus.** 1800. Epistolam DV. de matrimoniis Calvinistarnm dd. 14 huius ad me datam prout a me postulavit, legi attente, et difficultates in ea propositas expendi. Aliqna comperi sine debito ordine proferri, alia diei non integre, atque ex talibus praemissis conclusiones deduci non satis idoneas. Necessum itaque habeo in medium proferre, quid leges, quid constitutiones, qnid usns circa matrimonia illa habeat, quia si non attendantur singula, facile contingit, ut in errorem prolabatur qnispiam.

Itaque leges in Transilvania praestant quatuor receptis Religionibus liberum religionis exercitium: ex qua concessione profluit, per leges publicas in qualibet religione recepta quoad effectus civiles rite contrahi matrimonia, et inxta legem quoque canonicam valida talia censeri debere, quia praesumi debent contrahentes contrahere voluntate generali secundum institutionem Christi. Ita totidem fere verbis loquitur Bene-

dictus XIV in elegantissimo opere suo de Syn. Dioec. lib. 17. cap. 22. ubi posteaquam probavisset matrimonii firmitatem profluere a iure divino scripto, ita prosequitur sermonem n. 3: ‚Ex his plane consequitur, matr. inter virum et feminam contractum, quo tempore ambo Calvinianae sectae adhaerebant, validum firmumque censendum esse, tametsi cum ceteris eius haeresis sectatoribus falso opinati fuerint, matrimonium etiam quoad vinculum adulterio interveniente dissolvi; siquidem credendum est, eos generali voluntate contrahere voluisse matr. validum iuxta Christi legem, ideoque etiam adulterii causa non dissolvendum. Quodsi religionis minister conditionem adiiciat substantiae matr. repugnantem, conditio vitiat contractum, redditque matr. nullum; et huius quidem rationem eam dant Theologi et Canonistae, quod conditio suspendat consensum, atque ita super eo ratiocinantur: quicunque vult contractum inire validum, debet substantiam rei velle, de qua contrahitur, iamvero si contrahentes in matrimonii foedere contrahendo conditionem apponant illius substantiae contrariam, certissimum est, tales in veri matrimonii contractum non consentire, atque ita nullum contrahere matr. velut quod sine consensu esse non potest; ex adverso quantumvis sint in errore minister atque etiam contrahentes, quod per adulterium dissolvi possit matr. vinculum, nihilominus locus est praesumtioni, quod dum matrimonium, prout a Christo institutum fuit, inire voluerunt, illud omnino perpetuum ac interveniente etiam adulterio insolubile contrahere voluerint, praevalente nimirum generali quam diximus voluntate de matrimonio iuxta Christi institutionem ineundo, atque privatum illum errorem quodammodo absorbente; quo fit, ut matr. ita contractum firmum validumque maneat.' Non igitur nulla irritave censeri debent matrimonia Calvinistarum, quia coram ministro contracta sunt; sed si nullum probetur aliquod tale matrimonium, nullitas ex adiecta conditione substantiae matrimonii adversaria declaratur iuxta celebrem Decretalem Gregorii IX in Cap. Si conditiones. de cond. appos. Idcirco modo laudatus Benedictus XIV loco citato, antequam responderet ad casus particulares e Transilvania propositos de matrimoniis Calvinistarum, praemittit: sibi non fore ser-

monem de matrimonio inter duos Calvinistas contracto, quibus hoc per errorem tantummodo persvasum fuit, matr. vinculum adulterii causa dissolvi, sed agi de eiusmodi matrimonio, quod a duobus Calvinistis ita fuit celebratum, ut praeter errorem supradictum id etiam in pactum conditionemque deduxerint et expresse in ipsa matrimonii stipulatione convenerint, quod si ab alterutro coniugalis fides fracta fuerit per adulterium, coniugii societas etiam quoad vinculum soluta remaneat. Hanc doctrinam, ait idem Pontifex, constanter secutam fuisse Congregationem S. Officii, quoties examinanda se obtulit validitas matrimonii vel inter duos Calvinistas, vel inter Calvinistam et Catholicum contracti. Bene observanda sunt verba eruditissimi Scriptoris: ‚quoties validitas matrimonii examinanda se obtulit;' igitur omnis sermo de matrimoniis in quaestionem vocatis instituitur, quod plerumque in provincia hac usuvenire solet, si alterutra pars convertatur; nam de matrimoniis eorum, qui in errore ad obitum usque perseverant, ad nos nulla ratione pertinet iudicare; quoad eos legi patriae obsequimur, et hac ratione declinamus invidiam, quam ex decisione Apostolica aliqui adpingere tentarunt, quasi nos omnes Calvinianos pro spuriis et illegitimis haberemus; tenemus eos legitime adire haereditates suas, legitimos proinde nasci, quia lex patria probat eorum matrimonia, et Ecclesia praesumit eos contrahere, sicut Christus instituit, adeoque validum contrahere matrimonium, si conditionem repugnantem substantiae non apponant. Quod dicatur passim, Calvinianos et indubitanter apponere solitos conditionem, nec citra illam contrahere velle, error privatorum est, qui derogare non potest generali voluntati Christi; constat praeterea ex testimoniis multorum, non ab omnibus apponi conditionem, et praesumendum est, eos prohibitioni Altissimo loco hac in parte intervenienti contumaciter contravenire non velle. Non igitur de matrimoniis in genere sermo esse potest, quae utique iudicio nostro non substernuntur, sed in particulari, quod examini proponitur, fitque potissimum cum conversis; et examen istud ex dispositione Concilii Tridentini non ADiaconus, non Decanus, tanto minus Parochus, sed solummodo Ordinarius instituere potest; ex qua Concilii lege sequi-

tur, quod quotiescunque valor matrimonii in quocunque casu impugnatur, semper ad auctoritatem Ecclesiae recurri debeat; huius exemplum in Iure quoque expressum invenitur Cap. 3. de divort. ubi in casu Comitis Pontini Pontifex declarat, quod non obstante eo, quod parentela se inter et uxorem publica notoriaque esset, absque iudicio Ecclesiae ab uxore separari non potuerit.

Sed gravis quaestio restat decidenda, quod forum interpellari debeat in causa matrimonii coram ministro Calviniano contracti. Benedictus XIV ad hanc quaestionem respondit: indignum prorsus esse recurrere ad Calvinistas pro declaratione divortii quoad vinculum; nec ego hanc viam ineundam propono directe. Ad rite intelligendam autem decisionem repetere debeo, non esse sermonem de matrimonio Calvinistarum, qui ad mortem usque in sua secta permanent; de iis namque mihi dicendum esset: qui sordet, sordescat adhuc; sed de conversis. Quodsi pars conversa ostendat se ante conversionem suam in secta fuisse divortiatam, etiamsi ex adulterio, et probare possit, matrimonio suo appositam fuisse conditionem, facile ei subvenitur, transmittiturque talis conversus absque alio processu cum catholica ad alias nuptias; et si convertatur pars ante divortium, et alias nuptias expetat, etiamsi probet conditionatum suum matrimonium, adhuc ad alia vota non transmittitur, priusquam per processum instituendum auctoritas Ecclesiae interveniat; et fit, ut si pars non conversa nolit stare iudicio in foro catholicorum, et divortio non consentiat, ad pacem colendam et servandam harmoniam inter religiones dispares valde necessariam, debeat pars conversa iuviari, ut a priore coniuge separationem quoquomodo impetret, etiam in foro acatholicorum. Hanc necessitatem nobis imposuit Rescriptum Regium anni 1763, cui vel ideo obsequimur, quod piissimae memoriae Regina Maria Theresia decisioni Benedictinae Placetum Regium ita duntaxat concesserit, ut acatholici, qui matrimonia ritu ipsorum sub conditione contraxere, et Catholicam Religionem postea amplectuntur, separationem legitime impetrare teneantur, antequam ad novum matrimonium progredi valeant. Rescriptum hoc Regium Catholicis pacem praestat, et observatur passim; alioquin in

casu contrario difficile admodum est conversis subvenire. Episcoporum vigilantia tamen semper plurimum praestabat, et fecit, ut in similibus casibus iurium convulsio metui non debeat; quocirca in praxi ad eos recurrendum est. Hoc faciendum erat DVestrae in casu Elisabethae Bedő, et procul dubio a molestiis, quibus implicita hodie est, se expedivisset facile. Habet quidem decisio Benedictina, cui innixa est opinio DVestrae, quod stante veritate de conditione contractui matrimoniali apposita matr. tale nullum natura sua fuerit, neque indigeat Sempronius declaratione fori ecclesiastici, ut possit ab asserta uxore separari; at consvetudine invectum est, ut nihil fiat etiam in tali casu absque auctoritate Ordinarii. Inde ut redeat eo, ubi coepit aberrare, consilium meum est, ut casum Elisabethae Bedő ad me perferat peculiaribus literis suis, cum adiunctis circumstantiarum, signanter quo anno, quibus adstantibus per ministrum Korathmensem matrimonio iuncta sit; utrum contractui apposita fuerit conditio, et quomodo probari istud possit; quae notitia habeatur de viro, hicque utrum pacifice et quamdiu cohabitaverit mulieri? ad quae inviationem acceptura est, cui tuto insistere poterit.

Verum his omnibus non videor satisfecisse scrupulis: forte applicatio ad casum lucem ulteriorem effundet, ideo non piget repetere casum, in quo me consuluit, et alterum, in quo ei litigium est cum DD. Fratribus Districtualibus. Consuluit primo, quid sibi agendum sit in causa Francisci Kádár Catholici per Ministrum reformatum Korathnensem Iosephum Botos cum Susanna Intze Calviniana matrimonio iuncti; proposuit autem, quod sponsus conscientia renitente sponsam suam eo die, copulationis videlicet per Ministrum attentatae, in domum suam non deduxerit, sed altera die, nempe 20 Ianuarii ad Ecclesiam DVestrae comparuerint ambo, ubi tertia etiam promulgatione peracta eorum consensum in facie Ecclesiae renovari fecerit. Num in hoc casu zelum DVrae recte laudaverim, et apposite ad praemissa principia probaverim revalidationem matrimonii, absque operae pretio commemorabo; quia ex ipso casu perspicuum est, Sponsum nonnisi post hanc revalidationem conquievisse. Sed sunt alia quoque, quae resolutionem meam mirifice confirmant; inprimis occur-

rit error Ministri, quem adversus altissimam Ordinationem Regiam, copulationem in mixtae religionis matrimoniis gravissime vetantem, commiserat; occurrit dubium, utrum copulans non adhibuerit conditionem; denique desiderium Sponsi, ut a Domino benedicerentur nuptiae. Probavi igitur consensus renovationem 1. quia ita Ordinatio regia complementum habuit; 2. conscientia viri tutata fuit; et tam ex his capitibus quam vero eo ex argumento necessarium ante omnia alia id erat, ut revalidaretur matrimonium, quia prudens dubium erat de conditione apposita; debebat igitur dubium deponi, et ita consuli sacramento, ne pars catholica stante dubio maneret in periculo. Verum resolutionem hanc non potuisse cynosuram esse in casu altero statim videbimus. In illo casu contrahentes erant plene liberi, adeoque nihil obstabat contractui, qui revalidatus fuit in casu Elisabethae Bedő; haec alligata est viro, qui ad militiam abductus, nescitur an vivat; vivere tamen censendus est, donec probetur mortuus iuxta doctrinam Apostoli. Sed arguit DVra, huius quoque matrimonium, quia coram Ministro contractum fuisset, nullum fuisse ab initio; in huius asserti sui confirmationem duo profert argumenta: primum ex Concilio Tridentino, quod Sess. 24. c. 1. de ref. matr. ad valorem matrimonii requirit assistentiam proprii parochi, qualis esse non posset minister, quia publicus haereticus esset; et istud assertum, quod pro altero argumento habet, confirmat ex Fagnano in Cap. Abolendam de haereticis nr. 38. quo loco Fagnanus statuerat, matr. celebratum coram parocho publico haeretico esse nullum. Quantum ad C. Tridentinum attinet, extra omnem dubietatem est, ab eo requiri parochum proprium, ut assistat; at Ministros Reformatum, Lutheranum, atque etiam Unitarium, singulum in ordine ad populum curae suae commissum saltem fictione iuris proprium dicendum esse parochum negari non potest ex iis principiis, quae statim ab initio a me prolata sunt; et revera quid aliud significat esse parochum, quam iuxta principia suae religionis curam animarum exercere, animabus suo modo ministrare; quod in ministerio discrepent illi a nobis, ideo officium parochi tamen faciunt respectu populi commissi; certum est, quod lex patria eos tale officium facere agnoscat. Ex huiusmodi

principio videtur Congregatio Concilii 12 Mart. 1593 teste Barbosa de off. et pot. par. part. 2. c. 21. n. 51. resolvisse: parochum, quamvis putativus esset, valide assistere matrimonio; et ratio huius resolutionis indubie illa est, quod Concilium per assistentiam parochi proprii id solum intendat, ut vitetur clandestinitas, quae utique etiam per praesentiam Ministri, quem lex publica ad hoc deputavit et qualificavit, declinatur, quoties praeter hunc alii duo minimum testes adhibentur. Nec obstat argumentum ex Fagnano pro parocho haeretico desumtum; nam eo loco sermonem instituit Fagnanus de tali parocho, qui in haeresim lapsus privatus est beneficio parochiali; id ipsum declarant verba immediate subsequentia: ‚fundamentum praedictae decisionis fuit, ait Fagnanus, quia parochus publicus haereticus desiuit esse parochus, cum sit ipso iure privatus beneficio parochiali, unde merito invalidum est matrimonium coram eo celebratum ob non servatam formam a Concilio praescriptam.' Habet hic DVestra legem, habet constitutionem, et usum, habet denique animi mei sententiam. Gratulabor, si his capacitata sumserit rursus animos, quos despondisse observo. Non turbet DVram modica erubescentia, neque innitatur iudicio suo tantum, ut alios spernat; teneat illud, quod Apostolus suggerit: non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Non sunt illico reiicienda, quae displicent, tanto minus reprehendendus est ADiaconus vel alter Superior, cui subesse convenit, quia utique verbum Dominicum est: quod pater et mater non debeant maledici, sed potius honorari. Deponat igitur effervescentiam omnem, et agat quae sunt ad gloriam Dei; confusionem autem, quam opinatur se subivisse, existimet sibi immissam a Deo, ut amplius discat iustificationes eius. — Albae Carolinae, die 3 Sept. 1800. — (E T a b u l. d i o e c. T r a n s i l v. Nr. 500/1800.)

1149. R e s o l u t i o R e g i a p r o H u n g a r i a e d i t a d e f a m o s a c o n d i t i o n e dd. 27. I u n i i 1815. Ne matrimonia Reformatorum, quasi sub conditionibus inita essent, prout matrimonium Baronissae Kemény cum Gabriele Trajt-

ler in Transylvania initum, pro nullis habeantur, Sua Maiestas SSma ad Consistorium Reformatorum eos dimitti iussit ordines: ut sibi subordinatos et quosvis alios Ministros ad formulam copulationis, quae in recentiori ritus et liturgiae editione continetur, deinceps ad amussim observandam ea cum inviatione serio adstringat, ut nonnisi iuxta huius verbalem tenorem Confessionis suae homines matrimonii vinculo iungant, et ab omni additamento, tanto magis vero ab expressionibus conditionem quampiam involventibus sub gravi responsionis onere abstineant, et hae pro non adiectis habeantur. Altissimam itaque dispositionem hanc Consilium hocce Locumtenentiale Regium Hungaricum, cum respectivi processus matrimoniales, prout provocatus Baronissae Kemény, in Hungaria quoque occurrere possint, T. V. exacte observandam hisce intimat. Datum ex Consilio R. L. H. Budae die 27. Iun. 1815. celebrato.

1150. Opinio Consistorii Metropolitani Agriensis de hac Resolutione Regia a. 1816. postulanti AEpiscopo depromta. In Consistorio Metr. Agriensi die 11. Mart. 1816. celebrato — 3) Excelsi Consilii R. L. H. dd. 27. Iun. 1815. Nro. 18419. emanatum Intimatum, cuius tenoribus Ministri Reformati in copulandis coniugiis suae Confessionis hominum praescriptam formulam observare omniaque additamenta, praesertim vero expressiones conditionem involventes gravi sub responsionis onere omittere iubentur, haecque additamenta et conditiones, si coniugiis nihilominus adiicerentur, pro nullis habenda esse declarantur, demum ipsa altissima dispositio etiam in Hungaria exacte observanda praecipitur, una cum opinionibus — et reflexionibus DD. Consistorialium desuper depromtis per extensum lectum est, discussisque omnibus quaestionum in hac materia exoriri queuntium momentis ordinatum: In sequelam gratiosorum ordinum dd. 11. Sept. 1815. Nro. 1287. acceptorum Suae Excellentiae AEppali rescribi: Consistorium opinari: Cum praedeductum Intimatum generice loquatur de conditionibus per Reformatos matrimonio adiici solitis, ad clementis-

simum thronum Suae Maiestatis Regio-Apostolicae in homagiali subiectione recurrendum venire, quatenus quod circa articuli 26: 1791. §-um 11. factum est, haereditaria pietate et clementia declarare dignetur: altissimam illam dispositionem regiam, si abrogari iam nequeat, quoad effectus tantum civiles et ad principia Reformatorum datam esse, quin per hanc Eppis aut Sacris eorum Sedibus necessitas imponatur recedendi a iudicando secundum sacros canones et leges ecclesiasticas, iuxta quas hactenus circa conditiones matrimonio adiectas iudicarunt. Magnificaret enim hoc Auctoritatem Regiam, si dispositio in genere lata quoad casum particularem in favorem fidelium subditorum declarationem accipiat. In hoc casu consuleretur etiam bono matrimonii, quod respectu Reformatorum non ita restringitur, ut annullata conditione ex aliis principiis matrimonia solvere nequeant; consuleretur demum illis, qui fidem catholicam profitebuntur. Ideoque Suam Excellentiam AEppalem orandam esse, ut cum in casum, si praeadductam Consistorii opinionem approbatura est, etiam in praevium finem Archipraesuleam interpositionem suam apud Suam Maiestatem SS. facere dignetur. —

1151. Eppus Rosnaviensis sensum AEppi Agriensis exquirit super famosa conditione, et suam sententiam in eo enunciat: conditione hac reipsa nullum reddi matrimonium. 1819. Excellentissime etc. Ex incidenti recursus Ioannis Iankay Ministri H. C. Pédericnsis recentissime ad fidem catholicam conversi, suam ab uxore sua Helv. Conf. addicta, cum qua ante 10 annos copulatus est, e fundamento adiectae conditionis substantiam matrimonii irritantis, quoad vinculum separationem petentis, uberius benigno-gratiosum dd. 27. Iun. 1815. Nro. 18419. emanatum pensavi Intimatum, in quo Consistoria Helv. Conf. addictorum ita regulantur, ut nulli Ministrorum admittatur amplius sub quibuscunque conditionibus copulare, et si quis sub iisdem copulaverit, eaedem pro non adiectis habeantur. Ego interim cum meo Consistorio illius sum mentis, quod conditiones hae adiici in copulatione prohibitae, si

tamen illae non obstante prohibitione adiiciantur, cum directe substantiam matrimonii afficiant, talesque secundum Ius Canonicum impedimentum dirimens inducant, debeant pro sufficienti causa haberi ad adinveniendum divortium vinculare, taleque matr. conditionatum dissolvi debeat. Quod tamen sit Excellentiae Vestrae eatenus sententum, me informari praesentibus humillime obsecro. — Rosnaviae 6. Iul. 1819. C. Lad. Eszterházy, E. R.

1152. **AEppus Agriensis Eppo Rosnaviensi svadet: opinionem plurium Praesulum expetendam esse.** 1819. Illustrissime etc. Iam in procinctu suscipiendi Carolo-Badenas itineris eram, cum Illtis Vestrae aestimatissimae mihi redderentur literae. Continent hae gravioris indaginis quaestionem, quam ut ei in his meis peremtoriis adiunctis debite satisfacere possim: videlicet, an matrimonia Calvinistarum cum conditione ‚donec in puritate et honestate permanseris' contracta sint valida? annon conditio haec substantiam matr. afficiat illudque irritum reddat? Post editam etiam a. 1754. dd. 20. Maii et libro 13 de Syn. Dioec. c. 22. insertam Benedicti XIV decisionem contrarii sensus erant Praesules non pauci Hungariae, uti Agriensis, Weszprimiensis, Vaciensis, Iaurinensis, Transylvaniensis, conditionem hanc non ad consensum, verum ad desertionem et fidei violationem referentes, ideoque matrimonia Calvinistarum non obstante ea conditione pro validis tenentes. Subseque nonnulla Consistoria Hungariae, uti Strigoniense, et Agriense, MVaradinense, matrimonia hac conditione affecta irrita declararunt. Interim magna est quaestio inter Theologos et Canonistas: num conditio haec Calvinistarum sit consensus suspensiva an solum resolutiva? quae non obstat, quin actus statim valeat, eum tamen, si eveniat, solvat ac perimat. Sunt qui conditionem hanc ad impossibiles referunt eo, quod illa, quae lege prohibita sunt, et de iure fieri nequeunt, impossibilia et velut non adiecta habeantur. Iam a. 1774. dd. 12. Dec. Nro. 5458. Maria Theresia adiectionem conditionis huius se-

verissime prohibuit; et a. 1815. dd. 27. Iun. non tantum denuo strictissime prohibetur, sed si furtive etiam adiiceretur, pro non adiecta declaratur. In hoc itaque salebrosae huius quaestionis situ non alind svadere possum, quam ut plurium etiam Epporum in hoc sensa Illtas Vestra exquirat, quod et ipse facturns sum. Obiectum isthoc pront et plurima adhuc alia desiderinm nobis relinquunt Nationalis Synodi ad uniformitatem ubique inducendam. — Agriae 15. Iul. 1819. Stephanus L. B. Fischer, AEppns.

1153. Eppus Rosnaviensis communicat AEppo Agriensi sensa plurium Praesulum ab se exqnisita; quae cum dissentiant ab invicem, orat sententiam AEppi. 1819. Dum 6. Iul. a. c. Excellentiae Vestrae de matrimoniis Helv. Conf. addictorum cum conditione initis scribendi fortunam habuissem, declaraveram: eam esse meam et Consistorii mei mentem, quod non obstante Exc. Consilii LRH. Intimato matrimonia sub conditionibus celebrari vetante, si tamen id fiat, et conditiones substantiam matr. afficientes adiiciantur, secundnm communem Canonistarum sensum semet in declaratione SS. Papae piae memoriae Benedicti XIV lib. 13. de Syn. Dioec. c. 22. habita fundantium matrimonia talia nulla ac irrita sint; ut nihilominus ad divortium Ioannis Iankay antea H. C. addicti, paulo ante ad sinum S. matris Ecclesiae redeuntis, et iuxta Stephani Melotai legendas, consequenter adiecta conditione ‚donec in pnritate et honestate permanseris' copulati, anto tutius procedere possim, eatenus Excellentiae Vestrae ut respectivi Metropolitae mentem expetii. Quia vero ab Eadem Exc. Vestra id in vicem responsi tuli, ut in salebrosae huius quaestionis situ plurium etiam Epporum in hoc sensa exquiram, id facere inter primas officii mei partes reputavi, atque accepto a pluribus Hungariae Eppis hic in genuina copia advoluto responso, cum dissentientes opiniones esse compererim, ut praepondium necessarium subsequatur, declarationem Exc. Vestrae, cui adhaereat parti, mecum quantocius, non secus ac

literas Praesulum nefors hoc in obiecto ad Exc. Vestram, non vero ad me directas, communicari humillime oro. — Rosnaviae, 30. Dec. 1819. —

1154—1166. Responsa Epporum per Praesulem Rosnaviensem consultorum. a) Eppi Scepusiensis. Placuit Ill. D. Vestrae medio aestim. suarum sub 31. Iul. a. c. horsum exaratarum literarum meum in eo requirere sensum, quidnam tenendum sit de matrimoniis Helv. Conf. addictorum, cum hac vel alia analoga conditione contractis ‚donec in puritate et honestate permanseris'? Depromo desideratam in praemissis opinionem meam praesentibus ultro statuendo, quod matrimonia Helv. C. addictorum hac vel alia persimili conditione affecta pro validis reputem, eandemque conditionem in favorem matrimonii pro non adiecta respiciam, dummodo cetera adsint omnia, quae de iure ad essentiam et valorem matrimonii requiruntur; et quidem ita valida esse censeam, ut etiamsi pars una inito iam connubio in adulterium prolabendo atque a puritate et honestate deficiendo praemissae conditioni non responderet, indissolubilitas tamen matrimonii salva semper persistat, quin obtentu hoc fundamentum quodpiam actionis ad vinculi matr. solutionem suscitandae suppetat. Quem meum sensum in sequentibus principiis et reflexionibus fundo. Certum quippe est de communi Canonistarum sententia, quod influxus Supremi terrae Principis in subditorum suorum matrimonia in dubium et quaestionem vocari non possit, sed quod ius illi competat prouti matrimonium dirimentia impedimenta statuendi, ita ab opposito etiam declarandi, quaenam adiuncta et conditiones valori matrimonii officere non possint? Cum enim ex sensu et mente Theologorum Sacramenti matrimonii materiam contractus civilis constituat, et matrimonium sub ratione contractus civilis consideratum ab aliis civilibus contractibus neutiquam differat, quemadmodum Princeps secularis pollet potestate, nonnulla circa contractus civiles statuendi, eosdemque sub his vel illis respectibus pro vigorosis vel minus vigorosis de-

clarandi, ita pollet etiam auctoritate decernendi, an in his vel aliis adiunctis contractus matrimonii validus et vigorosus sit, vel pro minus valido et vigoroso reputari debeat. Atque abhinc repeti debet, quod iure talismodi Principes seculares semper usi fuerint, et quidem non contradicente Ecclesia. Sic consobrinorum matrimonia, quae antea fuerunt valida, Theodosius M. Imp. irrita declaravit; cui tamen Eppi, signanter S. Ambrosius Eccl. Mediolanensis Antistes non contradixit, esto in aliis persaepe sensui Imperatoris contrarius fuerit. Sic rei eiusdem complura comparent vestigia et exempla in Corpore Iuris Can. — Iustiniani tit. 1. et 2. Dig. de spons. et ritu nuptiarum. Unde etiam S. Thomas lib. 4. cont. Gent. scribens ait: ‚Matrimonium, in quantum ordinatur ad bonum politicum, subiacet ordinationi legis civilis.‘ Ex quibus iam manifeste fluit, quod, cum per benignum dd. 12. Dec. 1774. editum et isthic pro requisito notitiae statu copialiter subnexum Intimatum propositam conditionem ‚donec in puritate et honestate permanseris‘ veluti contractus matrimonialis dissolubilitatem facile importare queuntem, et fovendae in praeiudicium sacramenti matr. partium collusioni latissimum ostium aperientem Supremus terrae Princeps et Regni Hungariae Rex Apostolicus e Ritualibus et Agendis Helv. Conf. addictorum simpliciter expungendam clementer praeceperit, eandemque altissimam resolutionem medio alterius ordinis Intimati per Ill. Vestram provocati ultro confirmaverit et ratihabuerit: conditio isthaec, in quantum in obversum harum Resolutionum stipulata nefors haberetur, eo magis in favorem matrimonii pro non adiecta et valori matrimonii concurrentibus aliis ad hunc requisitis non offutura reputari debeat, quod in quantum eadem conditio debitam prolium educationem fluxam reddere huicque praeiudicare posset, ipsam matrimonii substantiam afficere non infundate censeatur. Atque haec est relate ad subversans meritum opinio mea; et si non obstantibus praeadductis reflexionibus meis aliud nefors Ill. D. Vestrae videretur, specialis solatii loco habebo, si suam eatenus mentem Illma D. Vestra fraterne mihi adaperire dignata fuerit. — Scepusii 17. Aug. 1819. Ioannes Ladislaus Pyrker. —

Provocatum Intimatum de a. 1774. (ut supra sub Nr. 1120.)

b) Vic. Cap. Vaciensis. Ad dubium per aestim. Ill. V. literas benevolo et fiduciali cum affectu mihi expositum, gratioso simul mandato obsecuturus, meam opinionem, consideratis adiunctis omnibus, ex certis, ut mihi videtur, theologicis principiis et doctrina Ecclesiae formatam, sequentibus depromere et Ill. V. iudicio substernere festino. Quaestio autem proposita habet: an matrimonia Helv. Conf. addictorum, attento tenore Intimati R. dd. 27. Iun. 1815. adiectionem conditionis ‚donec in puritate et honestate permanseris' per ministros occasione copulationis apponi solitae severissime inhibentis, et, si tamen adiiceretur, pro non adiecta declarantis, cum praemissa conditione contracta sint valida? insuper, an non conditio haec ipsam substantiam matrimonii afficiat, illudque, si ea non obstante Resolutione Regia adiiciatur, irritum reddat? Ad primum igitur quaestionis membrum praenotandum esse existimo, inter Doctores et Interpretes Iuris Eccl. communem vigere sententiam, innixam certae et clarae iuris dispositioni Cap. fin. Tit. de Condit. ‚conditiones turpes et impossibiles in favorem matrimonii pro non adiectis haberi, modo non repugnent substantiae matrimonii' ductu can. 10. Caus. 27. qu. 2. Adversari autem censentur substantiae conditiones illae, quae manifeste bonum prolis, fidei, et sacramenti impedire dignoscuntur. Talem autem esse conditionem apud Calvinistas, praecipue in M. Principatu Transylvaniae, olim in copulationibus usu receptam, illamque ipsam matrimonii substantiam oppugnare, contractumque reddere irritum expressis verbis et adductis gravissimis rationum momentis docet Benedictus XIV Summus Pontifex in Lib. de Syn. Dioec. Omissis igitur aliorum Canonistarum auctoritatibus huic doctrinae suffragantibus, thesim ibidem plene evictam demonstratamque esse arbitror, videlicet nullum atque irritum esse matrimonium, in quo contrahendo apposita fuerit conditio aliqua eiusdem substantiae contraria; conditionem autem de matrimonio ob adulterii causam dissolvendo eiusdem matr. substantiae quam maxime repugnare; secus vero valida esse

censenda matrimonia ab iis contracta, qui, licet sibi falso persvadeant, adulterio interveniente matr. vinculum solvendum esse, id ipsum tamen nullo modo in pactum conditionemque inducunt. Doctrinam hanc affirmat Summus Pontifex in eodem praestantissimo opere Congregationem S. Officii semper et constanter secutam fuisse. Positis hisce principiis sequitur quoad alterum quaestionis membrum, substantiam contractus matrimonialis hac conditione affici, et, si non obstante severissima et iterato emanata prohibitione adiiceretur, spectata constanti Ecclesiae Latinae doctrina matrimonium sic contractum in praxi fori ecclesiastici pro irrito habendum declarandumque fore. — Vacii, 22. Aug. 1819. E. Comes Bissingen, Ep. Iassensis, Vic. G. Cap. —

c) Vic. Cap. Colocensis. Ad datas die 31. Iul. a. c. Illustr. Vestrae literas haec est mea obsequiosa responsio: quod conditio ista ‚donec in honestate et puritate permanseris', si matrimoniali contractui adiiciatur, hunc irritum reddat, post pontificium hac in re editum oraculum dubitari non potest; quamobrem etiam dum in M. Varadinensi Consistorio Secretarii fungerer munere, quodam parochorum referente, quod Helv. Conf. minister aliquis sub praemissa conditione copulationes perficiat, bonae memoriae Adamus L. B. Patachich tunc Eppus Mariae Theresiae Augustae officium pro opportuno imploravit remedio, neque successu res caruit; mox enim prodiit aulicum decretum per Exc. Consilium RLH. die 12. Dec. 1774. eidem Eppo intimatum; factum tamen, ut subinde Miskolczini Ioannes Pap sub praemissa conditione copularetur. Intererat matrimonium hoc pro nullo declarari: in Consistorio proinde Agriensi declaratum est, matrimonium hoc nullum esse, et facta ad Primatiale forum appellatione bonae memoriae AEppus noster Ladislaus Comes a Kollonitz qua Praeses fori illius sententiam primi fori approbavit. Quae res pro effectuandorum effectuatione, siquidem praefatus Ioannes Pap oppidi Bezdán (in quo tunc parochi fungebar munere) incola esset, mecum communicata est, atque idem Ioannes Pap aliis nuptiis se illigavit. — Colocae, 24. Aug. 1819. David Ujváry, Vic. Cap. —

d) Eppi Albaregalensis. Dignabatur Illtas Vestra — opinionem meam exqnirere quoad Reformatorum matrimonia cum famosa illa conditione ‚donec in puritate et honestate permanseris' contrahi solita, num videlicet illa, si non obstante eo, quod dispositione altissimae ordinationis regiae conditio illa adiici prohibeatur, et si adiiciatur pro non adiecta declaretur, cum famosa illa conditione contrahantur, pro validis aut invalidis habenda censeam? In hac quaestione circa valorem matrimoniorum cum famosa hac conditione initorum Sedes Apostolica subinde per Eppum Transylvaniae Sigismundum Antonium L. B. Stoyka interpellata dudum sententiam suam edixit in Brevi ad eundem Eppum dato. Ad hanc decisionem fit provocatio per Benedictum XIV PP. in opere de Syn. Dioec. ubi etiam quaestio haec e proposito tractatur. Quamvis autem Eppus Stoyka decisioni pontificiae ob peculiaria Transylvaniae adiuncta subscribere aliquamdiu tergiversatus fuerit, tamen subseque eadem haec decisio et in Transylvania et in Hungaria usu probata, et secundum illam in Consistoriis pronunciatum fuit. Optime recordor, coram Consistorio Agriensi aliquot processus ad declarandam invaliditatem matrimonii cum famosa hac conditione initi decurrisse per partem ad sacra catholica conversam suscitatos, et in delegato foro Primatiali sub AEppo Kollonitz approbata nullitatis sententia revisos. Prohibita iam olim fuit sub Aug. Domina Maria Theresia conditionis istius adiectio; sed Reformati ministri eam ad religionis suae principia pertinere existimarunt, et non obstante prohibitione eam deinceps etiam exegerunt. Nunc itaque status quaestionis in eo solum mutatus est, quod vi Resolutionis sub 27. Iun. 1815. intimatae expressiones conditionem quampiam involventes pro non adiectis habendae declarentur. Verum opinione mea non omnium conditionum, quae adiici matrimoniis possunt, eadem et par est ratio; et licet aliquae esse possint, quae velut substantiae matrimonii haud repugnantes pro non adiectis ex eo, quod consensum ad matr. requisitum non exclusisse praesumantur, haberi queant; ista tamen conditio matrimoniis Reformatorum adiici solita eius qualitatis est, ut solubilitatem matrimonii in pactum deducat, adeoque substantiae matrimonii repugnet, et ideo non possit simplici-

ter pro non adiecta haberi, verum si eam non obstante prohibitione regia serio animo a scientibus et volentibus adiectam inque pactum deductam fuisse constet, matrimonium cum tali conditione et pacto initum esse invalidum et nullum existimo, cum ei consensus alligatus fuerit, cuius defectum nulla lex supplere, vitiositatem nulla humana auctoritas corrigere potest. — Albae Regiae, 24. Aug. 1819. Ios. Vurum.

e) Eppi Zagrabiensis. Erga aestim. dd. 31. Iul. a. l. sequentem opinionem meam perscribendi honorem habeo: siquidem altissima ordinatio regia dd. 27. Iun. 1815. emanata matrimonia hominum a fide catholica alienorum respiciens generalis sit, adeoque homines quoque Confessioni Helveticae addictos concernat, prohibitionem adiectionis conditionum quarumpiam extra formulam per editionem recentiorem Ritus et Liturgiae Acatholicorum praescriptam ad homines praedictae Confessioni addictos pertinere: attamen quia praemissa prohibitio invaliditatem matrimonii non involveret, quin potius validum matrimonium non obstantibus arbitrariis clausulationibus ultra formulam et ritum praescriptum adhibitis et pro non adiectis habendis manere debere innueret, matrimonia idgenus cum furtiva etiam conditione, donec pars in puritate et honestate permanserit, contracta neutiquam irrita reddi. — Zagrabiae, 27. Aug. 1819. Max. Verhovácz. —

f) Eppi Szathmariensis. Dignabatur Illtas Vra — in eo me interpellare, ut mentem meam de eo, an matrimonia Helv. Conf. addictorum hominum post Intimatum a. 1815. quo disponitur, ut conditio nefors adiicienda ‚donec in honestate permanseris' pro non adiecta habeatur, cum adiecta hac conditione contracta teneant ac valida sint? Illti Vrae depromerem. In cuius fraternae requisitionis consequentiam Illti Vrae honorem habeo significandi, me eousque, quoad casus in mea dioecesi emerserit, declarationem Benedicti XIV in opere de Syn. Dioec. lib. 13. c. 22. in hoc negotio pro directione habiturum. — Szathmarini, 1. Sept. 1819. Petrus Klobusitzky.

g) Eppi Diakovariensis. Quam in aest. suis dd. 31. Iul. a. c. ad me exaratis, a me vero 24. Aug. perceptis super proposito dubio a me officiose requirere dignabatur Ill. Vestra opinionem, hanc, ut pure Eiusdem voluntati ac desiderio obsequar, cum in similibus solvendis dubiis sibi ipsi Illtem Vestram plene sufficere nullus dubitem, in adnexo depromtam exhibeo. — Ad quaestionem propositam: an matrimonia Helv. Conf. addictorum contracta cum conditione ‚donec in puritate et honestate permanseris' valida sint, et annon haec conditio ipsam matrimonii substantiam afficiat? responsum: Prioris partis propositi dubii resolutio pendet a resolutione sequentis, nempe an praemissa conditio ipsam matr. substantiam afficiat? Certum enim est, matrimonium vitiari et ipso iure nullum esse, si apposita conditio repugnet substantiae matr. textu claro C. fin. de Condit. ubi legitur: ‚Si conditiones contra substantiam coniugii inserantur, — matr. contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu, licet aliae conditiones appositae, si turpes aut imposibiles fuerint, debeant propter eius favorem pro non adiectis haberi.' Porro matr. iuxta frequentius receptam definitionem, quae traditur principio de patr. pot. et in summa Caus. 27. qu. 2. est viri et mulieris coniunctio individuam vitae consuetudinem retinens, adeo quidem, ut iuxta communem et certam sententiam matrimonium, sive spectetur ut contractus, sive ut sacramentum, praeter bonum prolis et bonum fidei, seu mutuae fidelitatis vi coniugii debitae, etiam bonum individuae et indissolubilis societatis essentialiter includat. Can. Omne 10. Caus. 27. qu. 2. His praemissis adiectam conditionem ‚donec in puritate et honestate permanseris' directe opponi tertio essentiali bono matrimonii, individuae scilicet et indissolubili coniugum societati, clarum est: quia contrahens cum hac conditione matrimonium sibi reservat ius et potestatem alium coniugem deserendi et alii pro lubitu nubendi, si compars adulterium committat. Sed nec minus perspicuum, conditionem hanc ita vitiare matrimonium, ut nullum sit et dici debeat, quippe repugnante praemissa conditione ipsi matrimonii substantiae, et ideo ipso iure matrimonium nullum reddente. Neque censere possum, appositam seu explicite seu tacite a

coniugium contrahente praemissam conditionem simpliciter pro non adiecta haberi posse; etsi enim conditio turpis aut impossibilis, non tamen repugnans substantiae matrimonii, non invalidet matrimonium, sed pro non adiecta habeatur, nisi e circumstantiis constet talem conditionem serio, consequenter sine animo contrahendi adiectam fuisse, pro quo casu iuxta communem sententiam matrimonium nullum foret; non tamen id obtinet in proposito dubio, ubi saepememorata conditio directe adversatur essentiali matrimonii intento effectui, qui est, quod obliget ad individuam vitae consvetudinem, ex illa saltem tacita et virtuali contrahentium intentione promanantem, qua ad perpetuum ac nonnisi per mortem dissolubile vinculum semet contrahentes obligant, cum matrimonium ad tempus contrahi nequeat. Cap. Solet. Caus. 32. qu. 2. — Cap. fin. de cond. appos. — Atque ideo opinione mea in praemissis fundata, si contrahens matrimonium saepedictam et in quaestione positam conditionem occasione copulationis sive expresse sive furtive adiiciat, non pro non adiecta, sed pro irritante et matrimonium ipso iure invalidum reddente haberi debet. Nec immerito: sane si matrimonia sub honesta conditione de praesenti, praeterito, vel futuro ob plura incommoda contrahenda admittere consultum non videtur, nisi specialis urgeat ratio: atque ideo parochis svadeatur, ne talibus assistant; aut si ob gravem causam sub conditione contrahatur, illud consummare non admittant, donec certo constet conditionem esse adimpletam, ne eveniat post multiplicem usum matrimonii, istud e defectu non adimpletae conditionis reapse nullum esse: quanto magis repudianda sunt matrimonia sub conditione de futuro ipso iure illa irritante, qualis haec est, quae in quaestione versatur; e cuiusmodi matrimoniis, si adiecta praemissa conditio simpliciter et duntaxat pro non adiecta, stante interea matrimonio eiusque usu admisso censeri posset, gravissima scandala, animarum pericula, et prolium infortunia — necessario secutura nemo est qui non pervideat. Certe matrimonium ab exordio mundi a Deo institutum est pro legitima et ordinata humani generis propagatione, et ad ponendum repagulum promiscuae et vanae libidini: qui uterque finis cessat, si toties quaestionata conditio locum haberet, ut solum

pro non adiecta simpliciter consideraretur, sine vitio laesae ipsius substantiae in huiusmodi contractu matrimoniali. — Diakovarini, 1. Sept. 1819. Emericus Carolus Raffay.

h) Eppi Neosoliensis. Erga aestim. Ill. Vestrae literas dd. 31. Iul. a. c. ad me exaratas non moror petitam opinionem sequentibus depromere. Et quidem quod attinet quaestionem: an matrimonia Helv. Conf. addictorum cum conditione ‚donec in puritate et honestate permanseris' contracta sint valida? prona est responsio secundum declarationem Sanctissimi Papae piae memoriae Benedicti XIV. lib. 13. de Syn. Dioec. c. 22. qui provocative ad Decretalem Gregorii IX ‚de condit. appos. Cap. Si conditiones', et celebriores Canonistas ac Theologos textum praelaudatum exponentes in nexu postulati per Transylvaniae Eppos circa matrimonia Calvinistarum propositi quaestionem hanc isthic agitatam ita resolvit §. 9: valida quidem censenda esse matrimonia ab iis contracta, qui licet falso sibi persvadeant, adulterio interveniente (id est, puritate et honestate deficiente) matrimonii vinculum solvendum esse (uti etiam Helv. Conf. addicti tenent), id ipsum tamen nullo modo in pactum conditionemque deducunt; at irrita et nulla esse connubia, in quibus id expressum consulto fuerit tamquam pactum atque conditio. Unde suapte liquet, matrimonia Helv. Conf. addictorum cum praemissa conditione contracta invalida et nulla esse. Ratio, cui resolutio quaestionis praesentis innititur, huc redit: Certum est, matrimonii consummati perpetuam firmitatem seu indissolubilitatem e iure divino scripto profluere, uti evidenter infertur e Cap. 2. Gen. v. 24. et verbis Christi apud Matthaeum c. 19. relatis, quod iam et Summus Pontifex Bonifacius VIII. et Patres C. Tridentini adverterunt. Necminus certum esse videtur, matrimonii vinculum haud dissolvi, si ab alterutro coniugum fides coniugalis, adeoque honestas et puritas adulterio frangatur; quod enim a Christo Domino dicitur Matth. 19: ‚dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur', non ita debet intelligi, ut interveniente fornicatione locus esse possit eiusmodi dimissioni, qua matr. vin-

culum dissolvatur, sed dimissioni tantum, quae cohabitationem tollat, intacto coniugii vinculo remanente, quemadmodum explicat C. Tridentinum Sess. 24. de Sacr. Matr. c. 7. Sed et gravia sunt argumenta communem hanc Theologorum sententiam evincentia, e quibus haec duo isthic commemorasse sufficiat: 1. Cum tam S. Marcus c. 10, 11. 12. quam S. Lucas c. 16, 18. referentes verba Christi apud Matthaeum loco cit. utpote c. 19. superius relata, absolute sine ulla restrictione statuant, ne vir uxorem dimittat, et si dimiserit, aliam ne ducat, secus adulterium, fornicationem et moechiam commissurus: hinc si reapse Matth. 19. illud ‚nisi ob fornicationem' deberet significare causam divortii quoad vinculum, certe vel Christus ipse sibi vel Evangelistae sibi invicem contradicerent; quod cum nullatenus admitti queat, tenendum, illud ‚nisi ob fornicationem' ad praecedentia verba referri oportere, ut indicet causam dimissionis quoad cohabitationem, non vero ad subsequa, quibus de novo post dimissionem coniugio agitur. 2. S. Paulus Rom. 7, 2. 3. tum I Cor. 7, 10. 11. declarat, numquam solvi coniugii vinculum nisi per mortem; quodsi vero Christus Matth. 19. docuisset dissolutionem vinculi coniugalis per fornicationem, annon doctrina Pauli citatis locis comprehensa falsa, doctrinae Christi adversa dici deberet? hinc ita conciliamda est S. Pauli doctrina, ut Christi doctrinae non adversetur; nimirum admittit et Paulus, quemadmodum Christus, ut coniuges e causis certis, qualis speciatim est adulterium, separari queant ratione thori et cohabitationis, vinculo attamen coniugii intacto remanente. Ex his plane consequitur, matrimonium inter virum et feminam contractum firmum censeri debere, tametsi Helv. Conf. addicti falso opinentur, matrimonium quoad vinculum adulterio interveniente dissolvi: siquidem credendum est, eos generali voluntate contrahere velle matrimonium validum iuxta Christi institutionem, ac proinde firmum, etiam adulterii causa non dissolvendum; privatus quippe error nec anteponi debet, nec praeiudicium adferre potest generali voluntati, ex qua contracti matrimonii validitas et perpetuitas seu firmitas pendet. Unde resultat, matrimonia etiam Helv. Conf. addictorum absolute contracta valida esse. In hunc sensum disserit Benedictus XIV loco citato.

Verum aliter se res habet quoad matrimonia per eosdem Helv. Conf. addictos contracta cum adiecta conditione ,donec in puritate et honestate permanseris.' Duo nempe sunt genera conditionum docente Gregorii IX Decretali de cond. appositis: primum videlicet earum, quae sunt contra substantiam matrimonii, alterum vero illarum, quae aut turpes sunt, aut executioni mandari non possunt et impossibiles nominantur. Si conditiones primi generis in contractu matr. apponantur, declarat Summus Pontifex, matrimonium per eas nullum et irritum reddi; quam declarationem Theologi et Canonistae sequenti muniunt ratiocinio: quicunque contractum vult, necesse est, ut eiusdem substantiam velit, si proinde contrahentes in matrimonii foedere ineundo conditionem apponunt illius substantiae contrariam, certissimum hoc est argumentum, neqnaquam eos in veri matrimonii contractum consentire, sine contrahentium autem consensu matrimonium esse non potest; si vero in contrahendo matrimonio appositae solum fuerint conditiones secundi generis, illicitum quidem fieri matrimonium, at minime nullum, conditiones autem pro non appositis haberi. His praemissis iam expendendum restat: an conditio illa ,donec in puritate et honestate permanseris' sit substantiae matrimonii contraria? Papa Benedictus XIV. loco citato manifeste declarat, conditionem praedictam substantiae matrimonii quam maxime repugnare, cum ad substantiam matrimonii referatur eiusdem firmitas seu indissolubilitas, huic vero conditio illa aperte adversetur. Itaque iam palam est, matrimonia Helv. Conf. addictorum cum praemissa conditione contracta irrita esse et nulla. Quaestio altera, an non conditio haec ipsam substantiam matrimonii afficiat, illudque, si ea, non obstante Resolutione Regia dd. 27. Iun. 1815. emanata, adiiciatur, irritum reddat? duobus constat membris: primo videlicet, an conditio haec ipsam substantiam matr. afficiat? et altero, an, si conditio ea, non obstante laudata Resolutione R. adiiciatur, matrimonium irritum reddat? Quod attinet primum membrum: resolutio eius e supra adductis iam suapte patet; ipse namque Benedictus XIV. loco citato declarat, conditionem hanc, utpote indissolubilitatem coniugii sufferentem, substantiae matrimonii repugnare, proinde afficit

matrimonii substantiam. Verum non ita clare liquet secundum membrum. Ut enim ad hoc plene responderi queat, prius sequens quaestio decidenda est: an scilicet Resolutio Regia, quae conditionem eam severissime prohibitam, furtive tamen adiiciendam, pro non adiecta declarat, possit hac ratione consensum ad matrimonium valide contrahendum requisitum, qui alias adiecta conditione illa deesse supponitur, supplere? Affirmanti hac in parte sententiae suffragari potest id, quod Summus terrae Princeps subditorum suorum contractus limitare seu circumscribere ita valeat, ut nonnisi sub certis praescriptis conditionibus valorem suum retineant, deficientibus vero illis valore suo frustrentur. Hoc principio stante conditio illa quaestionata Resolutione R. prohibita et furtive nefors adiicienda pro non adiecta declarata consideranda esset, velut non apposita; cum vero, uti in superioribus praemissum, matrimonia etiam Helv. Conf. addictorum absolute, citra conditionem suprafatam, contracta valida sint, sequeretur, matrimonium in conformitate Resolutionis R. praecitatae, si etiam furtive conditio illa prohibita adiiceretur, validum esse. Verum non deest quoque motivum sententiae neganti: cum enim consensus omnis pendeat ab interna voluntatis determinatione, quae nulla vi potentiaque externa cogi potest, consensus autem serius ac liber ad matrimonii contractum essentialiter sit requisitus, hinc concludi debere videtur: matrimonium, si conditio ea, non obstante laudata Resolutione Regia, adiiciatur, irritum et nullum esse ex defectu consensus ad matrimonii substantiam requisiti. Ut adeo membrum hoc secundum quaestionis secundae veri nominis dubium evadat. Mea proinde opinio esset, intuitu postremi huius membri secundum exempla priorum temporum laudabilia consulendos esse omnes Hungariae Praesules, et his nefors in dubio permanentibus ipsam Sedem Apostolicam, quo sic in evenibili casu omnis sufferatur dubietas, magisque securitati consulatur, interea vero, si necessario agendum fuerit, quae videbitur pars tutior, eligatur. — In S. Cruce, 1. Sept. 1819. Antonius Makay.

i) Eppi Nitriensis. Nescio, ubi tamdiu peregrinatae sint literae ab Ill. ac. RR. Dom. Vestra die 31. Iul. datae et ad me nonnisi die 23. Aug. perlatae? quibus quia propter supervenientem graviorem alterationem respondere non poteram, nunc, dum primum possum, respondeo. Bene et sancte ab Alto prohibentur matrimoniales cum clausula et conditione illa ‚donec in puritate et honestate permanseris' inter Acatholicos quandoque iniri soliti contractus. Iam enim de similibus contractibus propter casus in Transylvania deprehensos et per eius temporis Eppum promotos sub magnae memoriae Regina Maria Theresia magni motus, graves investigationes, et prohibitiones intercesserunt. Verum si matrimonia, non obstante hac etiam recentiore prohibitione, cum simili clausula et conditione contrahi contingat, absit, ut nos illa pro validis et iure legitimis agnoscamus, seu inter Catholicos seu inter Acatholicos contrahantur. Naturam enim matrimonii, prout illud ab auctore Deo institutum est, nulla lex, nulla Deo inferior potestas mutare potest. Iam autem indissolubilitatis proprietatem matrimonio ab auctore et institutore Deo intrinsece inditam esse, memoratam vero conditionem matrimoniali contractui appositam cum hac essentiali matrimonii proprietate pugnare constat. Hinc quisquis cum tali conditione contrahit, vult quidem contrahere et contrahit, uti supponitur, sed a parte rei non contrahit, quia conditionem cum substantia contractus matr. pugnantem et indissolubilitatis proprietati contrariam adhibendo, eique suum assensum alligando ipsum contractum matr. destruit; impleturque in illo dictum Spiritus S. attestantis: ‚una manu aedificans, et altera destruens, non proficit nisi ad ruinam.' Quod pro casu, quo similis conditio adiiceretur, per ben. gr. Intimatum pro non adiecta declaretur, ego aliter accipere non possum, quam quod matrimonia ita deinceps contrahenda pro foro et in foro externo impugnandi facultas et actio pro futuro sufferatur. — Mocsonok, 8. Sept. 1819. Ios. Kluch.

k) Eppi Weszprimiensis. Aestimatissimis Ill. Vestrae literis ad mentem meam circa valorem matrimoniorum Reformatorum sub conditione ‚donec in puritate et honestate

permanseris' contractorum explicandam provocatus, fraterne respondeo: quod, stante Resolutione Regia de 27. Iun. 1815. publicata, virtute cuius quascunque conditiones contractibus suis matr. adiicere prohibentur, haeque pro non adiectis declarantur, contracta sub praevia conditione, nullam utique in obversum altissimae Resolutionis R. vim habente, matrimonia omnino pro validis censeri debeant, quidquid ante editam hanc Resolutionem hac in re obtinuerit. — Weszprimii, 25. Sept. 1819. Georg Kurbély.

l) AEppi Strigoniensis. Erga literas Ill. Dom. Vestrae dd. 31. Iul. quaestionem matrimonialem ad me perferentes, et animi mei sensa exquirentes declaro: matrimonia coram ministris alienarum a Religione Catholica Confessionum sub conditione ‚donec in puritate et honestate permanseris' contracta in Hungaria, ubi haec conditio pro non adiecta haberi debet, alio vitio non affecta pro validis esse habenda; secus vero in Transylvania, quo ordinatio regia dd. 27. Iun. 1815. nondum penetravit; in Hungaria proinde ordinationi huic eo magis deferendum, quod argumentum a Benedicto XIV L. de Syn. Dioec. adlatum, quod videlicet qui matrimonium sub conditione eius substantiae repugnante contrahit, in matrimonium consensisse non censeatur, facile sic retorqueri possit: qui matrimonium sub hac conditione init, verum matrimonium contrahere vult, igitur adiecta substantiae matrimonii repugnans conditio pro non adiecta, ita praesertim contractus matrimoniales moderante Summo terrae Principe, haberi debet. Ceterum ad praxim Transylvaniae plene intelligendam lectu dignum est Benedicti XIV de Syn. Dioec. libri 13. caput 22. ubi matrimonium Macskásianum ex conditione illa adiecta nullum declarat, et si pars alterutra ad fidem cath. convertatur, tali potestatem facit ad alia vota transeundi. Cuiusmodi declaratio Transylvaniae quoque innumeras peperit difficultates, finaliter ea solum ratione superatas, quod Pontifex declaraverit: non fuisse nec esse sibi rem de iis matrimoniis, quae a Calvinianis in haeresi contrahuntur, et in erroribus suis ad obitum usque perseverant; Augusta autem Maria Theresia decisioni Benedictinae Regium Placetum adiecerit: quod

Acatholici qui sub conditione ritu suo matrimonium contraxerunt, et religionem catholicam postea amplectuntur, prius separationem in foro suo impetrare teneantur, antequam ad novum matrimonium apud catholicos admittantur. Rescriptum isthoc Reginm quemadmodum Transylvanis pacem conciliavit, ita novum in Hungaria emanatum securitatem Illustr. Vestrae praestabit sufficientem. — Felső-Gáld, 15. Oct. 1819. Princeps Alexander a Rudna.

m) Eppi Iaurinensis. Incidenti ex eo, quod virtute Intimati dd. 27. Inn. 1815. conditionis ‚donec in puritate et honestate permanseris' per alienarum a fide catholica confessionnm ministros occasione copulationis sponsorum fieri solita adiectio severissime prohibeatur, et si furtive etiam adiiceretur, pro non adiecta declaretur, dignabatur Ill. Vestra ex me quaerere: an matrimonia Helv. Conf. addictorum cum praemissa conditione in obversum factae prohibitionis contracta pro validis aut pro irritis habenda iudicem? Fraternae huic provocationi sincero et fraterno cum obsequio respondere cupiens mentem meam sequentibus aperio. Benedictus XIV. maximae eruditionis Pontifex in Syn. Dioec. l. 13. c. 22. non dubitat praxim haereticorum Transylvaniensium, contractui matr. conditionem hanc ‚donec in puritate et honestate permanseris' adiicientium, damnare, et matrimonia sub tali conditione, utpote substantiam ipsius matr. vitiante, contracta pro nullis et irritis declarare. Cuius Pontificis decisioni quoad matrimonia haereticorum cum memorata conditione ante emanatam prohibitionem regiam contracta standum esse non dubito. Ast posteaquam Altissimo loco declaratum fuit, conditionem hanc ‚donec in puritate et honestate permanseris' etiamsi furtive contractui matr. adiiceretur, pro non adiecta habendam esse, haecque ipsa Altissima declaratio ubivis publicata extitit, non puto fieri posse, ut aliquis Protestantium deinceps contractui matr. memoratam prohibitam conditionem, nullum utpote effectum habituram, seria mente et voluntate adiiciat. Quodsi autem conditio — a tempore emanatae prohibitionis regiae nec seria mente contractui matr. adiici, neque ullum effectum habere potest, concludendum videtur, quod furtiva

eiusdem conditionis appositio substantiam matrimonii non vitiet. — Iaurini, 1. Dec. 1819. Ernestus Princeps Schwarzenberg.

n) Vic. Cap. M. Varadinensis. Ad aestim. Ill. Vestrae dd. 31. Iul. ad me exaratas literas, quibus sentimentum meum circa matrimonia Helv. Conf. addictorum cum conditione famosa contracta reflexe ad Intimatum de 27. Iun. 1815. expetere dignatur, praesentibus aliquantum tardius ob longiorem meam Varadino absentiam, audito etiam Consistorio, rescribendum habeo: famosam illam conditionem ‚donec in puritate et honestate permanseris' substantiae matrimonii adversari, ex eo, quod indissolubilitati matr. contraria sit, prouti uberius videri potest ex declaratione Benedicti XIV. l. 13. de Syn. Dioec. c. 22. Proinde matrimonia Reformatorum, si quae cum praedicta conditione etiam post Resolutionem R. contraherentur, secundum principia Religionis Cath. nulla esse, et ad agnoscendam huiusmodi matrimonii validitatem argumento etiam Art. 26: 1791. Eppos haud obligari. Atque sic in casibus coram foro spirituali Catholicorum nefors occursuris, ita exigentibus tam Religionis Cath. principiis, quam et legum patriarum dispositionibus, iuxta ss. canones Ecclesiae Cath. signanter iuxta cap. ult. de cond. appos. et declarationem Benedicti XIV. indicandum esse censeo. — MVaradini, 10. Dec. 1819. C. Lad. Csáky, Vic. Cap.

1167. AEppus Agriensis rescribit Eppo Rosnaviensi: matrimonia etiam cum famosa conditione inita pro validis habenda esse. Rem mihi oppido gratam praestitit Ill. Vestra, sensa Epporum in quaestione de valore matrimoniorum per Helv. Conf. addictos cum conditione ‚donec in puritate et honestate permanseris' in obversum altissimarum prohibitionum iam a. 1774. dd. 12. Dec. interventarum et a. 1815. dd. 27. Iun. novitus ac districtius adversarum, contractorum mecum communicando. Confirmor in ea opinione mea, quam Ill. Vestrae nuper per-

scripseram, quaestionis huius salebrosae, in qua periculum quodpiam compromissionis utriusque Potestatis, sacrae et civilis, subversari posse videtur, uberiorem discussionem ad Conventum Epporum reservandam esse. Necessitatem huius ipsae Epporum dissentientes opiniones magis adhuc evincunt. At quia Illustritas Vestra meam quoque declarationem, cuinam parti adhaeream, desiderat, et forte decisio casus, in quo Ill. Vestra versatur, moram non admittit, lubens et in hoc pro animi mei convictione satisfaciam. Utramque Potestatem, utpote a Deo profectam, pari reverentia et obsequendi studio prosequutus, et de obligativo influxu potestatis civilis in contractus matrimoniales florente iam etiam Ecclesia Catholica exercito factis historicis indubiis edoctus, censeo: matrimonia Helv. Conf. addictorum post emanatas supra adductas legitimae potestatis civilis prohibitiones cum famosa illa conditione contracta esse omnino valida. Eo ipso enim, quod conditio haec per legitimam potestatem, et relate ad acatholicos ex ipsa illorum doctrina supremam severe prohibita sit, ad impossibilem nedicam turpem refertur: ea enim, quae de iure fieri nequeunt, impossibilia vocantur; ideoque merito etiam pro non adiecta, nec post prohibitionem amplius substantiam matrimonii afficiens habenda est. Prima igitur praecipuaque intentio contrahendi matrimonium ex praescripto legis divinae, quam et acatholici merito censentur habere, conditione hac iam prohibita, iam impossibili reddita, et pro non adiecta reputata, amplius perimi nequit, ideoque nec consensus eorum ad perpetuum constringendum matrimonii vinculum vitiari. Puto me opportune hic adducturum ea, quae ad posita per piae memoriae praedecessorem meum C. Carolum Eszterházy dubia fel. rec. Pius VI. P. M. eidem dd. 11. Iul. 1789. in haec verba respondit: ‚Et sane, cum acatholici merito censeantur non aliter contrahere, quam ex praescripto divinae legis, nisi haec prima praecipuaque intentio contraria expressa conditione apposita perimatur, (quod quidem post emanatas prohibitiones regias, uti supra dictum est, impossibile iam redditur) non obstat privatus error, quem mente gerunt, quin velint consensum, quem actu praestant, ad eius divinae legis praescriptum accomodare: quale revera est; quod satis est,

ut consensus ille aptus sit per sese ad perpetuum constringendum matr. vinculum, prout ipsa divina lege, quam sequi volunt, omnino praescribitur ac sancitur.' Ex his itaque breviter in medium prolatis intelliget Ill. Vestra, ut a processu divortiali Ioannis Iankay e Helv. Confessione ad sinum Ecclesiae Cath. redeuntis penitus praescindat, ne causae huius in obversum praeexistentium positivarum Resolutionum Regiarum decisione inamoenitates quasdam sibi facile accersat. — Agriae, 29. Ian. 1820. Stephanus L. B. Fischer.

1168. Sententia Consistorii Metr. Agriensis pro nullitate matrimonii cum famosa conditione initi, a. 1855. pronunciata, et in foro Primatiali confirmata. „In Cons. Metr. Agriensi diebus 3. et 4. Dec. 1855. in nomine SS. Trinitatis deliberatum est: In causa ‚Rosae Porkoláb' Rom. Cath. qua Actricis contra matrimonium ‚Pauli Megyeri et Helenae Bekény' amborum Helv. Conf. cum famosa conditione initum suscitata — eveniente eo, quod iuxta docum. 7. et 8. in Liturgia sive Agenda Helv. Conf. addictorum a. 1832. Sárospatakini edita conditio ‚donec in puritate et honestate permanseris' in formula copulationis matr. contineatur; et iuxta doc. 5. authenticae investigationis e fassionibus testium adunatae sponsus Actricis Paulus Megyeri cum Helena Bekény a. 1848. in Comitatu Szabolchensi — cum praedicta conditione copulatus extiterit; — siquidem matrimonia cum simili conditione, substantiae matrimonii repugnante, contracta, tum generatim per legem ecclesiasticam, quippe Cap. 7. de cond. app. tum speciatim relate ad haereticos et schismaticos per plures Pontificias et SS. Congregationum declarationes, signanter Benedicti XIV PP. de Syn. Dioec. lib. 13. cap. 22. n. 9; Pii VII PP. ad AEppum Moguntinum dd. 3. Oct. 1803; S. Congr. Concilii in causa Ulyssiponensi nullit. matr. dd. 16. Mart. 1720. §. 3. et 23. — in causa Florentina dd. 29. Mart. 1723. §. 43. — in causa Eystettensi dd. 9. Febr. 1732. §. 5. et dd. 8. Mart. 1732. §. 1. et 7. tamquam irrita et nulla enuncientur;

legibusque his ecclesiasticis Intimatum Consilii RLH. dd. 27. Iun. 1815. ad Consistorium Reformatorum dimissum, quo ministri ab adhibenda occasione copulationis quacunque conditione inhibentur, et, si eo non obstante, illam adhiberent, haec pro non adiecta considerari praecipitur, eo minus praeiudicare posset, quod id cum Consistoriis Catholicis duntaxat pro notitiae statu communicatum sit, et, si etiam tamquam vi obligativa praeditum communicatum fuisset, quemadmodum initio velut principiis Ecclesiae Cath. repugnans vim obligandi neutiquam habuit, ac eapropter in Consistorio Agriensi die 11. Mart. 1816. cum protestatione et contradictione exceptum fuit, ita deinceps quoque, signanter post Instructionem Cardinalis Lambruschini ad Primatem et Eppos Hungariae die 30. April. 1841. Pontificio nomine editam, et per Regimen Civile absque ulla reflexione publicari admissam, in qua matrimoniorum seu mixtorum seu protestanticorum cum conditionibus substantiae matr. adversis initorum nullitas clare enunciatur, demum post recentissimum Concordatum inter Suam Sanctitatem Pium IX et Suam Maiestatem Imp. Regem conclusum, in sensu art. 10. et 35. omnem, si quam habuisset, obligandi vim amisisse censendum sit: hinc matrimonium inter actricis sponsum Paulum Megyeri et Helenam Bekény ritu protestantico cum conditione substantiae matr. adversa initum (et iam etiam solutum) iuxta praedictas Ecclesiae leges tamquam ab initio nullum atque irritum iudicialiter declarari, et Actricem ad contrahendum matrimonium cum praefato Sponso, qui iuxta doc. 5. catholicam prolium educationem datis Reversalibus iam securam reddidit, si nullum aliud obstet canonicum impedimentum, liberam pronunciari.“ — In superrevisorio Foro Primatiali a. 1856. die 15. Ianuarii deliberatum est: „sententiam primi fori approbari.“

C. Monumenta Austriaca.

a) Ad historiam matr. mixt. usque a. 1853.

1169.

Responsum Theologorum protest. Helmstadiensium ad quaestionem: num Principissa lutherana Regi catholico nubere volens, tuta conscientia Religionem Catholicam amplecti possit? 1705.

Die Frage, ob eine der evang. luther. Religion zugethane Prinzessin wegen der Vermählung mit einem kath. Könige mit gutem unverletztem Gewissen die römischkath. Religion annehmen könne, kann nicht wohl und gründlich erörtert werden, es sey denn, dass zuvor diese Frage ausgemacht und erörtert sey: ob die Römisch-Katholischen im Grunde des Glaubens und der Seligkeit irren, oder was ebensoviel ist, ob die Lehre der röm. kath. Kirche so beschaffen sei, dass man dabei weder den wahren Glauben haben, noch zur Seligkeit gelangen könne? Hier ist nun mit ‚Nein' zu antworten. Und diess um dreier Ursachen willen: 1. weil sie (die kath. Kirche) mit uns einerlei Grund des Glaubens und Wandels hat, oder eben diejenigen Lehren führt, welche zur christthätigen Erkenntniss erfordert werden. Denn unser Grund des christlichen Glaubens und Wandels ist dieser, dass wir glauben an Gott den Vater, der uns erschaffen, an den Sohn Gottes, der uns von Sünden, Tod, Teufel und Hölle erlöst hat, und an den heil. Geist, der uns erleuchtet und geheiligt; dass wir aus den 10 Geboten lernen, wie wir gegen Gott und den Nächsten leben und uns verhalten sollen; dass wir aus dem h. Gebete des Herrn oder ‚Vater unser' begreifen, wie wir beten sollen; und dass wir der heil. Taufe und des heil. Abendmahles uns bedienen, weil sie Christus der Herr eingesetzt und verordnet hat; wozu noch kommt das Amt der Schlüssel, dass wir glauben, den Aposteln und ihren Nachfolgern im Amte, d. i. den Dienern der christ. Kirche, sey von

Christo die Macht gegeben worden, den Bussfertigen die gnädige Vergebung ihrer Sünden, den Unbussfertigen aber Gottes Zorn und Strafe anzukündigen, und also jenen die Sünde zu erlassen und diesen zu behalten; und dass wir demnach, um von unsern Sünden im Namen Gottes absolvirt zu werden, uns in dem Beichtstuhle zuweilen einfinden, und unsere Sünden beichten und bekennen. Wer diess glaubt und thut, der hat den Grund des Glaubens und der Seligkeit; und kann also selig werden. Auf diesem Grunde kann der Gelehrte sowohl als der Ungelehrte, wenn er ein Christ und Kind Gottes ist, auch ein Erbe des ewigen Lebens sein will, leben und sterben. Diesen Katechismus, oder diesen Inhalt der christlichen Lehre haben nicht allein wir Protestanten, sondern die Römisch-Katholischen haben ihn auch, und haben ihn mit uns gemein; und wenn sie Jemand im christlichen Glauben und Wandel unterrichten wollen, so treiben sie mit ihm eben diese Stücke, und unterweisen ihn gleicher Weise, was er glauben und thun solle, wenn er wolle ein Christ sein und selig werden, wie solches in dem römischen Katechismus, dessgleichen aus Canisii, Solusii und andern Katechismen, ebenso aus dem unlängst auf's Neue wieder abgedruckten Hildesheimischen Katechismus zu sehen ist. Daher sagt die Augsburgische Confession in der Vorrede, dass alle (die Römisch-Katholischen und die Protestanten) unter einem Christo seyen und streiten; und in dem Beschlusse in dem 21. Artikel, dass unsere (der Protestanten) Lehre gemeiner christlichen ja römischen Kirchen, so viel aus den Schriften der Väter zu merken, nicht zuwider oder entgegen ist; — die Apologie der Confession im Artikel von der Rechtfertigung, dass man nicht geschwind glauben soll, die römische Kirche glaube eben das, was der Papst, wenigstens als Privatlehrer, Cardinäle oder Bischöfe, oder einige Theologen und Mönche für recht halten, thun und lehren, dass allezeit bei etlichen Frommen die Erkenntniss Christi geblieben, dass wir nicht alle (Römisch-Katholische) anklagen; denn wir halten dafür, es seyen weit und breit in den Klöstern fromme und ehrliche Leute, welche von den Menschensatzungen mässiglich halten, und die Grausamkeit, welche die Heuchler bei ihnen üben, keineswegs billi-

gen. Lutherus bekennt im 4 Jänaischen Theile p. 320. dass unter dem Papstthum viel christliches Gutes, ja alles christliches Gutes sey. Dergleichen hat er auch in dem 6 pag. 92. Im 7 pag. 171 sagt er, dass diejenigen, welche mit ihnen bekennen, (wie auch die Röm. Kath. thun) Christus sei vom Vater gesandt worden, dass er durch seinen Tod uns mit demselbigen versöhne, und uns Gnade erwerbe, für seine lieben Brüder und Glieder der christl. Kirche erkenne. Und Philipp Melanchton schreibt in ‚Apol. Aug. Conf. Cap. de Ecclesia', dass die, welche den Grund des Glaubens behalten, gewesen seien, annoch seien, und sein werden Gotteskirche, obgleich etliche mehr, etliche weniger Licht gehabt haben und haben werden. 2. Weil unter dem Papstthume eine wahre Kirche, d. i. eine solche Versammlung der Menschen ist, welche Gottes Wort hören und die von Christo eingesetzten Sacramente gebrauchen; denn wenn keine wahre Kirche daselbst wäre, oder gewesen wäre, so müssten alle, die der röm. kath. Kirche zugethan sind, oder gewesen waren, verloren und verdammt sein; welches aber keiner der Unsrigen jemals gesagt, oder geschrieben hat. Ja vielmehr in diesem Principio oder Grundsatz, dass eine wahre Kirche unter dem Papstthume geblieben sey, will Dr. Luther erweisen, (das aber noch sehr disputirlich ist) dass der Papst der Antichrist sei. In seinem Commentario ad Galat. schreibt er also: ‚Wo das Wort Gottes und die Sacramente wesentlich bleiben, da ist eine heil. Kirche, ungeachtet, dass der Antichrist daselbst regiere'. Auf diese Weise wird im ‚Epitome examinis Phil. Melanchtonis' auf die Frage: ist unter dem Papstthume keine wahre Kirche gewesen? also geantwortet: in allweg ist eine gewesen; denn es ist bekannt, dass auch in dem päpstlichen Reich geblieben sei das Wort Gottes, und die daher genommenen Stücke der christl. Katechismuslehre, nämlich die 10 Gebote, das Apost. Glaubensbekenntniss, das Gebet des Herrn, oder Vater unser, die Lehre von der Taufe, die Stücke der sonntäglichen Evangelien, und der Episteln, aus welchen die Auserwählten den Grund der christlichen Wahrheit erlernt, und die Menschensatzungen entweder nicht geachtet, oder in dem Kampf der Anfechtung, und des Todes hinweg-

geschmissen haben. Dieser Epitomen Autor ist Johann Saubertus, weiland erster Prediger in Nürnberg, welchen Herr Herzog Augustus glorwürdigsten Andenkens sehr werth gehalten, und hat derselbe solches aus Hafen-Reflexi, des berühmten Tübingischen Theologen locis theologicis genommen, welches Buch für so orthodox gehalten ist, dass es auch in ganz Schweden in den gemeinen und hohen Schulen angeführt wird. 3. Weil sowohl die Römisch-Katholischen, als wir glauben, und mit Herz und Mund bekennen, auch öffentlich und in Schriften lehren, es sei in keinem Andern Heil, es sei auch kein anderer Name den Menschen gegeben, worin sie mögen selig werden, als der Name Jesu, und dass der Mensch vor Gott gerecht werde, nicht durch des Gesetzes Werke, noch durch die Verdienste der Werke, sondern durch die Gnade und Barmherzigkeit Gottes, durch die Genugthnung unseres Herrn und Heilandes Jesu Christi, denn die kath. Kirche (wie der fromme Abt von Gyzburg in seiner Vorrede über das Compendium ‚Regula fidei catholicae‘ schreibt) glaubt, und hat allzeit gelehrt, dass Niemand von Anfang der Welt her sei selig geworden, oder könne selig werden, als durch den einigen Mittler zwischen Gott und den Menschen, Jesum Christum, und sei kein anderer Name unter dem Himmel den Menschen gegeben, in welchem sie sollen selig werden. Act. 4, 12. Und singet davon die ganze Kirche an des Herrn Geburtstage: ‚Dieses bezeuget gegenwärtiger Tag, der nach Jahreslauf erschienen, dass das Heil der ganzen Welt allein aus des Vaters Schooss sei kommen.‘ Welcher allein, wie das Conc. Trid. Sess. 25. de invoc. et vener. et rel. SS. redet, unser Erlöser und Seligmacher ist. Diesen, sagt ferner das Concilium, hat Gott vorgestellt als den Versöhner durch den Glauben in seinem Blut für die Sünden der ganzen Welt. (Sess. 6. c. 2. et 3. de iustif.) Wenn die von Adam herstammenden Menschen in Christo nicht wiedergeboren würden, so würden sie nie mehr gerechtfertigt, weil diese Wiedergeburt durch die Verdienste seines Leidens aus Gnaden, wodurch sie gerecht werden, ihnen mitgetheilt wird. Für diese Wohlthat ermahnt uns der Apostel Coloss. 1. allezeit zu danken Gott dem Vater, der uns tüchtig gemacht hat des Erbtheils der

Heiligen im Licht, und uns errettet von der Gewalt der Finsternisse, und nns versetzt in das Reich seines lieben Sohnes, in welchem wir haben die Erlösung und Vergebung der Sünden. Es lehrt ferner Sess. 6. c. 5. die christliche Versammlnng zn Trient, dass der Anfang der Rechtfertigung in den Erwachsenen von Gottes vorkommender Gnade, die ihnen wegen Christo ertheilt wird, herzunehmen sei. Anf diese Weise werden sie ohne ihre Verdienste berufen. Abermals lehrt es Sess. 6. c. 8: dass keines nnter den Stücken, welche vor der Rechtfertigung gehen, weder der Glaube, noch die Werke die Gnade der Rechtfertigung verdiene. Es ist, sagt es wieder c. 9., nothwendig zn glauben, dass die Sünde nicht vergeben werde, noch jemals vergeben worden sei, als ans Gnade durch die Barmherzigkeit Gottes nm Christi willen. Und nnsere Lehrer, als Flavius, Hnnnius, Joh. Gehrard, Georg Calixtus, und viele andere müssen bekennen, dass ans dem Bnch ‚Hortulus animae' genannt, ja auch aus der Mainz-Trier-Cöllnischen und andern Agenden, die, so mit dem Tod streiten, nicht anf ihre Verdienste noch anf andere falsche Mittel der Seligkeit, sondern allein auf das Vertranen zu Christo theils in den Gebeten und Ermahnungen, theils durch sonderbare dazn anfgesetzte Fragen, angehalten und angewiesen werden. Ich will nur ein einziges anführen aus der Mainzischen Agende, welche 1599. gedruckt worden ist. In derselben ist eine Ermahnung an einen Sterbenden, und dem die letzte Ölnng gegeben wird, worin unter andern steht: ‚Nun sind aber nicht allein deine, sondern auch aller Menschen Verdienste viel zn klein und gering dazu, dass ein Mensch sich der Seligkeit auf seine Werke getrösten möchte; da es aber an unsern und eigenen Verdiensten mangelte, da haben wir uns an das Verdienst Christi nnsers allgemeinen Heilandes zu halten, den Gott aus göttlicher Liebe in die Welt gegeben hat: auf diesen gnädigen und erbarmenden Gott sollst du dein Vertrauen setzen, ein getröstetes Herz fassen und dich vor nichts fürchten, sondern eine feste Hoffnung nnd eine ungezweifelte Zuversicht haben.' p. 159. s. Und nach empfangener Ölnng: ‚So sollst dn in den gütigen Gott, der zu erbarmen mild und geneigt ist, und seine Gnade getröst sein, und

wider alle Anfechtungen der Sünde und des Teufels tapfer streiten und kämpfen, und in keinen Zweifel setzen, der allmächtige Gott werde deine Sünden in den vielen und theuern Verdienst Jesu Christi leicht verbergen: in demselben deinem Seligmacher wirst du wohl von Sünden und Verdammniss erlöst werden und deine Seele die gewisse Seligkeit erhalten.' p. 175. Und in dem Hildesheimischen Katechismus sagt der Kranke und Sterbende in seinem Gebet: ,Wenn ich schon würde in's Künftige ein besseres Leben führen, du aber o Gott! hättest verordnet, dass ich jetzt sterben soll, will ich lieber mit Hintansetzung aller guten Werke nach deinem göttlichen Willen jetzt sterben, als länger leben.' p. 134. Und in den Fragstücken, die man den Todkranken vorhalten soll, findet sich auch dieses: ,Ihr begehrt ja auch, dass euch der Herr Gnade und nicht strenges Recht widerfahren lasse, und dass er nach der ersten mit euch handle, nicht nach euren Verdiensten, sondern nach seiner unendlichen Gerechtigkeit, Barmherzigkeit? Antwort: Ja.' p. 153. s.

Nachdem nun erwiesen worden, dass auch bei der römisch-kath. Kirche der Grund des Glaubens sei, und man also in derselben recht glauben, christlich leben, und selig sterben könne, so kann man auf die Hauptfrage: ob eine evang. protest. Prinzessin sich zur römisch-kath. Religion wegen Vermählung mit einem kath. Könige mit gutem unverletztem Gewissen bequemen könne? wohl antworten: Ja, sie könne es thun; insonderheit wenn dabei betrachtet wird: 1. dass sie zu solcher Heirath sich nicht anerboten, noch sich anerbieten lassen, sondern dass es ihr ohne Zweifel nach göttlicher heil. Vorsehung angetragen wird; 2. dass solche Vermählung nicht allein dem Herzogthum, woraus sie entsprossen, sondern auch der protest. Religion, und vielleicht dem hochgewünschten Kirchenfrieden kann zuträglich und erspriesslich sein. Wider diese unsere gegebene Antwort aber kann Unterschiedliches eingewendet und vorgeworfen werden; 1. ,die kath. Lehre hat grundverderbliche Irrthümer.' Antwort: nur bei denen, die solches dafür erkennen, und wider ihr Gewissen denselben beipflichten; sonst aber sagen wir mit Hussio: nicht jeder Irrthum ist ketzerisch. 2. ,Sie erfordern

Menschensatzungen, und treiben die Leute an, dieselben zu halten.' Antwort; Sie sagen, dass die göttliche und apostolische Tradition, d. i. diejenige Lehre, die in der Schrift nicht aufgezeichnet worden, doch aber von Christo oder den Aposteln vorgetragen worden ist, mit eben der Achtung, als das geschriebene Wort Gottes anzunehmen sei: und eben dieses erkennen wir auch, nur dass die Frage bleibt, ob dieses oder jenes eine göttliche oder apostolische Tradition sei? Von Menschensatzungen aber lehren sie nichts anders als wir selbsten. 3. ‚Man muss die Heiligen anrufen, da doch Gott allein anzurufen steht.' Antwort: Von ‚müssen' steht nichts in dem Trid. Concilium, sondern nur dieses: dass solches gut und nützlich sei, und ist also kein einziger Römisch-Katholischer verbunden, die Heiligen anzurufen, wo er nicht in der Procession geht, oder in einer Kirche die Litanei der Heiligen mitsingen will: darinnen aber nichts mehr als die Fürbitte zugeeignet wird, welches die griechische und lateinische Kirche schon vor 1400 Jahren her, ohne dass sie glaubt, Gottes Ehre dadurch zu schmälern, gethan hat. 4. ‚Man muss das Fegfeuer glauben, davon doch Gotteswort nichts weiss.' Antwort: Sofern das Fegfeuer eine Reinigung der abgeschiedenen Seelen von den noch anklebenden Sünden bedeutet, haben dieses auch viele von den alten Kirchenlehrern geglaubt. 5. ‚Die Handlung der Messe ist wegen voller seltsamen Ceremonien lächerlich und ärgerlich.' Antwort: Bei denen, welche die Bedeutung solcher Ceremonien und Geberden nicht verstehen. Es ist aber keine, die nicht eine gute Bedeutung hat. Wovon unter vielen andern der Hildesheimische Katechismus p. 45. ss. zu lesen ist. Im übrigen ist ihnen die Messe ein Denkmal des bittern Leidens und Sterbens Jesu Christi. 6. ‚Man wird bei ihnen des gesegneten Kelches beraubt.' Antwort: Gleichwie der Menschen Unglaube Gottes Glauben und Verheissung nicht aufhebt, also kann den Laien die Entziehung des gesegneten Kelches, daran sie keine Schuld haben, nicht zugerechnet werden, sondern wird vielmehr dafür gehalten, dass sie nicht weniger als wir, wenn sie mit bussfertigem und gläubigem Herzen zum heil. Abendmahle treten, den Leib und das Blut Christi empfangen. (Chytr. hist. Aug.

Conf. p. 261. 267. 270.) 7. ‚Man müsse sieben Sacramente glauben, da doch nur zwei sind.‘ Antwort: Nachdem das Wort Sacrament, welches doch in der heil. Schrift nicht steht, genommen wird, so sind doch zwei oder drei. In der Apologia Aug. Conf. werden bald zwei, bald drei gezählt, wenn nämlich die Absolution dazu gerechnet wird. Und die Römisch-Katholischen bekennen gleichwohl, dass die Taufe und das Abendmahl des Herrn die zwei vornehmsten seien. Auf andere Einwendungen ist man unterthänigst allzeit bereit, entweder schriftlich oder mündlich zu antworten, oder die jetzt vorgebrachten auf gnädigsten Befehl weiter zu erklären: wiewohl zu bekennen, dass die Streitigkeiten, die auch zwischen uns und den Römisch-Katholischen schweben, nicht für eine Prinzessin gehören, als welche bei der einfältigen Lehre des Glaubens, welche auch die beste ist, zu bleiben hat, sondern für Theologen, unter denen doch beiderseits auch solche gefunden werden, welchen Gott nach seiner hocherspriesslichen Gnade die Augen eröffnet, dass sie wohl sehen, dass der Unterschied beider Religionen nicht so gross sei, wie er insgemein gemacht wird, und ist sehr bekannt, dass der ehrliche und grundgelehrte Mann Philipp Melanchton in seinem an König Franz gestellten ‚Indicio de moderandis controversiis. P. 4. p. 832.‘ gleich im sechsten Jahre nach Übergebung der Augsb. Confession, also sich herzulasset: ‚Endlich ist die Entscheidung aller unter uns und den Papisten schwebenden Streitigkeiten leicht; aber ich hoffe, dass fromme und gottesfürchtige Herzen in allen wohl übereinstimmen können.‘ Gott gebe, dass solches geschehe, und derselbe lasse auch das vorhabende Werk zu seines Namens Ehre und der beiden Personen und ihren königlichen und fürstlichen Häusern zeitliches und ewiges Heil gereichen, um Christi unsres allgemeinen Heilandes willen. Amen. — (Gutachten der Helmstädter Universität bei der einer protest. Prinzessin angesonnenen Annahme der kath. Religion. Salzburg. 1815.)

1170.

Clemens XI PP. Elisabethae Ducissae Brunsvicensi, quae eiurata haeresi Lutheri Fidem Cath. amplexa, Carolo VI Imperatori nupsit, gratulatur. 1707.

Bonum est Nobilitati tuae, quod cor suum tradidit ad vigilandum diluculo: quod memor Creatoris sui in diebus iuventutis suae certam et unicam, qua ad eum tenditur, viam inter offusas tenebras invenire et ingredi meruit; quod reiectis erroribus, in quibus educata fuerat, catholicam veritatem Dei ope est complexa. Laetare itaque in Domino, lectissima Virgo, et exulta, quod gratum ipsis Angelis spectaculum exhibuisti, cuius aspectu ne paternam nostram caritatem diu fraudares, literas optatissimi huius eventus nuncias easdemque filialis tuae erga nos et Ap. Sedem devotionis testes ad nos dedisti. Quibus quidem literis perlectis repletum est gaudio cor nostrum, et lingva nostra exultatione, tum sane quia ad tua decora, quorum nos praestantiam non ignoramus, Romanae Ecclesiae non vulgare ornamentum te in eius sinum recepta accessisse existimamus, tum vero inprimis inspecto spirituali tui ipsius bono, cui aliter consuli non posse intelligebamus, nisi tu coelesti lumini obsecuta properasses ad amantissimae matris ubera, unde lac immaculatum exsugeres, ac nisi ultro appetiisses fontes Salvatoris, unde haurires cum gaudio salutem, quae a cisternis dissipatis, quae non continent aquas, frustra semper expetitur. Dum vero Deo misericordiarum Patri gratias in humilitate cordis agimus, qui de tanto suae gratiae munere, nos vero tam praecipuo laetitiae argumento donare voluit, eundem indesinenter rogare proponimus, ut sua in te dona cumulet atque perficiat, confisi te vicissim ad ea promerenda omnia pietatis studia praeclare posituram; cuius boni auspicium esse cupimus apost. benedictionem, quam Nobilitati tuae peramanter impertimur. Datum Romae die 2 Iul. 1707.

1171.

Idem eodem in merito ad AEppum Moguntinum. 1707.

Quantum et quale nobis laetitiae argumentum allatum sit, ubi per Fraternitatis tuae literas certiores facti sumus, dilectam in Christo filiam nob. Virginem Christinam Ducissam Brunsvicensem ac Luneburgensem relictis erroribus, quibus ab infantia fuerat innutrita, complexam esse catholicam veritatem, eiusdemque professionem coram te magno pietatis ac devotionis sensu solemniter emisisse, levius est tibi de pontificia nostra sollicitudine pro animarum salute recte sentienti coniicere, quam nobis ulla vi verborum explicare. Hoc tamen nullo modo omittere possumus, quod singulari erga nos Dei muneri tribuendum ducimus, contigisse scilicet, ut laeti huiusmodi eventus nuncius ad nos perveniret, cum gravissimis, si quam unquam, curis pro iniuncto nobis munere premebamur, afferente nimirum caritati ac sollicitudini nostrae solatium misericordiarum Patre, qui in se sperantes sua numquam ope destituit. Imo qui de spe in gaudium devenimus, de gaudio rursus in novam spem deducimur, ac fore confidimus, ut praeclarum lectissimae huius Virginis exemplum veluti fax aliis praeluceat ad viam veritatis, atque aeternae salutis ineundam. Interim vero quia credimus ei non levem stimulum ad maturandum perficiendumque tam salutare propositum ab eximio tuo zelo admotum fuisse, te uberiori quadam benevolentia complectimur, gratulantes tibi ex animo ingens meritum, quod tam praestanti officio tuo prorsus munere digno apud Deum O. M. procul dubio es assecutus. In auspicium autem bonorum omnium et in pontificii amoris perpetuum pignus Apost. benedictionem fraternitati tuae peramanter impertimur. Datum Romae, die 2. Iul. 1707. — (Clementis XI PP. Brevia selectiora. I. 380. s.)

1172—1175.

Proles e parentibus mixtae religionis extra matrimonium genitae in religione matris educari disponuntur, cum nonnullis cautelis pro favore Religionis Cath. 1796. 1821. 1823.

1172. Decr. Aul. dd. 5. Febr. 1796. Seine Majestät haben zu entschliessen geruht, dass jeder protestantische Vater eines unehelichen Kindes, um sein Recht auf den Religionsunterricht in Ansehung seines erzeugten Kindes zu behaupten, schuldig sei, gleich bei dem vorzunehmenden Taufacte sich zum Vater anzugeben, indem er widrigens nicht mehr gehört, und dem Kinde ohne weiterem eine kath. Erziehung gegeben würde.

1173. Decr. Aul. dd. 4. Iul. 1796. Da über die Anwendung der Verordnung vom 5. Febr. 1796 einige Zweifel entstanden sind, so haben Se. Majestät zur Behebung derselben dieser Verordnung folgende nähere Bestimmung zu geben geruht, dass der (prot. oder kath.) Vater eines unehelichen Kindes, der sich nicht gleich bei dem Taufacte dafür angegeben hat, sein Recht auf die Unterweisung dieses Kindes in seiner Religion verliere und die Erziehung in Ansehung des Religionsunterrichtes der Mutter, wenn sie sich zu einer der gesetzlich tolerirten Religionen bekennt, überlassen bleibe, es sei denn, dass die Mutter das Kind zu ernähren und zu erziehen ausser Stande wäre, mithin der Staat diese Sorge übernehmen müsste, wo sodann das Kind allemal blos in der kath. Religion zu erziehen sein wird.

1174. Decr. Aul. dd. 21. Mart. 1821. Über die Frage hinsichtlich der Religion, in welcher das von dem katholischen N. N. mit der Protestantin N. N. ausser der Ehe erzeugte Kind zu erziehen sei, haben Seine Majestät zu befehlen geruht, dass sich in derlei Fällen nach den bestehenden Toleranzvorschriften benommen werde; daher so wie das eheliche, auch das uneheliche Kind der Religion des Vaters, wenn er katholisch ist, zu folgen haben; sollte die Mutter

aber katholisch sein, so ist sich hierwegen ebenfalls genau nach gedachter Toleranzvorschrift zu benehmen; in Folge dessen ist das von dem katholischen N. N. mit der Protestantin N. N. ausser der Ehe erzeugte Kind katholisch zu erziehen; sollten jedoch beide Theile zu unvermögend sein, dieses Kind zu ernähren, so ist selbes vom Staate zur Erziehung in der kath. Religion zu übernehmen.

1175. Decr. Auf. dd. 9 Iannar. 1823. Über einen vorgekommenen Fall, wo es sich um die Beantwortung der Frage handelte, in welchen Religionsgrundsätzen das von einem kath. Vater mit einer ledigen akatholischen Mutter ausser der Ehe erzeugte Kind getauft und erzogen werden solle, geruhten Se. Maj. mit allerh. Entschl. vom 21 März 1821 anzuordnen etc. ut supra. Da man sich aus einem neuerdings vorgekommenen Falle überzeugte, dass den hierortigen Verordnungen vom 5 Febr. und 4 Jul. 1796 über den Religionsunterricht ein der angeführten Entschliessung und dem Toleranzgesetze nicht entsprechender Sinn unterlegt worden ist, so findet man sich veranlasst, zur Vermeidung einer derlei unrichtigen Auslegung der Entschliessungen vom 5 Febr. und 4 Jul. 1796 die obenerwähnte Entschliessung vom 21 März 1821 dem Gubernium mit dem Auftrage zu eröffnen, solche durch eine Circularverordnung mit Bezug auf die Circular-Verordnungen vom J. 1796 allgemein bekannt zu machen. (Huic decreto occasionem dedit opinio, quasi e Resolutionibus anni 1796 sequeretur, patrem protestanticum ius habere, omnes suas proles, etiam feminei sexus, e catholica matre extra matrimonium genitas in sua confessione educandi.)

1176.

Instructio Congr. S. Officii AEppo Viennensi 26. Iul. 1806. submissa.

— — Superest petitio num. 8. posita, quae facultatem respicit Liviae nomine quaesitam, iungendi matrimonio eius filiam coram Ministro Acatholico, aut in eius Ecclesia, si casus contigerit matrimonii in patria celebrandi, in qua, nt asseritur, facta numquam fuit Concilii Tridentini publicatio. Cum tamen de matrimonio huiusmodi nulla adhuc pertractatio inita sit, et forsan numquam, vel in circumstantiis prorsus diversis ab iis, quae modo obtinent, sit ineunda: Sanctitas Sua petitionem tuam praematuram nimis esse indicavit. Quapropter id potius maiori, quo fieri poterit, zelo et efficacia enitendum esse duxit, ut Liviae svadeatur, si filia nuptui danda sit, curandum omnino esse, ut matrimonium eidem cum viro Catholico obtingat, quod nempe ipsa dignum sit, et religione, quam ambo profitentur; quo etiam fiet, nt periculum omne perversionis removeatur, et prolis educationi in Religione Catholica, nt par est, provideatur. Tunc etiam facilius poterit Sponsa, et absque periculo (saltem iuxta ea, quae hic innotescunt) palam prodere religionem suam, atque hoc pacto viam sibi aperire declinandi omnino inconveniens matrimonii coram parocho haeretico in haeretica Ecclesia contrahendi. Verumtamen si tales futurae sint circumstantiae, quae Liviae filiam cogant cum viro acatholico copulari, et antequam manifestatio conversionis illius ad catholicam fidem locum habere possit, tunc iterum ad hanc S. Ap. Sedem recurrendum erit, et circumstantiae omnes in casu concurrentes distincte exponendae, et tunc Sanctitas Sua pro sua sapientia et benignitate decernet, qua via et modo possit occurrenti necessitati opitulari, et conscientiarum quieti provideri. — (Raccolta dei rapporti delle Sessioni tenute della S. Congr. d. Uffizio a. 1815. Tom. 4. part. 2. p. 258. ss.)

1177.

Regimen Austriacum Civile praescribit normam pro assistentia parochi catholici penes matrimonia acatholicorum, a. 1829.

Da bei Trauungen der Akatholiken, bei denen der betreffende Pastor nicht fungiren kann, der anstatt desselben sich einfindende katholische Priester nicht als Ausspender des Sacramentes und Diener seiner Kirche fungirt, sondern nur als der zur Aufnahme der beiderseitigen Einwilligung der Brautleute von dem Staate ermächtigte Beamte erscheint, so soll eine derleiige Trauung von ihm weder in der kath. Kirche, noch unter Verrichtung der priesterlichen Einsegnung und aller anderen bei Trauungen der Katholiken vorgeschriebenen, in den Diöcesan-Ritualien enthaltenen Ceremonien, noch im Rochet und in der Stola, sondern lediglich im Pfarrhofe oder an einem andern schicklichen Orte von dem kath. Priester, der dabei im Talare erscheint, vorgenommen werden. — Der Seelsorger hat, nachdem er genau alle Erfordernisse zur Schliessung einer giltigen Ehe geprüft und richtig befunden, die Trauung in Gegenwart der hiezu ausdrücklich vorgestellten Zeugen unter nachfolgender Form vorzunehmen: Der Priester wendet sich an den Bräutigam und frägt: Sind Sie, N. N., fest entschlossen, mit der gegenwärtigen N. N. einen giltigen Ehevertrag mit allen vermöge ihren Religionsgrundsätzen und den höchsten Staatsgesetzen verbundenen Rechtswirkungen zu schliessen? Ja. Hierauf dieselbe Frage an die Braut, und die nemliche Antwort derselben. Dann spricht der Priester zu beiden: Da Sie nunmehr fest und unabänderlich entschlossen sind, einen Ehevertrag einzugehen, so werde ich kraft der mir vom Staate anvertrauten Amtsgewalt die feierliche Erklärung von Ihnen aufnehmen. Vor Allem aber muss ich Ihnen bekannt machen, dass Sie bei Abschliessung dieses Vertrages gesetzmässig Ihren Willen zu erklären haben, in immerwährender Gemeinschaft zu leben, Kinder zu zeugen und zu erziehen und sich gegenseitig Beistand zu leisten. Braut und Bräutigam reichen sich die Hände, und der Bräutigam spricht: Ich, N. N., nehme Sie, N. N., zu meiner eheli-

28*

lichen Gattin und gelobe Ihnen, die eheliche Treue und Pflicht zu leisten, Sie anständig zu behandeln, Ihnen nach meinem Vermögen den Unterhalt zu verschaffen, Sie in allen Vorfällen zu vertreten, und mit Ihnen in immerwährender Gemeinschaft zu leben, auch Ihnen allen möglichen Beistand zu leisten. Diess Alles gelobe ich, so wahr mir Gott helfe. Hierauf spricht die Braut: Ich, N. N., nehme Sie, N. N., zu meinem ehelichen Gatten und gelobe Ihnen, die eheliche Treue und Pflicht zu leisten, Sie anständig zu behandeln, Ihrem Wohnsitze zu folgen, Ihnen in der Haushaltung und Erwerbung nach Kräften beizustehen, und so weit es die häusliche Ordnung erfordert, die von Ihnen getroffenen Massregeln sowohl selbst zu befolgen, als befolgen zu machen. Ich gelobe, mit Ihnen in immerwährender Gemeinschaft zu leben, und Ihnen allen möglichen Beistand zu leisten. Diess Alles gelobe ich, so wahr mir Gott helfe. Hierauf spricht der Priester: Sie haben nunmehr die feierliche Erklärung der Einwilligung zur Schliessung des Ehevertrages abgegeben, ich nehme selbe kraft meines Amtes auf und werde zum dauerhaften Beweise dieses geschlossenen Ehevertrages denselben in das besonders bestimmte Trauungsbuch eintragen. — (Kutschker Eherecht. Wien. 1856. I. 497.)

1178.

Resolutio Caesarea pro Dalmatia quoad educationem religiosam prolium e matr. mixtis. 1837.

Nachdem der §. 140 des allg. bürg. Gesetzbuches zur Bestimmung der Religion, in welcher ein Kind von Eltern, welche im Religionsbekenntnisse nicht übereinstimmen, erzogen werden soll, auf politische Vorschriften hinweiset, solche Vorschriften aber für Dalmatien noch nicht erlassen worden sind, haben Se. Majestät zur Normirung dieses Verhältnisses mit allerh. Entschliessung vom 18 April 1837 zu verordnen geruht: 1. Ist in einer solchen Ehe der Vater katholisch, so sind alle von ihm in dieser Ehe erzeugten Kinder katholisch zu erziehen; ist die Mutter allein katholisch, so folgen ihre

Töchter ihrer Religion, dem nichtkath. Vater ist es unverwehrt, seine Söhne in seiner Religion zu erziehen. 2. Uneheliche Kinder folgen in der Regel der Religion ihrer Mutter. Wenn jedoch der uneheliche Vater sich bei der Taufhandlung des Kindes zum Taufbuche auf eine rechtsgiltige Art als solcher erklärt, und dadurch Vaterpflichten übernimmt, erwirbt er das Befugniss, sein Kind in Absicht auf religiöse Erziehung desselben nach dem §. 1. zu behandeln. 3. Ändern die Eltern beide zugleich oder auch nur ein Theil derselben das Glaubensbekenntniss, und sind von ihnen erzeugte Kinder vorhanden, so wächst ihnen in Absicht auf jene Kinder, welche noch keines Religions-Unterrichtes fähig waren, was in der Regel als bis zum vollendeten siebenten Lebensjahre derselben bestehend anzunehmen ist, die Befugniss zu, diese Kinder in Absicht auf religiöse Erziehung, wenn die Ehe eine gemischte geworden ist, nach §. 1. zu behandeln, sonst aber sie in ihrer gemeinschaftlichen Religion zu erziehen. Wien, 18 April 1837. — (Moy Archiv f. kath. Kirchenrecht. Mainz 1863. X. 140.)

1179.

Eppus Premisliensis de promulgationibus et assistentia parochi in mixtis matrimoniis. 1839.

Contigerunt casus, ut penes matrimonia mixta, ubi sponsa est acatholica et sponsus catholicus, pastor acatholicus aut partes testimonium super proclamatis bannis expetant, notorie eo fine, ut matrimonium suum per pastorem acatholicum, neglecto catholico pastore, benedici faciant. Universo proinde Clero inculcamus severe sequentia: 1. Ut ad mentem praescriptorum Ecclesiae Catholicae vincula matrimonialia inter personas catholicas et acatholicas qualibet se exhibente occasione pro munere suo adlaboret dissvadere, et si partes a proposito suo dimoveri non possent, adlaboret acquirere certitudinem moralem ratione observandorum per sponsos praescriptorum canonum ecclesiasticorum et pontificiorum ratione educationis prolium omnium in Religione Catholica, et conversionis partis acatholicae ad

Ecclesiam Catholicam. 2. Pro casu, ubi partes matr. mixtum omnino inire cupientes in ambitu diversarum provinciarum habitant, et una alterave illarum testimonium super proclamatis bannis a pastore catholico requireret, tale nequaquam ad manus earum extradetur, sed ad manus respectivi Curati Catholici. 3. Pro casu, ubi pars catholica benedictionem matrimonii sui non per Curatum Catholicum, sed per pastorem acatholicum fieri intenderet, vel ubi pastor testimonium promulgatorum bannorum exigeret, denegetur extradatio testimonii, casusque talis ad Consistorium nostrum sine mora deferatur. Premisliae die 26. Mart. 1839. (Ex diariis publicis.)

1180—1186.

Postulata AEpporum Imperii Austriaci in negotio matr. mixtorum ad Sedem Apostolicam a. 1840. directa.

1180. AEppi Olomucensis. Inde a pluribus annis Dei et Apost. Sedis gratia ad munus eppale ADioecesis Olomucensis vocatus, id iugiter praecipuis officii mei partibus accensui: ut fides catholica, sine qua impossibile est placere Deo, et ad fidelium eius consortium pervenire, in fidelium mihi subditorum cordibus intemerata conservetur, incrementum capiat, salubresque pro salute illorum fructus proferat. Eum in finem illarum legum strictissimam executionem vigili cura urgebam, quibus Ecclesia Sancta Catholica numquam non verae fidei pericula a fidelibus suis arcere, omniaque procul removere adlaboravit, quibus aeterna animarum salus perditionis discrimini exponeretur. Successit utcunque divino adiutorio opitulante votis et conatibus meis ardentissimis eventus, ita quidem, ut Deo incrementum praebente de ADioecesi Olomucensi tamquam de laeta vineae dominicae plantatione gaudere possit S. Ecclesia. Verum non desunt ex altera parte in regimine animarum mihi concesso obstacula sat ardua, quibus removendis inde a suscepta ADioecesis gubernatione pro viribus insudavi. Potissimum catholicorum cum hominibus a sacris cath, alienis conversatio hisce in regionibus

inevitabilis solertissimam pastoralis sollicitudinis curam deposcit. Etenim intra eiusdem ADioecesis ambitum 40 circiter hominum millia degunt, qui sacris acatholicis sunt adscripti, atque ex legum civilium tenore libere religionem suam exercere permittuntur. Insuper decima fere eorumdem pars in Regni Borussici ditione habitat, ac propter regiminis civilis diversitatem curae pastoralis exercitium aggravat. In tanto iam acatholicorum in ADioecesis territorio dispersorum coetu, qui cum catholicis permixti vivunt, frequentius accidit, ut matrimonia cum catholicis inire moliantur, quae etiam quandoque frustratis omnibus cautelis ad eadem impedienda adhibitis revera contrahuntur. Difficultates in tractando hocce negotio inde potissimum augentur, quod leges civiles circa haec matr. mixta ultra seculi dimidium in terris Austriacis stabilitae nonnihil contineant, quod conscientias catholicorum pastorum, qui sanctionum et praeceptorum Ecclesiae Cath. bene gnari sunt, haud parum divexat. In tanto rerum discrimine tutissimum arbitratus sum, Sanctitatem Vestram adire, indeque consilia in causa tam ardua arcessere, secutus monitum S. Bernardi ad Innocentium PP. scribentis: ‚Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula emergentia in regno Dei, ea praesertim, quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fidei sentire defectum, haec quippe huius praerogativa Sedis.' Eapropter difficultates quoad matr. mixta in terris Austriacis obversantes, ea qua par est sinceritate expositum aggredior. Ex tenore legum, quae in Imperio Austriaco circa res matrimoniales existunt, prorsus liberum relinquitur acatholicis connubia inire cum catholicis, ita quidem, ut ex parte civili nullum plane impedimentum eiusmodi matrimoniis, quae mixta vocantur, obiiciatur. Eadem porro in Ecclesiis Catholicis promulgari iubentur, et in signum praecellentiae, quam in Imperio Austriaco Catholica Religio obtinet, per legem civilem inculcatur, ut omnia huiusmodi matrimonia secundum formam Tridentinam, scilicet coram parocho partis catholicae proprio contrahantur, quod in nostris regionibus semper cum benedictione nuptiali coniungitur: cum mera parochi assistentia, quae passiva nominari consvevit, hucusque in ditionibus Austriacis inaudita

fuerit. Quoad prolium ex tali consortio procreatarum educationem sanciunt eaedem leges civiles, ut, paucis oppidulis exceptis, omnes in catholicae religionis sanctitate educentur, dum pater est catholicus; sexum vero parentum in religiosa educatione sequantur, cum mater sacris adscripta sit catholicis. Haec apud nos per leges civiles statuuntur. Et quidem ex parte regiminis civilis in hisce legibus condendis multa in honorem et commodum Ecclesiae Cath. sanciri putabantur: cum Imperatores Austriae Augustissimi sincerrima fide et infucata pietate numquam non conspicui nihil omnino permittere intenderent, quod in Ecclesiae Cath. detrimentum cedere posset. Ideo ex parte legislationis civilis circa matr. mixta talis rerum ordo constitutus videbatur, ut Ecclesia Cath. haud exiguis ex hac parte praerogativis condecorari intenderetur. Ast conscientiam pastorum catholicorum notabiliter vapulare, dum stante lege ecclesiastica hisce sancitis civilibus in mixtorum matr. negotio arctatur, in aprico est. Etenim dum Ecclesia gravissimis momentis permota eiusmodi matrimonia non possit non adversari et detestari, per leges civiles eadem contrahere omnino liberum relinquitur. Ecclesia Catholica dogmati de una sola salvifica ecclesia insistens per legem naturalem et positivam divinam strictissime urget ministros suos abstinere a quavis cooperatione ad connubium, cuius vel unica proles in religione acatholica educari, et sic praesentissimo aeternae salutis periculo exponi permittitur; cum contra leges civiles frequenter saltem unius sexus proles ex connubio mixto progenitas sacris acatholicis addici velint, et in omni casu, sive salus coniugis catholici et omnium absque exceptione prolium in tuto collocata sit, sive non, haec matrimonia in Ecclesia Cath. proclamari et coram parocho catholico cum benedictione nuptiali contrahi exigunt, ita quidem, ut eiusmodi matrimonia, nisi assistentia parochi catholici iisdem benedicentis cohonestentur, civiliter irrita declarentur. Haec est, Beatissime Pater, leges ecclesiasticas inter et leges civiles circa hanc causam in terris Austriacis discrepantia, quae animarum curiones obedientiae ergo sanctiones eccles. strenue sequaces in magna nonnumquam discrimina coniicit, dum contrahentes acatholici cautelis circa haec matrimonia ab

Ecclesia stabilitis subscribere renuunt, et nihilominus legi civili insistentes benedici praetendunt. Quibus difficultatibus ut pro posse saltem mederentur, Regimine civili non abnuente severe inculcarunt praedecessores mei, nt animarum pastores monitionibus, dehortationibus, et obsecrationibus fideles sibi subditos ab eiusmodi connubiis cum personis acatholicis pro viribus absterrere, aut, si votis successus non responderit, salutem liberorum saltem per educationem catholicam in tuto collocare niterentur. Introductam porro in hac ADioecesi reperi praxim, qua sponsi mixtae religionis ad AEppnm pro tempore existentem accederent pro obtinenda dispensatione ab impedimento in diversa religionis confessione constante; quae ceterum numquam nisi observatis debitis cautelis concessa fuit, quin S. Sedes Apostolica adiretur, cum vigore consvetudinis diuturnae AEppi Olomucenses in hoc impedimento dispensare soliti fuerint. Maximo mihi praeterea solatio fuit, experiri, quod paucissimi solum acatholici educationem omnium omnino prolium in religione catholica abnuerint. Ast haec omnia non snfficere videtur ad regimen Ecclesiae Olomucensis ex hac parte solidandum, cum praefata praxis legibus civilibus non ecclesiasticis suffulta sit, et stante eadem plura maneant indecisa et dubia, quae meam et subditorum mihi pastorum conscientiam angunt. Illud praesertim plurimum negotii facessit, quod stante legislatione civili supramemorata catholicus animarum pastor in omni casu eiusmodi nuptiis benedicere urgetur, etiam tunc, cum prolium omnium in cath. religione educatio non conventa, et dispensatio ecclesiastica a dicto impedimento obtenta non fuerit, cum leges civiles eiusmodi benedictionem ceu validitatis matrimonii conditionem exigant, assistentiae vero passivae, quae in his casibus unicum quamvis sat miserum refugium praebet, nec unicum in terris Austriacis exemplum prostet. Hinc pergratum mihi accidit, cum per C. R. Cancellarium certior fierem de eo, quod Sanctitas tua Suae Maiestati Imperatori nostro spem excitaverit fore, ut per clementissimam Sedis Apost. decisionem conscientiae parochorum catholicorum in matr. mixtorum negotio congruo modo consuleretur. Huic laeto nuncio innixus absque omni cunctatione hasce literas ad Sanctitatem tuam

fidentissime dirigere praesumsi, sincerrimo corde supplicans, ut res adeo difficilis componatur, et curiones catholici certi reddantur de sua in hoc negotio agendi ratione, cum ab iis per legem civilem exigitur, quod per legem ecclesiasticam facere iisdem haud licet. Huic humillimae petitioni firmissimam adiungo promissionem: me omnia, quae Sanctitas tua in finem factu opportuna duxerit, pro viribus executioni mandaturum. — Olomucii, idibus Iunii 1840. Maximilianus Iosephus, AEppus Olomuc.

1181. AEppi Goritiensis. Communibus tot Epporum Cath. ob matr. mixta angoribus ego etiam humillime infrascriptus Goritiensis Ecclesiae Archipraesul et in Illyrico Austriaco Metropolita in conscientia premor. In dioecesi quidem curae meae immediate commissa pauci morantur ex Protestantium haeresi adscriptis, quibuscum rarissima connubia tentantur a catholicis; schismaticorum vero sive Orientalium sive Anglicanorum vix ullus hic loci reperitur. Verum in ‚Tergesti' urbe, populo frequentissima, a Sede mea paucis tantum horis distante, ubi Orientis et Occidentis nationes diversarum sectarum nomina ferentes ob commerciorum negotia abunde confluunt, et quo Dioecesis Goritiensis incolae victualium divendendorum et laborum quotidianorum causa continuo accedunt, fidelibus curae meae commissis etiam quoad matr. mixta non parum periculi imminet; unde pastori Goritiensi non raro timores, angustiae, et rerum agendarum difficillima negotia nascuntur. Verum quidem est, Austriae leges, quae matr. mixta respiciunt, aliorum regnorum, in quibus catholicorum cum haereticis et schismaticis connubia obtinent, praesertim autem Borussiae et Russiae regulamentis eo praecellere et non exigui momenti praerogativam sibi vindicare, quod in Austriae Imperio repetitis sanctionibus cautum sit: ut vel omnes liberi ex matr. mixto nascituri, vel saltem unius sexus proles in religione catholica rite educentur. Praedictis sanctionibus Religionis Catholicae praerogativa quaepiam prae reliquorum coetuum confessionibus in Austria indubitanter quidem adstruitur: sed hisce utique non removentur rerum agendarum in matr. mixtis difficultates, neque pastorum catholi-

corum tolluntur angores, qui utpote S. Ecclesiae, quae ob momenta gravissima et maxime ob prolis perversam educationem a matr. mixtis abhorret, legibus devincti dum praedictis matrimoniis, quorum nasciturae prolis pars tantum in religione cath. educatur, vi legis civilis assistere tenentur, in conscientia gravissime turbantur et onerantur, maxime dum addita solemni matrimonii benedictione educatio prolis in haeresi a catholico sacrorum ministro solemniter approbari videatur. Inde tam praesulum quam secundi ordinis sacerdotum animi anxietates et conscientiae turbamenta multa! His in circumstantiis quo confugiendum, nisi ad Romanam Ecclesiam, quae omnium Ecclesiarum mater et magistra existens opportunis consiliis et salutaribus ordinibus in rebus arduis numquam defuit; ubi solatium et iuvamen quaerendum, nisi apud S. Sedem Apostolicam, quae uti in aliis ita in matr. mixtorum causa repetitis vicibus in medium profata, rebus semper mature perpensis et caritate in fideles admiranda, ut cetera taceam, sub Benedicto XIV, sub Pio VII a. 1807. ad Galliae Eppos, et sub Pio VIII pro provinciis Rhenanis Borussiae Regi obedientibus tam praeclara, tam sancta, iam docuit, declaravit, et statuit. Profecto Aug. Austriae Imperator Ferdinandus I a pietate in Deum et devotione in Sedem Apost. iure merito celebratus, Serenissimae Domus Austriacae caput, quae in difficillimis rerum et temporum adiunctis contra Gallicae Revolutionis principia, catholicae fidei praesertim ab initio inimicissima, et contra bella inde exorta forti animo dimicans, et Ecclesiae Cath. illis temporibus fere una protectrix, pro tuenda sanctissima religione, pro familiarum religiosarum conservatione, et pro Clero iuniore admiranda facit, lubenti animo, corde sincero et manu forti omnia praestabit ad rem matr. mixta spectantem pro bono religionis cath. et pro salute reipublicae rite componendam. Hinc est, quod confidentissime et vere filiali animo ad benignitatem tuam confugiens supplex Tibi oro, Sanctissime Pater, ut angustiarum nostrarum pro clementia tua misertus collatis cum Augustissimo nostro Imperatore consiliis, quae ad conscientias praesulum aliorumque sacerdotum pacificandas, ad salutem populorum, et Ecclesiae Cath. integritatem procurandam, necnon ad Aug. Austriae

Domum pie regnantem in praesenti ob Acatholicorum nonnumquam petulantes praetensiones arduo rerum statu sublevandam opportuna et salutaria visa fuerint, sancte disponas. — Goritiae, 13. Iun. 1840. Franc. Xav. Luschin, AEp. Gorit.

1182. AEppi Viennensis. Ex eo tempore, quo matrimonia inter catholicos et acatholicos in Austria lege civili licita et libera declarata fuerunt, antecessores mei licet vigilantes et fervidi talia matrimonia ob spirituale periculum quidem reprobare, ast non impedire potuerunt. Ne maiora mala nascerentur, matr. mixta dissimulare et tolerare debebant. Numerus acatholicae doctrinae addictorum in ADioecesi Viennensi nunc 12 millia excedit, inter quos multi altioris status et melioris conditionis inprimis Viennae inveniuntur. Spero Beatitudinem Vestram facile intellecturam, mihi impossibile esse, matr. mixta per legem civilem licita et per 60 annos tolerata penitus impedire. Quod dolorem auget, et conscientiam acerrime pungit, est: educationem prolium in religione catholica non omni ex parte certam et salvam esse. Lege civili enim praescribitur: si sponsus religionis cath. sit, omnes proles in religione cath. educari debere; si vero sponsus acatholicam profiteretur doctrinam, arbitrio eius commissum esse, proles masculini sexus sacris suis adscribi facere. Cum inter 224 matr. mixta, quae plus minusve omni anno in hac ADioecesi incuntur, 199 sint, in quibus sponsus acatholicae doctrinae addictus est, animus magno dolore et conscientia magno angore afficitur. Sanctitatem officii, filios ducere in via veritatis et salutis, fidelibus concreditis proponere; illos de gravitate peccati personae catholicae, educationi filiorum in religione, quam falsam habet, consentientis convincere nulla occasione intermisi; a religionis indifferentismo et a matrimoniis in animae perniciem venientibus fideles per Clerum dehortandos curavi: ast proh dolor! studia mea saepe in irritum cadere video. Terrestribus magis quam coelestibus intentae personae vocem pastorum non audiunt; perseverantes in consensu in educationem filiorum in religione acatholica administrationem sacramenti matr. a parochis exigunt, et vario modo extorquere conantur. Clerus officio fidelis con-

scientiam salvam exoptans resistit; sed exinde querelae in foris publicis, accusationes infidelitatis et inobedientiae erga leges civiles, et contumeliae enatae sunt. Piissimus Imperator pro sua erga Religionem veneratione nullum parochum in conscientiam et ecclesiam peccare vi externa, Deo sint laudes!, impelli permisit; ast desiderandum est, ut finis gravibus angustiis Cleri ponatur; ne ille, qui Deo et Imperatori fidelitatem servare studet, in Ecclesiam vel Civitatem peccare videatur. Sunt, qui putant, difficultatem per assistentiam sic dictam passivam a fel. rec. SS. Patre Pio VIII Dioecesibus Rhenanis Borussiae 25. Mart. 1830. et a Beatitudine Vestra die 12. Sept. 1834. Regno Bavariae concessam facile solvi et rem feliciter finiri posse. Alii vero de hoc effectu dubitant, imo timentes, ne religionis sensus et sacramenti matr. veneratio imminuatur, ne numerus matr. mixtorum augeatur, ne presbyteri fidelibus scandalo futuri sint, et memores verborum Pii VII fel. rec. ad Vicarium Trevirensem: ‚si iis matrimoniis ministri acatholici assistunt, parochi catholici omni prorsus culpa vacabunt', fini et conscientiae magis convenire putant, si ad mentem Beatitudinis Vestrae se rescripto ad Eppos Bavariae de 27. Maii 1832. quoad declarationem matrimonii conformarent. Dicunt: acatholici assistentia passiva vix contenti erunt, benedictionem talium matrimoniorum secundum illorum ritum instituent, quod illis vix denegari poterit; quo posito id, quod praecaveri assistentia passiva intenditur, tamen locum habebit. Utriusque sententiae partes ex me quaerunt: an matrimonium, passive assistente et reprobante parocho contractum, sit Sacramentum? cum in Austria universalis sit sententia, parochum esse sacramenti ministrum, qui certe intentionem sacramentum administrandi nec habet nec habere potest? an personae catholicae, antequam consensum suum in educationem filiorum in religione acatholica verbis et factis revocaverit, alia sacramenta, inprimis sacra synaxis administrari possint? an benedictio puerperae post partum in tali casu licita, aut actibus adnumeranda sit, quibus sacerdos matrimonium approbare et cohonestare videtur? His in angustiis et dubiis positus cum in tam gravi causa, inconsulta S. Sede, sententiam ferre et aliquid declarare non audeam, assentiente Aug. Imperatore ad

Beatitudinem Vestram omni cum humilitate confugio, et hanc causam, quam sincere exposui, sapientissimo S. Sedis iudicio submitto, humillime rogans: ut Beatitudo Vestra declarationem edere dignetur, quae ad conscientiam salvandam, ad harmoniam inter Ecclesiam et Imperium stabiliendam, ad unitatem Cleri conservandam, ad dubia solvenda in credita mihi ADioecesi, et Suffraganeis S. Hippolyti et Lincii dioecesibus faciat. Ego omni qua par est veneratione et gratissimo animo sententiam Beatitudinis Vestrae accipiam et a Clero mihi fideli exequi faciam. — Viennae, 19. Iun. 1840. Vincentius Eduardus, Princeps AEppus.

1183. AEppi Leopolitani L. R. Praecepta vere pia, vere paterna Augustissimi mei Imperatoris et Regis, mediante suo de S. Religione Cath. aeque ac patria ab annis plurimis per Imperium Austriacum insignibus benemeritis splendidissimo supremo Status Cancellario Comite Mittrowsky, sub 4 mensis huius, me, et procul dubio plures muneris eppalis commilitones benignissime provocantis, ut quae circa matrimonia mixtae religionis iuxta praxim his in regnis hodie observatam conscientias Cleri catholici inquietas reddere solent, coram Sanctitate Vestra pandere, et a plenitudine gratiae apostolicae directionis regulam in humilitate et filiali obedientia explorare audeamus, accipiens, invocato gratiae de supra auxilio et lumine, ex indigentiis meae ADioeceseos Leopolitanae R. L. in materia quaestionis sequentia inducenda officii mei censeo. Matrimonia catholicorum cum heterodoxis, quae vulnus S. Matris Ecclesiae cum eadem considero, dum talia ex temporum circumstantiis vix aliquo praecautionis modo totaliter eliminari aut evitari possunt, ut saltem non aliter quam sub conditionibus ab Ecclesia Cath. continuo praefigi solitis, et a Sanctitate Vestra recentioribus temporibus — 1832 in literis ad Eppos Bavaros ‚Summo iugiter studio' — orbi catholico renovatis contrahantur, conscientiae mihi duco. Ast sollicito mihi de primaria Eppi circa mixta matr. vocatione nefas erat ignorare monitionem a piissimae memoriae praedecessore Sanctitatis Vestrae Pio VIII. uni Epporum in eodem obiecto medio literarum ‚Literis altero

abbinc anno' 25. Mart. 1830 sequentibus datam verbis: ,Sic agite, sicque per vos admoniti agant parochi, ut omnes videant, catholicos sacerdotes non alio quam officii sui adimplendi spiritu animari, ut in iis, quae religionis sunt, Ecclesiae regulas servent, ipsosque eodem spiritu duci, ut in iis, quae civilis sunt ordinis, regias leges non propter servilem qnemdam metum, sed propter conscientiam custodiant.' Hoc doctrinae apostolicae ductu ut in iis, quae religionis sunt, regulas Ecclesiae stricte observem, non tamen collisionum ambagibus cum Civili potestate, quae etiam subditis a sinu Ecclesiae alienis ut civibus paternam curam retrahere haud valet, portas aperire videar; ne piissimo et Eccl. Catholicae fervidissimo Imperatori meo, eiusque supremis moderandorum regnorum fulcris, de discrepantia patriae legislationis antiquioris cum legibus ecclesiasticis solide persvasis, eamque eo magis dolentibus, quo per omnia societatis 30 millionum hominum vincula perfuso ac irradicato malo alacer etiamsi animus instantaneam medelam ferre haud valeat; ne, inquam, exeqnendo conditiones circa matr. mixta Catholicae Ecclesiae inviolabiles optimi Regiminis voluntati impedimenta ponere arguar, persvasus S. Sedem Ap. quoad universalitatem legislationis etiam in hoc Austriae Imperio a vigilantia divina lege sancita nnmquam desistere, circa primam conditionem in matr. mixtis, hoc est, circa conventionem eorumdem nonnisi praevia dispensatione apostolica pro quovis singulo casu requirenda agebam, ut conscientia mea absque ullis Civitati parandis incommodis pacari, fidelibus solatium adferri, et semoto quovis forensi spiritu, quae spiritus Ecclesiae iubet stricte servari possent. Ex tanta loci distantia pro quovis singulo mixti matr. casu dispensationem Roma repetere, et durante longiori certe tempore ad tractandum negotium necessario partibus acatholicis ansam movendorum apud civiles Instantias gravaminum praestare, animos sponsorum acatholicorum ad concedendam educationem prolium absque sexus discrimine in cath. religione facile lucrandos per necessitatem longioris expectationis obtinendae dispensationis ab impedimento disparitatis cultus (quod iuxta legislationem patriam pro impedimento non statuitur) alienare haud consultum, et neque Religioni Catho-

licae, neque Civitati proficuum in Domino iudicavi; et vel ideo in foro conscientiae pro me et his, quorum cura in meo munere est, ne in rebus religionis a statutis Ecclesiae recedamus, facultatem delegatam dispensandi ab impedimento cultus disparitatis a Sanctitate Vestra in humilitate repetitam pro quinquennio obtinere gaudebam, et gaudium meum benedicente Domino crevit ac crescit. Etenim a tempore, quo Clerus meus hoc obtutu melius instructus existit, quin vel unica querela in foro civili mota fuisset, omnia prorsus numero 39 quae inita sunt mixta matrimonia, nonnisi praevia quaestionis dispensatione et solemniter appromissa educatione omnium sine sexus discrimine prolium in religione cath. contracta habentur. Factum proin satis voci Ecclesiae, et Civitati scopuli offensionis nullatenus subministrati; conscientia mea et Cleri mei in adimpletione officii nobis crediti pacificata, et illa aliter sentientium nullatenus laesa; quod ne fiat, neve aut immoderato zelo aut nullatenus admittenda laxitate aliquorum e Curatis meae dioecesis scopus utriusque civitatis in hoc difficili offenderetur puncto, curam gessi, ut de quovis speciali casu a parochis informatus ipsemet regulas directionis praefigam; et non mea certe sollicitudine, sed supremi et invisibilis nostrum Pastoris Iesu Christi gratia factum, ut recte dum ad haec referenda provocatus sum, ab uno Curatorum mihi subiectorum informer, pastorem acatholicorum cum femina catholica matrimonium contrahere volentem solemniter educationem omnium prolium in religione cath. appromisisse, omnem influxum in suam sponsam a libero religionis cath. exercitio semovendam se omissurum declaravisse, et dispensationis ab impedimento cultus disparitatis participem fieri desideravisse. Hinc, ut supra mentionem feci, facultatem mihi pro foro conscientiae procuratam obtinui; idque consulendae externae tranquillitati, quam Civitas in tractandis huius tenoris officiis pro hic et nunc ab Eppis non iniuste postulare posset; Civitas, inquam, Catholica ab annis in adproximanda legislatione civili cum legibus canonicis, desiderantibus id ipsum Imperatoribus ipsis et eorum primariis adiutoribus, laborare non cessans; eo tamen non obstante dirigentibus antiquis invectis principiis ante publicam eorum abolitionem recursum ad S.

Sedem nonnisi in illis matrimonii impedimentis concedens, quae etiam civiliter pro talibus declarata exstiterunt, quod respectu cultus disparitatis impedimenti locum non habet. Donec ergo negotium inter Ecclesiam et Civitatem diremtum fuerit, non in foro externo, ne cuicunque offensae via pateat, ast in foro conscientiae a Civitate cuivis nostrum libere relicto tractandum censui, effectu nunc usque omnimode pro fide catholica prospero. Non ergo quoad essentiam conditionum in matr. mixtis observandarum, quae utique in mea dioecesi stricte implentur, causam habeo gratias Sedis Apost. pro me uberiores expostulaudi; ast circa benedictionem mixtis matrimoniis a Clero Catholico his in terris ab immemoriali tempore largiri solitam hucusque connivendum censebam, strictiorem mihique certe magis acceptam Ecclesiae praxim introducere maioris utilitatis pro Religione Cath. causa non praesumens, dummodo conditiones omnes circa mixta matr. ab Ecclesia statutae adimpletae habeantur. Recusatio huius benedictionis catholicam partem nimis afflictam reddens, acatholicam sponsorum partem a promtitudine fortiter arceret declarandae educationis prolium [in religione catholica, inde vero manaret pro me qua Eppo impossibilitas admittendarum talium nuptiarum, cum hac vero aperta cum Civitate collisio: quae utut Religioni Cath. dedita vota noncatholicorum subditorum reflectere necessitatur. His obex fit per non negatam benedictionem Curati Catholici, e qua nullum prorsus pro Catholicis oriri solet scandalum. Expectando igitur faustiora tempora, ubi etiam exterior praxis genio Ecclesiae magis consona esse posset, hoc sub obtutu, nisi innovatio moderni usus subsequi posset, omnem dispositionem in filiali praestolor obedientia. Maiori autem perfundor inquietudine pro possibili omnino casu denegandae a parte acatholica promissionis educandarum prolium utriusque sexus nonnisi in catholica religione. Leges patriae validitatem mixtorum matr. ab assistentia Curati Catholici dependere declarant; in casu vero supposito ego vix auderem concedere cuipiam sacerdoti mihi subordinato qualemcunque sive passivam sive activam talibus sponsis praestandam assistentiam. Quid ergo eo respectu agendum foret, ex decisione S. Sedis expectare oportet. Denique haud

tacendum puto de mixtis matr. in mea ADioecesi frequentissimis Catholicorum diversi ritus. In his non quidem periclitatur salus prolium sive in hoc sive in alio catholicae religionis educentur ritu; exterior tamen ordo a Curatis et Eppis circa fideles servandus multum patitur, fluctuante eo obtutu praxi, educationem iuxta sexum parentum dirigente, cum tamen inhaerendo literis Benedicti XIV, quae incipiunt ‚Etsi pastoralis' aliter praefinitum habeatur. Causa autem non observantiae Constitutionis huius a Clero huiate Rutheno unito est, quod origine tenus directa sit ad Graeco-Italos, non vero Rutheno-Unitos, quod totus eius contextus deroget auctoritati ordinariae Epporum Rutheno-Unitorum, quodque exacerbationi animorum ansam praebeat tradendo Eppos Graeco-Unitos tutelae et quasi inspectioni Latinorum. Etsi mea mens numquam alia fuerit, nisi ut illam partem Bullae ‚Etsi pastoralis' quae de educatione prolium e matr. mixtis Graeco-Catholicorum cum Latinis in his regnis applicatam videam, iurisdictione ordinaria Epporum Rutheno-Unitorum in omnibus semper salva, ac a meo aut aliorum Epporum lat. ritus influxu superioratum aliquem praeseferente libera; dum tamen, licet regimen patrium hanc bullam Rutheno-Unitis pro norma commendaverit, non cessant nec cessare possunt collisionum et discordiarum frequentiae, eapropter dirimendi, et, ut mihi persvasum habeo, omnimode cum assensu limitandi negotii causa, ut humillime a Sanctitate Vestra flagitem, conscientia ducor: ut revocatis quibusvis aliis constitutionibus et consvetudinibus, in futurum proles e matrimoniis Rutheno-Unitorum cum Latinis progenitae in ritu, cui pater adhaeret, indiscriminatim educentur. Haec tamen regula nonnisi pro futuro applicanda esset, circa matrimonia autem mixti catholici ritus hodiedum iam inita opportunum foret, ut statuto peremtorio termino partes coram curatoribus animarum declarent ritum, in quo permanere desiderant, quo semel officiose facto recessus ab uno ad alium cath. ritum absque Eppi, aut, si visum fuerit, absque Sedis Apost. permissione admittendus haud esset. — Leopoli, 19. Iun. 1840. Franciscus de Paula (Pischtek), AEppus L. R.

1184. AEppi Leopolitani G. R. Constans est Ecclesiae Cath. doctrina, effatis S. Scripturae, sententiis SS. Patrum, decretis Conciliorum, necnon Summorum Pontificum Rom. et etiam Sanctitatis Vestrae edictis explicata, quod connubia personarum ad Ecclesiam Cath. pertinentium cum heterodoxis non sint licita, ideoque catholicis animarum curatoribus incumbat, subiectos sibi fideles Christi ab eiusmodi connubiis diligenti studio avocare, et ab omni actu, quo illa aliquando approbare censerentur, abstinere. E contrario leges civiles hic loci vigentes catholicis infidelem nonnisi coniugem habere prohibent, cum acatholicis autem contractum matr. inire permittunt, statuendo insuper, ut in huiusmodi casu banna matrimonialia in respectiva cath. ecclesia promulgentur, et partes nubentes consensum suum de incundo matr. coram parocho catholico in praesentia duorum testium exhibeant. Quantae ex hac legum civilium a doctrina catholica discrepantia oriantur difficultates, docent collisiones, quas Ecclesia Cath. istis praesertim temporibus frequenter experitur. Augustissimus Austriae Imperator, meus clementissimus Dominus et Rex, Religionis Cath. cultor piissimus et protector, collisionibus his obviare volens, dignatus est mihi per Supremum suum Cancellarium gratiosissime manifestare: quod a Sanctitate Vestra petere debeam benignam normam, iuxta quam parochi meae ADioecesis, quoties de connubiis mixtis, catholicorum scilicet cum acatholicis, ageretur, tuta conscientia procedere possent. Itaque ad apostolicum thronum Vestrae Sanct. provolutus filiali cum cultu et devotione humillime oro: dignetur Sanctitas Vestra mihi quoque clementissime indulgere, quemadmodum nonnullis aliis Eppis indultum iam extitit, ut in casibus mixtorum matr. si duntaxat valida adessent motiva, et si ad mentem Ecclesiae Cath. de omni prole futura catholice educanda, de parte catholica extra omne periculum perversionis asservanda, et de spe partis acath. in sinum verae Ecclesiae reducendae ab utraque parte nubentium valida sponsio data fuerit, parochis meis facultatem talia matrimonia benedicendi nomine S. Sedis Apost. concedere valeam; in singulis enim casibus ad S. Sedem recurrere ob tam notabilem huius provinciae ab Urbe distantiam multum esset mo-

lestum. Deficiente praememorata sponsione matr. mixtum nullatenus benedici posset. Sed quia leges civiles, prout superius iam indicavi, banna huiusmodi matrimoniorum in ecclesiis cath. promulgare, et sponsos consensum matr. coram parocho catholico elicere iubent, proinde dignetur etiam Sanctitas Vestra gratiosissime definire, quid in casibus huius generis parochi catholici tuta conscientia agere debeant? ne ex una parte, si banna promulgare et consensum nubentium excipere recusarent, contra leges civiles offendant, ex parte autem altera conformando se legibus his matrimonia mixta quodammodo approbare censeantur. — Leopoli, 22. Iun. 1840. Michael Lewicki, Ruthenorum Unit. in Gallicia AEp. Metropolita.

1185. AEppi Pragensis. Quamvis clemens piumque Austriae regimen in legislatione sua circa connubia mixta statutis ecclesiasticis praecipue tempore recentiori proxime accedat, genio tamen aevi elapso seculo etiam in sacris sese accomodante in plurimis dioecesibus enata est praxis Ecclesiae minus probanda. Nam licet Caes. Regium Tolerantiae decretum dd. 13. Octobr. 1781. §. 6. prohibeat in ineundis connubiis mixtis literas reversales circa educationem omnium prolium in religione cath. praestandam requirere, sponte tamen oblatas acceptare iam Edictum Aulicum de 25. Sept. 1792. permittit, et aliud de 28 Mart. 1798. animarum curatores monet, ut talibus coniugibus conscientiosam liberorum educationem inculcent. E decretis aulicis de 21. Maii 1785. et 29. Aug. 1788. concludere fas est, licitum esse Sponsos de nocivis connubiorum mixtorum sequelis edocere, eosque ab illis ineundis via persvasionis deterrere. Tandem decreta de 7. Sept. 1809. et 4. Mart. 1813. pro regno Bohemiae lata permittunt acceptationem sponsionis duorum testium subscriptione firmatae, fore, ut pars acatholica partem catholicam in exercitio religionis nullo modo turbet, nec eius persvasionem pervertere conetur. Nec tamen lex Tolerantiae, nec §. 77. Codicis Civilis, nec aliud C. R. Decretum catholicos animarum curatores iubet mixtis connubiis sacramentaliter benedicere. Ast quum nullibi expresse permissum sit, literas reversales circa educationem prolium in cath. religione praestandam a

sponsis diversi cultus exposcere, factum est, ut non obstantibus citatis decretis rei catholicae faustissimis animarum pastores genio aevi, emancipationem ex auctoritate Ecclesiae anhelante, et aliis difficultatibus oppressi, passim minus conscientiosi in servandis Ecclesiae circa connubia mixta praeceptis deprehenderentur, usquedum Sanctitas Vestra de monte sancto suo vocem extollens, et ad antiquissima circa connubia mixta statuta Ecclesiae provocans, celeberrima illa Allocutione orbem catholicum concusserat, Clerumque ad maiorem hac in re vigilantiam excitaverat. Huic benigno influxui in acceptis referendum est, ut mihi ADioecesim clementissime concreditam ingredienti a Clero Curato undique quaestiones exhiberentur: qua ratione lex Tolerantiae, requisitionem literarum reversalium in connubiis mixtis interdicens, cum expressis Ecclesiae mandatis concilianda sit, quaque via ipsis incedendum, ne aut legis politicae transgressores aut fidei suae traditores esse videantur. Ut fidelis depositi custos deprehendar, non potui non provocare ad decreta superius citata, et ex illis dubitantes edocere, sub pio Regis Apostolici sceptro zelosis animarum pastoribus omnino licere sponsos diversi cultus de periculo connubii mixti monere, illos ab eo ineundo deterrere, aut saltem via institutionis et admonitionis eo commovere, ut pars acatholica spondeat, se exercitio religionis partis catholicae nullos obices ponere nec eius persvasionem labefactare velle, imo promtam esse ad consentiendum, ut omnes proles ex connubio hoc oriundae in religione cath. educentur. Huic instructioni monitum adieci, ut si cui parochorum hoc in negotio ad normam ab Ecclesia praescriptam expediendo cum maioribus difficultatibus colluctandum esset, meum consilium expetat; quo in casu pertinaciam acatholicorum deplorantibus et periculum perversionis partis catholicae timentibus revelare non reformidavi, sacramentalem connubii mixti benedictionem denegandam esse, ubi securitati religionis sponsae catholicae eiusque prolium consultum non fuerit. Hac instructione conscientiose observata contigit, ut connubia mixta, quorum numerus in ADioecesi Pragena per annum octuaginta excedit, nonnisi sub cautionibus ab Ecclesia statutis inirentur, quin imprudentia Cleri aut relucta

tione acatholicorum caritas laesa aut pax turbata fuerit. Hoc felici tamen successu passim invidia pastorum acatholicorum excitata est, qui rei suae timentes asseclas suos ad renitentiam adeo excitant, ut Ecclesiae praescripta circa connubia mixta in futurum conscientiose servare baud contingat, nisi politicum quoque regimen Ecclesiae adiutricem porrigat manum. Quapropter non sat dignis celebranda est laudibus providentia clementissimi Imperatoris ac Regis nostri, qui pietate in Deum et Ecclesiam aeque ac paterno in subditos suos amore ductus, difficilem rei statum dignoscens, promtum se ad auxilium ferendum exbibet, et Eppos decreto aulico de 4. Iun. a. c. ad Eum refugere iubet, cui potestas clavium data et Spiritus S. assistentia promissa est, cuiusque est, Ecclesiam universalem edocere: darc Caesari quae Caesaris, et Deo quae Dei sunt. Hoc itaque nutu clementissimo non minus ac mea conscientia adactus, meo et reliquorum Bohemiae Epporum nomine, qui me suarum precum interpretem esse volunt, ad pedes Sanctitatis Vestrae animo procumbens omni qua par est devotione supplioo: ut pro sua, qua pollet, singulari sapientia nos edocere dignetur, qua via incedendum, quidque a nobis observandum sit in connubiis mixtis, ut aeque morigeri clementissimi Austriae Imperatoris subditi, ac fideles Ecclesiae filii dispensatoresque mysteriorum Dei inveniamur? Quocunque enim oculos vertam, qualecunque consilium capiam, ubique obveniunt difficultates, quibus solvendis me imparem esse fateor. Nam 1. dum Ecclesia can. 16. Caus. 28. qu. 1. mixta connubia prorsus prohibuit, certe bac ratione nonnisi fidei cath. integritati, meliori liberorum educationi, coniugalis amoris et beatitudinis augmento et sanctificationi, iugi Ecclesiam inter et Civitatem concordiae, verbo utriusque Reipublicae prosperitati consulere voluit. Haec enim bona admissis connubiis mixtis valde periclitantur, et quidquid ad malas eorum sequelas praepediendas statuatur, accuratius consideratum nonnisi malum est ex duobus minus. Ast quis locorum et temporis circumstantiarum gnarus spem concipere audeat, legislationem civilem huic Canoni in Austria consonam fore, aut boc tempore consonam esse posse? 2. Aut fors in eo a parochis catholicis sola-

men quaerendum est conscientiae, ut assistentia in connubiis mixtis soli pastori acatholico committatur? Absit, ut in angustia nostra illud expectemus remedium, quod Ecclesiae in Synodo Tridentina congregatae de matrimonio statutis ex asse adversatur, piae Regum Apostolicorum menti §. 77. Codicis Civ. manifestatae tantopere repugnat, et conscientiam Confessariorum novis difficultatibus implicat! 3. Aut petendae sunt Eppis a Sede Apostolica facultates dispensandi a cautionibus ab Ecclesia circa matr. mixta statutis? Etsi hoc genio legislationis ecclesiasticae magis congruere videatur, quaerendum tamen est: quando et sub quibus conditionibus dispensatio elargienda sit? atque simul timendum erit, ne inaequali quorumdam agendi ratione novae turbae oriantur, aut multiplicatis dispensationibus nota repugnantiae in statutis suis Ecclesiae a malevolis inuratur. 4. Tandem verentur Eppi Bohemiae absque expresso Sedis Apost. consensu sic dictam assistentiam passivam in connubiis mixtis Clero suo commendare, quam Sanctitas Vestra ipsa in celeberrima illa Allocutione ceu extremos catholicitatis limites notavit. Nam etiamsi celare velimus, denominationem hanc cum praxi collatam contradictionem quamdam involvere, minime tamen ignorare possumus pericula, quae praxis huius publica inductio Ecclesiae et Civitati praecipue in provincia Regni Bohemiae ob singulares eius circumstantias necessario modo adferre debet. Quum enim in terris Austriacis proprius parochus connubiis aliter assistere nequeat, nisi ceu testis qualificatus, cuius est declarationem sponsorum excipere, matricae copulatorum inserere, et sua subscriptione roborare: in aprico est, assistentiam parochi in connubiis non esse passivam sed activam, quia ad valorem totius actus ecclesiastici essentialiter confert. Accedit, talem assistentiam, ut saltem videatur esse passiva, non in Ecclesia, sed fors in alio aedificio profano locum esse habituram: an non tunc saltem debilioribus in fide talis matrimonia ineundi modus nefasta innovatio, et pii sensus offendiculum videbitur, quo sacramentalis dignitas deletur, et concubinatibus ac divortiis iamiam numerosis pronior panditur via? Timendum itaque valde est, ne passiva assistentia legaliter inducta Ecclesia Cath. de graviori vulnere doleat, et pars

acatholica ceu de victoria superbe triumphet. Quae cum ita sint, nil aliud votis ac precibus nostris a Deo efflagitandum esse videtur, nisi ut revigescat in haereditariis Austriae terris illa prisca circa connubia mixta disciplina, quam fel. mem. Benedictus XIV, Pius VIII. aliique Summi Ecclesiae Pontifices suis Constitutionibus sanxerant, quamque Sanctitas Vestra nuperrime orbi catholico in memoriam revocavit. In cuius conformitate mecum Bohemiae Eppi ardentissime exoptant: 1. ut liceat ipsis gravioribus e causis cum parte catholica ad licite ineundum cum parte acatholica matr. dispensare; 2. ut via legali sanciatur, partem acatholicam teneri, literas reversales sigillo et testium subscriptione munitas exhibere, quibus promittit, se nullo modo partis catholicae exercitium religionis turbare aut eius persvasionem religiosam pervertere velle, imo libenter consentire, ut omnes proles ex hoc matr. procreandae absque discrimine sexus in religione cath. baptisentur et educentur; 3. ut liceat Eppis in illis casibus, ubi graviores causae matrimonium tale dissvadent, aut cautiones num. 2. expositae desunt, sacramentalem connubii mixti benedictionem prorsus denegare, quin ipsis cum regimine civili conflictus ingratus timendus sit. Ast abstinebo ab ulteriori precum nostrarum expositione, toto pectore Sanctitatis Vestrae sapientia confisus, quae optime perspexerit, quibus mediis saluti Ecclesiae consulendum, quibusque precibus clementissimum Austriae regimen adeundum sit, ut desiderata Ecclesiasticam inter et politicam circa sacra legislationem harmonia restituatur, et conscientia Cleri in administratione magni illius sacramenti e tristi isto bivio Deum aut Regem offendendi eruatur. Aequum est, quod supplices exorare audemus, nulli periculo irretitum, sed innumeris pro utraque republica commodis iunctum. Dignetur itaque Sanctitas Vestra potenti suffragio suo iuvare preces nostras ad solium Suae Apostolicae Maiestatis; loquatur Pater Apostolicus ad filium Ecclesiae dilectissimum, Apostolici Regis nomine et Ecclesiae tutoris meritis insignitum: et certe flectet Dominus animum eius, ut benignas precibus nostris praebeat aures, et gratiosissima earum adimpletione laetificet sanctam Dei Ecclesiam, aeterna devinciens me

gratitudine. — Pragae Bohemorum, 26. Iul. 1840. Aloysius Iosephus, AEppus.

1186. AEppi Salisburgensis. Indulgeat, quaeso, Sanctitas Vestra, ut gravis angustiae causam exponam, et ad S. Sedis sapientiam et Apostolicae potestatis plenitudinem confugiam. Inveniuntur etiam in mea dioecesi si non multi, tamen aliqui religionis cultui acatholico adhaerentes, ita, ut connubia, quae dicuntur mixta, interdum ineantur. Hucusque omnem quidem in eo collocavi operam, ut vel catholici a connubiali foedere cum acatholicis iungendo averterentur, vel, si gravis causa interveniebat, quae huiusmodi nuptias, licet eas nonnisi aegerrime semper tuli, svadere videretur, ut praemissis tantum necessariis cautelis, praecipue universae prolis catholicam educationem concernentibus, inirentur. Vereor autem, nec levis me angit timor, ut in posterum sponsi a fide catholica alieni, qui Protestantes dicuntur, cautionibus Ecclesiae Cath. consentiant. Quum enim leges Austriae marito acatholico ius adiudicent, prolem masculam in sua religione educandi, non difficili negotio poterit accidere, ut quis sponsus acatholicus civilis legis fretus favore acatholicam suis filiis velit vindicare educationem, sponsa vero catholica aut sensuali capta amore aut felicis conditionis futurae spe obcoecata posthabitis Ecclesiae monitis mariti protestantici non dubitet consentire postulationi. Ita igitur se habentibus rerum adiunctis, imminenteque periculo, ne aut conscientia mea gravetur, aut difficultates et iurgia cum foro politico, rei sacrae et publicae perniciosa, enascantur: ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus humillime efflagito: ut benignissime dignetur indicare, quam oporteat sequi regulam, si sponsi educationem universae prolis catholicam concedere recusent, ne sinistra fors et a Sede Petri aliena quoad matr. mixta disciplina in catholicae veritatis praeiudicium cedat. Et licet ea qua par est summa reverentia et obedientia Sanctitatis Vestrae sententiae numquam non staturum me esse promitto, si tamen pensatis rerum circumstantiis quae sentio proferre liceerit, passivam sive materialem, quam vocant, assistentiam catholici parochi, remedio quo sponsi huiusmodi ad ministrum aca-

tholicum ad contrahendum matr. remittuntur, praehabendam esse existimaverim. — Salisburgi, 6. Aug. 1840. Fridericus, AEppus.

1187.

Decretum Aulicum de qualiter deposcendis a sponso acatholico Reversalibus. 1843.

Ein Revers vom protest. Bräutigam ‚de non seducenda muliere' ist nicht zu fordern, da die Proselitenmacherei ohnehin unter Strafsanction verboten ist. Für das Versprechen desselben, alle mit einer kath. Gattin erzeugten Kinder katholisch taufen und erziehen zu lassen, ist sich an die allerh. Entschliessung vom 9 Juni 1842 zu halten, und es sind für dieses Versprechen keine Misstrauen erregenden Formen vorzuschreiben. Wien, am 27 April 1843.

1188.

Conclusum Conferentiarum Praesulum Austriae de mixtis matr. 1849.

§. 156. Die kath. Kirche duldet die gemischten Ehen, ohne sie zu billigen, und legt es dem kathol. Theile als unerlässliche Pflicht auf, für die kath. Erziehung sämmtlicher Kinder Sorge zu tragen. Man muss den dringenden Wunsch aussprechen, dass die Staatsgesetzgebung hinsichtlich der gemischten Ehen wenigstens auf dem Standpuncte beharre, welchen sie bisher eingenommen hat, um so mehr, da auf die Anstände, welche von Seite der nichtkathol. Staatsbürger könnten erhoben werden, ohnehin durch Einführung der passiven Assistenz Rücksicht genommen wurde.

§ 157. Namentlich fordert es die Gerechtigkeit, dass die über die katholische Kindererziehung ausgestellten Reverse in jedem Falle als rechtsgilige Verträge behandelt und beschützt werden.

§. 158. Sollte die Staatsgewalt das Gesetz aufheben, kraft dessen bei gemischten Ehen, wofern der Vater katholisch ist, sämmtliche Kinder in der kath. Religion zu erziehen sind, so wird vor Eingehung einer gemischten Ehe der Revers über die kath. Erziehung sämmtlicher Kinder auch dann abzufordern seyn, wenn der Bräutigam katholisch ist.

§. 159. Die vers. Bischöfe müssten es tief beklagen, wenn es die politischen Verhältnisse nothwendig machen sollten, dass in den ihrer Hirtensorge anvertrauten Ländern das Hinderniss der Heimlichkeit (imped. clandestinitatis) aufgehoben werde. Wo durch gemischte Ehen, die ohne Beiseyn des kath. Seelsorgers geschlossen werden, Schwierigkeiten entstehen, bleibt der Ausweg offen, sich von Fall zu Fall an den heiligen Stuhl um Abhilfe (ad sanandum matr. in radice) zu wenden.

1189.

Eorumdem Praesulum repraesentatio ad Ministerium quoad mixta matr. 1849.

— Wiewohl die gemischten Ehen eine schwierige Sache sind, so darf man doch die mit denselben verbundenen Schwierigkeiten nicht nach den Wirren bemessen, welche durch die Verhaftung des Erzbischofs von Köln ihren Höhepunct erreichten. Die preussische Regierung der damaligen Zeit stellte es sich zur Aufgabe, durch Beförderung der gemischten Ehen die kath. Kirche in dem preussischen Rheinlande zu zerstören, und fachte dadurch die Flamme dieses Haders an. Die kath. Kirche duldet die gemischten Ehen, ohne sie zu billigen, und legt es dem kath. Theile als unerlässliche Pflicht auf, für die kath. Erziehung sämmtlicher Kinder Sorge zu tragen. Diesen Grundsatz kann und wird sie niemals aufgeben; doch ist auf die Hindernisse, welche sich der Durchführung entgegen stellen können, durch Einführung der passiven Assistenz Rücksicht genommen worden. Wenn es überdiess keinem

äussern Hindernisse unterliegt, dass die Ehewerber sich nebstbei von dem nichtkatholischen Seelsorger einsegnen lassen, so scheinen die nichtkatholischen Staatsbürger keinen billigen Grund zur Beschwerde zu haben. Bei Anwendung der Gleichberechtigung, welche die Staatsverfassung ausspricht, dürfte auf die religiösen Überzeugungen der ungeheuren Mehrzahl einige schonende Rücksicht genommen werden, und die versammelten Bischöfe müssten es tief beklagen, wenn bei Schliessung von gemischten Ehen der kath. Seelsorger gänzlich umgangen, und dadurch die Nothwendigkeit herbeigeführt würde, des kleineren Übels willen das Hinderniss der Heimlichkeit für gemischte Ehen ausser Kraft zu setzen. Es erheben sich viele Stimmen, welche verlangen, dass der Staat die Reverse hinsichtlich der Kindererziehung vor seinen Gerichten nicht als giltig anerkenne, und desshalb alle Hilfe zur Durchführung derselben verweigere. Da Gesetze nicht zurückwirken können, so versteht es sich von selbst, dass die bisher ausgestellten Reverse nach Richtschnur der bisher bestehenden Gesetze müssten in Kraft erhalten werden. Die vers. Bischöfe hegen aber das Vertrauen, dass auch in Zukunft Verträge, welche die Erfüllung einer heil. Pflicht zum Gegenstande haben, in gleicher Weise, wie andere Verträge sich des Schutzes von Seite des Staates erfreuen werden. Unter die Wünsche, welche von Seite der nichtkathol. Staatsbürger laut werden, gehört auch, dass wenn von zwei kath. Eheleuten der Eine zum protest. GB. übertritt, es demselben frei stehen solle, aus gesetzlichen Gründen die Trauung seiner Ehe zu verlangen, und während der andere im kath. Glauben verharrende Gatte noch am Leben ist, zu einer neuen Ehe zu schreiten; allein die Gerechtigkeit und Weisheit der kaiserl. Regierung wird eine solche Zumuthung ohne Zweifel mit Entschiedenheit zurückweisen. Wenn zwei Katholiken sich verehelichen, so machen sie sich wechselseitig verbindlich, alle Pflichten katholischer Eheleute gegen einander zu erfüllen. Auch das österr. Gesetz erkennt die Ehen der Katholiken für unauflöslich, und sogar die französische Republik hat es nicht gewagt, dieser wesentlichen Bestimmung einer kath. Ehe die Anerkennung und den Schutz des Staates zu versagen.

Der Katholik, welcher sich mit einem Katholiken verehelicht, erwirbt daher das Recht, von der Staatsgewalt zu verlangen, dass sie, soweit diess in ihrem Bereiche liegt, die Unauflöslichkeit seiner Ehe aufrechthalte, und einer Verbindung, welche der andere Gatte bei seinen Lebzeiten eingehen würde, die bürgerlichen Rechte einer Ehe verweigere. Wer sich von der kath. Kirche lossaget, der hat darüber dem allschauenden Erforscher der Herzen Rechenschaft zu geben; aber er kann sich dadurch nicht von bereits übernommenen Verbindlichkeiten befreien; man kann nicht die Ermächtigung, das Band einer lästig gewordenen Ehe zu zerreissen, als Preis für den Übertritt zum Protestantismus ansetzen. — Wien, den 30. Mai 1849. — (Aktenstücke die bischöfliche Versammlung zu Wien betreffend. Wien. 1850.)

1190. 1191.

Rescripta C. R. Ministerii Cultus quoad matr. mixta in Oratoriis Protestanticis qualiter benedicenda, a. 1850.

1190. Rescriptum primum dd. 21. Ianuar. 1850. Nachträglich zu den von dem k. k. Ministerium des Innern in Folge allerhöchster Ermächtigung mit dem Erlasse vom 30. Jänner v. J. Z. 2260. getroffenen provisorischen Verfügungen in Bezug auf die Verhältnisse der Akatholiken wird verordnet: Bei der Verehelichung von Brautleuten, von denen ein Theil sich zur kath. Religion, der andere aber zur evang. Augsb. oder Helv. Confession bekennt, ist es dem evangelischen Seelsorger unbenommen, die Einsegnung der Ehe dann vorzunehmen, wenn durch den Matrikelschein nachgewiesen wird, dass sie nach Vorschrift des Hofkanzleidecretes vom 28. Oct. 1841 geschlossen worden ist. Hiedurch wird die Vorschrift des Hofkanzleidecretes vom 27. Dec. 1843 aufgehoben.

1191. Rescriptum alterum dd. 15. Fehr. 1850. Da die in dem Ministerialerlasse vom 21. Jänner d. J. enthaltene Berufung auf das Hofkanzleidecret vom 28. Oct. 1841 zu der Frage Anlass gegeben hat, ob auch jene Ehen zwischen einer dem katholischen und einer dem evang. Glaubensbekenntnisse angehörigen Person vor dem evang. Seelsorger eingesegnet werden dürfen, welche nicht blos unter passiver Assistenz des kath. Seelsorgers geschlossen, sondern von demselben auch in der kath. Kirche nach katholischem Ri tus eingesegnet worden sind, so wird, obwohl dio Bejahung dieser Frage ohnehin im Geiste und in der Absicht jener Verordnung unverkennbar liegt, zur Hintanhaltung jedes möglichen Zweifels hiermit ausdrücklich erklärt, dass die Einsegnung sogenannter gemischter Ehen durch den evang. Seelsorger jederzeit stattfinden könne, sobald der Eheabschluss durch die Einwilligungserklärung vor dem katholischen Seelsorger, sei es unter dessen passiver Assistenz, oder unter Ertheilung der kirchlichen. Einsegnung nach katholischem Gebrauche vor sich gegangen ist, und die Brautleute sich darüber mit dem Matrikelschein ausgewiesen haben. — (Kuzmány Urkundenbuch zum Evangel. Kirchenrecht. Wien. 1856 p. 402.)

1192.

Instructio Ordinariatus Olomucensis super eo: num mulieri, quae viro acatholico nupsit, benedictio post partum tribui possit? A. 1850.

Bei dem Umstande, als in neuester Zeit mehrseitig die Frage aufgeworfen wurde, ob es mit Rücksicht auf die canonischen Vorschriften gestattlich sei, den in einer gemischten Ehe lebenden Gattinnen das kirchliche Sacramentale der Vorsegnung der Wöchnerinnen zu spenden: erheischt es die dem fürsterzh. Ordinariate obliegende Pflicht, der Seelsorgsgeistlichkeit über diesen Gegenstand die erforderlichen Aufschlüsse zu ertheilen, um Verletzungen der Kirchengesetze hintanzu-

halten, einen gleichartigen Vorgang in der in Rede stehenden Angelegenheit zu erzielen, und den einzelnen Seelsorgern einen Anhaltspunct zur Ablehnung unstatthafter Anforderungen zu gewähren. Es liegt am Tage, dass sich in gemischten Ehen dreierlei Fälle hinsichtlich des Gegenstandes der Frage ergeben können, und zwar 1. wenn die Ehe einer katholischen mit einer nichtkath. christl. Person ohne Erlangung der kirchlichen Dispens von dem canonischen Eheverbote des verschiedenen christl. Relig.-Bekenntnisses ‚cum assistentia passiva' des kath. Seelsorgers (oder ‚in Regno Hungariae et Magno Ducatu Transsilvaniae coram ministello acatholico') geschlossen wurde; 2. wenn eine kath. Braut einen nichtkath. Bräutigam nach eingeholter canonischer Dispens von dem gedachten Eheverbote, mithin nach geschlossener Gewährleistung der kath. Kindererziehung unter Einhaltung der durch das heil. Conc. von Trient Sess. 24. de ref. matr. c. 1. vorgezeichneten Form geheirathet hat; 3. wenn die Verehelichung einer nichtkath. Braut unter den sub 2. genannten Modalitäten mit einem kathol. Bräutigam stattgefunden hat.

Dass in dem ersten Falle die kirchliche Vorsegnung der Wöchnerin unzulässig sei, in dem zweiten aber über gestelltes Begehren anstandslos vorgenommen werden könne, ist am Schlusse der oberhirtlichen Instruction vom 10. Febr. 1849. motivirt dargethan worden. Es heisst dort: Wenn die katholische in einer gemischten Ehe lebende Wöchnerin es zulässt, dass ihr Kind gleich nach der Geburt durch die von einem nichtkath. Seelsorger vollzogene Taufe oder in einer andern Weise einer nichtkath. Confession überliefert wird und hiedurch die kath. Mutter ihre Gleichgiltigkeit gegen ihre Kinder an den Tag legt, so hat sie faktisch auf das Recht verzichtet, der ‚benedictio post partum' theilhaftig zu werden. „Benedictio purificationis, so wird in der zu Löwen im J. 1837. erschienenen Dissertation bemerkt, quae partum sequitur coniugalem, est quasi praecedentis coniugii confirmatoria et laudatoria, qua merito privatur omnis, quae ipsum coniugium contra regulas eccles. iniit, ac magnum, quod est in Christo et Ecclesia, Sacramentum laesit." Wie wenig ferner die Ceremonien, die mit der Vorsegnung der kath. Wöchnerinnen verbunden sind,

auf eine kath. Mutter passen, die ihr Kind in einer nichtkath. Confession erziehen zu lassen Willens ist, wird eben daselbst gezeigt. „Ipse introductionis in templum processus et modus arguit matrem religiosae simulationis et mendacii. Nam in una manu candelam accensam portans, ut filia lucis, altera stolam sacerdotalem tenens, ut genuina Ecclesiae famula, sacerdotis pedissequa, ad Sancta Sanctorum, ad altare progreditur, inclinans humiliat caput ad accipiendam signo S. Crucis benedictionem coelestem. Candela haec quid innuit? Nonne verba Salvatoris: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in coelis est. Matth. 16. vel ut ipsa mater praefulgeat fide operibusque bonis filiis suis? En ipsa iam tradidit suum infantem falsis fidei principiis imbuendum! Quid porrectio stolae sacerdotalis et comitatus ad altare? ut parochi sub iurisdictione, cuius signum est stola, omnibus obtemperare velit Dei mandatis ac proles suas in sinu Ecclesiae educare. En et has permittit promittitque de sinu matris Ecclesiae subducere! Ad altare genuflectit, ut seipsam suumque partum ad imitationem SS. Dei Genitricis Mariae Deo offerat in hostiam perpetuam, gratiasque agat publicas. Quid vero? Cum in fide tantum verae Ecclesiae Catholicae grata Deo et placabilis esse potest oblatio et hostia, dispar haec sine dubio reiicietur. Quomodo enim diversa in fide matris prolisque oblatio Deo accepta esse potest, cum Apostolus ait: Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Eph. 4, 5.“ Hieraus folgt aber, dass die kath. Gattin aus einer gemischten Ehe, wenn sie ein von dem kath. Seelsorger zu taufendes und in der kath. Religion zu erziehendes Kind geboren hat, wenigstens unter Voraussetzung jener Bedingungen kirchlich vorgesegnet werden könne, unter denen sie Papst Pius VI zu dem Empfange der h. Sacramente zugelassen wissen will.

Diess vorausgesetzt handelt es sich noch darum, ob einer nichtkath. Mutter, die ein in der kath. Religion zu erziehendes Kind geboren hat, die kirchliche Gnade der ‚introductio mulieris post partum‘ zu Theil werden könne, wenn sie oder der kath. Vater um die Gewährung derselben bittet? Mit Rücksicht auf den Sinn und die Bedeutung des diessfälligen

kirchlichen Aktes, dann auf die canonische Gesetzgebung über die gottesdienstliche Gemeinschaft der Katholiken mit Andersgläubigen darf die durch die Gewohnheit eingeführte kirchliche Segnung der Wöchnerinnen Frauenspersonen nicht ertheilt werden, die der kath. Kirche nicht angehören. Denn der Empfang dieser Segnung ist von Seite der Wöchnerin eine Nachahmung der seligsten Jungfrau und Gottesgebärerin Maria, die, obgleich auf sie das mosaische Gesetz Levit. XII., das seinem Wortlaute nach für die von Eva stammenden, mit der Erbsünde behafteten, in gewöhnlicher Weise fruchtbar gewordenen Frauen gegeben ward, keine Anwendung hatte, weil sie nicht auf gewöhnliche Weise, sondern durch einen übernatürlichen Akt des heil. Geistes Mutter geworden war: dennoch sich aus Demuth der Verfügung des gedachten Gesetzes unterwarf, und ihre göttliche, jungfräuliche Geburt in den Tempel brachte, um sie dem Herrn darzustellen. Das Gesetz Mosis, welches den israelitischen Wöchnerinnen untersagte, vierzig Tage nach der Geburt eines Knaben, achtzig Tage nach der Geburt eines Mädchens, Heiliges anzurühren und zum Heiligthume zu kommen, nach Verlauf dieser Zeit aber sie verpflichtete, ein jähriges Lamm zum Brandopfer und eine junge Taube oder Turteltaube für die Sünde (d. i. für ihren durch die Ursünde der ersten Eltern veranlassten Zustand) vor die Thüre des Zeltes des Zeugnisses zu bringen, ist ausser Kraft gekommen, nachdem die Erfüllung des Gesetzes durch Jesus geschehen, das durch die gesetzlich bestimmte Unreinigkeit und das zur Tilgung derselben angeordnete Opfer Vorgebildete in dem blutigen Kreuzesopfer der heil. Messe zur gnadenreichen Wirklichkeit geworden ist. „Si mulier eadem hora, qua genuerit, actura gratias intrat Ecclesiam, nullo pondere peccati gravatur; voluptas enim carnis, non dolor in culpa est. In carnis autem commixtione voluptas est, in prolis vero partu dolor et gemitus. Unde et ipsi primae matri omnium dicitur Gen. 3: in dolore paries. Si itaque enixam mulierem prohibemus intrare Ecclesiam, ipsam ei poenam suam in culpam deputamus. Dist. 5. can. 2. Licet secundum legem Mosaicam certi dies determinati fuissent, quibus mulieres post partum a templi cessarent ingressu. quia

tamen lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est, respondemus, quod postquam umbra legis evanuit et illuxit veritas Evangelii, si mulieres post prolem emissam acturae gratias Ecclesiam intrare voluerint, nulla proinde peccati mole gravantur, nec Ecclesiarum est eis aditus denegandus, ne poena illis videatur converti in culpam. Si tamen ex veneratione voluerint aliquamdiu abstinere, devotionem earum non credimus improbandam. Cap. Volens. unic. de purif. post part.“ Wenn demnach kath. Frauen nach Überstehung der Gefahren, welche nach dem Richterspruche Gottes zur Strafe der Sünde unserer Stammeltern mit dem Geburtsakte verknüpft sind, in das Gotteshaus eilen, um sich dort durch den Diener Gottes segnen zu lassen, Gott Dank zu sagen für die Gnade, durch die sie dem Tode entronnen sind, und ihr Kind dem Herrn darzubringen, so vollziehen sie keineswegs das sie nicht bindende Gesetz des Leviticus, sondern sie treten in die Fussstapfen der Mutter Gottes, die, da die Tage ihrer Reinigung nach dem Gesetze Mosis erfüllt waren, das Kind Jesus nach Jerusalem brachte, um ihn dem Herrn darzustellen, und um ein Opfer darzubringen, wie in dem Gesetze des Herrn geboten war Luc. 2.; sie ahmen die seligste Jungfrau nach, durch deren Geburt, wie die Kirche betet, der Herr die Schmerzen der gebärenden Gläubigen in Freude verwandelt hat.

Gleichwie das kirchliche Sacramentale der ‚introductio mulieris post partum‘ seiner Tendenz nach vorzugsweise die Person der Mutter gewordenen Wöchnerin angeht, so zeigt sich ein Gleiches aus der Beachtung des Ritus, den die Kirche bei der Spendung dieses Sacramentales angewendet wissen will. Es wird dabei zuerst der 23 Psalm gebetet, welcher den Einzug des Herrn der Herrlichkeit in das Heiligthum preiset und die Wöchnerin erinnert, dass sie, wie sie durch die Andacht gegen die seligste Jungfrau und Mutter Gottes, die sie nachahmt, in dem gegenwärtigen Leben die Einführung in den Tempel der streitenden Kirche und ihren Segen verdient: sie auch in dem zukünftigen Leben durch die Fürbitte derselben Gottesgebärerin in den himmlischen Tempel der triumphirenden Kirche eingehen solle. Der Priester reicht der

Wöchnerin die Stola, die sie mit der Hand erfasset. Die Stola bedeutet das süsse Joch des Gesetzes des Evangeliums; wer dieses erfasst und befolgt im Glauben und in der Übung guter Werke, der wird würdig, in den himmlischen Tempel einzugehen. Die Wöchnerin hält eine brennende Kerze in der Hand, weil Niemand den Segen der Kirche verdient, ausser wer den Herrn fürchtet, und seine Gebote beobachtend mit dem Lichte guter Beispiele vorleuchtet. Der Priester bittet ferner im Namen und Auftrage der Kirche für die zu segnende Frauensperson, ‚ut nihl proficiat inimicus in ea, et ut post hanc vitam Beatae Mariae meritis et intercessione ad aeternae beatitudinis gaudia cum prole sua pervenire mereatur.'

Gilt aber die ‚introductio mulieris post partum' der Person der Wöchnerin, so liegt es am Tage, dass dieser kirchliche Akt von einer der Kirche nicht angehörenden Person nicht in Anspruch genommen werden könne, und der kath. Priester nicht berechtigt sei, einem solchen Anspruche, wenn er gewagt wird, Folge zu geben. Die Anhänger des Augsburgischen und Helvetischen Rel.-Bek. wollen von der Verehrung der seligsten Jungfrau und der Heiligen nichts wissen, sie sprechen den kirchlichen Segnungen und Weihungen alle Kraft ab, die Erlangung der Gnade von oben zu vermitteln; wenn sie daher nach Art katholischer Frauen sich nach der Geburt vorsegnen lassen wollten, so würden sie einen Religionsakt in der Kirche beanspruchen, der bei ihrer religiösen Überzeugung nichts Anderes wäre, als Heuchelei, oder im besten Falle eine blos mechanische Handlung, zu deren Verrichtung die Kirche ihre Gotteshäuser nicht hergeben, ihre Priester nicht ermächtigen kann. Dann kömmt das Gebot der Kirche, das die gottesdienstliche Gemeinschaft mit Andersgläubigen untersagt, und wenn nicht der verabscheuungswürdigen Gleichgiltigkeit in Glaubenssachen Vorschub geleistet werden will, untersagen muss. Die Kirche übt dadurch, wie es oft und klar dargelegt worden ist, keine Feindseligkeit gegen Andersgläubige; sie bedient sich blos eines Rechtes, das keiner Gesellschaft, keinem Vereine streitig gemacht wird, des Rechtes, von den ihr eigenthümlichen gesellschaftlichen Prärogativen und Vortheilen alle Personen fern zu

halten, die von einer Gemeinschaft mit ihr nichts wissen wollen, vielmehr ihr widerstreiten, und, ginge es nach ihrem Willen, den Bestand der Kirche beseitigen möchten; die Kirche übt durch das gedachte Verbot eine Pflicht, die ihr gegen das Seelenheil der Gläubigen obliegt, das durch nichts so sehr gefährdet wird, als durch den Religions-Indifferentismus und durch den Wahn, als könnten einander entgegengesetzte Wege zu demselben Ziele führen.

Die Einwendung, die daraus hergeholt werden dürfte, dass die Spendung der ,benedictio nuptialis' an Brautleute verschiedenen christlichen Rel.-Bek. (eigentlich, die ,celebratio matrimonii in Ecclesia') unter gewissen Bedingungen nicht geradezu verboten sei, kann in dem in Rede stehenden Vorgange nicht geltend gemacht werden. Denn die ,benedictio nuptialis' (die ,celebratio matrimonii') geht die beiden Brautleute an, so dass sie einem derselben allein nicht ertheilt werden kann; würde sie dem protest. Theile verweigert, so müsste auch der kath. Brauttheil, der sich den Vorschriften seiner Kirche gefügt hat und durch die erlangte canonische Dispens zur Eheschliessung mit einer nichtkath. Person ermächtiget worden ist, des kirchlichen Segens entbehren. Die ,introductio mulieris post partum' aber hat blos auf die Person der Wöchnerin Bezug; durch die in der Natur der Sache und in dem positiven Gebote der Kirche liegende Verweigerung derselben wird Niemand in seinen auf Recht und Billigkeit gestützten Ansprüchen beeinträchtigt, wesshalb gar kein Grund vorliegt, durch welchen eine Ausnahme von dem Verbote der gottesdienstlichen Gemeinschaft mit Andersgläubigen gerechtfertigt werden könnte. Hiemit sind dem Seelsorger die Anhaltspunkte für sein Benehmen in dem Falle gegeben, wenn eine nichtkath. Wöchnerin die kirchliche Vorsegnung begehren sollte. Es ist ein derartiges Begehren unter Geltendmachung der vorhin bezeichneten Sachlage in würdevoller Weise abzulehnen und dabei insbesondere herauszustellen, dass die Unterlassung dieser Vorsegnung für das katholisch zu erziehende Kind durchaus keinen geistlichen Nachtheil habe, weil die ,introductio mulieris post partum' vorzugsweise der Mutter, nicht aber dem Kinde gilt, rück-

sichtlich dessen der Vorgang unsers göttlichen Herrn und Meisters Jesu Christi — Matth. 19. in Anwendung gebracht werden kann: Es wurden Kindlein zu ihm gebracht, dass er ihnen die Hände auflegen und für sie beten möchte. Die Jünger aber schalten sie. Jesus aber sprach zu ihnen: Lasset die Kindlein zu mir kommen und wehret ihnen nicht, denn für solche ist das Himmelreich. Und als er ihnen die Hände aufgelegt hatte, ging er von dannen. —

1193.

Eiusdem Ordinariatus instructio de petenda in impedimento mixtae religionis dispensatione, a. 1853.

— Restat adhuc animarum pastores monere, ut in contrahendis matrimoniis, quae vocantur mixta,[1] meminerint, vigore Instructionis a Beatissimo Papa Gregorio XVI dd. 22. Maii 1841. ad Eppos dioecesium Austriacarum in foederatis Germaniae partibus latae pro concedenda dispensatione ab impedimento matr. prohibente ob cultus disparitatem tres necessario requiri conditiones: nimirum primo, ut coniux catholicus ab acatholico perverti non possit; secundo, quin potius ille teneri se sciat ad hunc pro viribus ab errore retrahendum; tertio, ut proles utriusque sexus ex hisce coniugiis procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educetur. Caveant ergo animarum curatores, ne priores duas conditiones minoris pendant, quam par est, imo sedulo instruant partem catholicam pro officio religionis, in vera fide firmiter persistendi, et quantum praescripta caritatis et leges tolerantiae civilis admittunt, omnem adhibendi conatum ad coniugem acatholicum pro fide catholica lucrandum. Promissiones solemniores a parte catholica hac super re acceptas in libello supplici pro obtinenda dispensatione expriment. — (Kutschker Eherecht. IV. 804. 755.)

---

b) Monumenta ab a. 1854—1868.

1194.

Consistorii Litomericensis Circulare de matr. mixtis. 1854.

